



EXERCITIVM PERFECTIONIS, ET VIRTVTVM CHRISTIANARVM,

AVCTORE

R. P. ALPHONSO RODERICIO VALLISOLETANO, SOCIETATIS IESV Sacerdote.

PARS SECVNDA,

IN QVA DE EXERCITIO VIRTVTVM AD OMNES PERTINENTIVM, QVI DEO SERuire intendunt, agitur.

Ex Hispanico Latine reddita ab A. M.



MOGVNTIAE,

Sumptibus Ioannis Kinckii & Ioan. Crithii viduæ.

ANNO M. DC. XXII.

SERIES TRACTATVVM, QVI SECVNDA HAC PARTE CONTINENTVR.

Tractatus primus de mortificatione.
Tractatus secundus de modestia & silentio.
Tractatus tertius de humilitate.
Tractatus quartus de tentationibus.
Tractatus quintus de nimio affectu in parentes.
Tractatus sextus de tristitia & lætitia.
Tractatus septimus de thesauro & magnis bonis, quæ possidemus in Christo, & modo obseruando in meditatione eius passionis, & fructu inde percipiendo.
Tractatus octauus de Sacro-Sancta Communione & sancto Missæ sacrificio.

LECTORI S.

Vamuis in hoc opere præcipue intenderam commodare Religiosis; tamen inueni opus ita dispositum, vt omni hominum generi qui se virtuti dant, prodesse posset, vt in prima parte diximus. Et præsertim secunda hæc pars maxime accommoda est sæcularibus, qui sincere volunt Deo seruire. Omnibus enim bene examinatis inuenitur huiusmodi vt industrios agricolas initio debere proscindere & arare terram cordis mortificatione passionum & appetituum inordinatorum, compescentes præsertim linguam & alios sensus, humiliãtes se coram Deo, ad consequendum desideratum fructum boni seminis, quod inde seminabunt. Hinc est quod in primis tribus tractatibus agimus de mortificatione, modestia, silentio & humilitate, in quibus virtutibus Christianus principio conuersionis sese exercere debet. Et quandoquidem monet Spiritus sanctus, quando nos damus ad seruiendum Deo, vt stemus cum timore, & præparemus nos ad resistendum tentationibus; agimus tractatu quarto de bonis & vtilitatibus, quæ inde emanant, & damus media ad easdem superandas. In quinto & sexto tractatu traduntur quædam impedimenta, quæ famulis Dei accidere solent, & explicatur quanti momenti sit, esse vegetum, contentum & hilarem in via virtutum, effectus sane mirabiles, qui in animam redundant, vnde animaduertitur thesaurus & magnæ diuitiæ, quas in Christo redemptore nostro & in eius paßione poßidemus. De quibus in septimo tra-

ctatu disputatur, & indicatur modus obseruandus in meditatione horum maximorum mysteriorum, & fructus inde percipiendi. Et pro coronide secundæ huius partis docetur, qua ratione nos præparare conueniat ad sumendum sacro-sanctum Sacramentū Eucharistiæ, & quæ inde vtilitas paranda. Quæ omnia practice ibi demonstrantur, vt quilibet se ibidem pro conditione sua exercitet, & opere compleat: quod præcipue hoc libro proponimus. Boni ergo consulat Lector exiguum istud opus, quo & bono desiderio à Deo aspirato potietur victoria de paßionibus, parabit prudentiam in verbis, modestiam in actionibus, solamē & remedium in tentationibus, magnas diuitias in Iesu Christo, deuotionem in solitudine, & magnum fructum in anima.

INDEX

INDEX CAPITVM EXERCITATIONVM RODRIQVEZII PARTIS SECVNDÆ.

TRACT. II.

Cap. I. Mortificationem orationi iungendam & duo hæc sibi mutuo auxilio esse debere. pag. 1
Cap. II. In quo consistat mortificatio, & quam necessaria illa nobis sit. 5
Cap. III. Nullum maius pœnæ genus apud Deum reperiri, quam aliquem appetitui & desiderio suo tradi vt illa sectetur. 8
Cap. IV. De sancto suiipsius odio, & spiritu mortificationis & pœnitẽtia, quæ inde procedũt. 9
Cap. V. Vtilitatem & perfectionem nostram in mortificatione sitam esse. 10
Cap. VI. Religiosis & ijs præcipue, qui cum proximo agunt, magis necessariam esse mortificationem. 12
Cap. VII. Duo modi mortificationis & pœnitentiæ, & qua ratione vterque à societate vsurpatus. 13
Cap. VIII. Mortificationem non esse odium, sed non solum animæ, verum etiam corporis verum amorem. 19
Cap. IX. Qui se non mortificat, non solum non spiritualem, sed ne rationalem quidem vitam viuit. 20
Cap. X. Maioris esse laboris non studere mortificationi sui ipsius, quàm eidem intendere. 21
Cap. XI. Incipit Tractatus de exercitio mortificationis. 24
Cap. XII. Qua ratione in praxin deducendum exercitium mortificationis. 25
Cap. XIII. Qua ratione nos mortificare debeamus in licitis, atq; etiam in necessarijs. 27
Cap. XIV. Nobis id agendum, vt in eo vitio & passione quæ magis in nobis regnat, & turpius nos labi facit, nos præsertim mortificemur. 30
Cap. XV. Non omittẽdas mortificationes in paruis, & quam vtiles & Deo gratæ sint huiusmodi mortificationes. 31
Cap. XVI. De malo & damno proueniente ex contemptu mortificationum in paruis. 32
Cap. XVII. In quo tria magni ponderis consilia huic materiæ seruientia ponuntur. 34
Cap. XVIII. Quam bonus, & quantumcunq; in virtute profecerit homo, tamen ei semper necessarium in mortificatione exerceri. 36
Cap. XIX. De duobus medijs, quæ facile & suaue reddent mortificationis exercitium, quæ sunt vbi gratia & sanctus amor. 38
Cap. XX. De alio medio, quod facile & iucundum reddet mortificationis exercitium, quod est remunerationis spes. 40
Cap. XXI. Varijs exemplis confirmantur dicta capite præcedente. 42
Cap. XXII. De medio, quo iuuabimur, & quod reddet facile mortificationis exercitiũ videlicet Christi Seruatoris exemplo. 43
Cap. XXIII. De trib. mortificationis gradib. 44

TRACT. II.

Cap. I. Quam necessaria sit modestia ad proximum ædificandum & ei commodandum. 47
Cap. II. Quam necessaria modestia etiam proprio nostro profectui. 49
Cap. III. De aliquorum deceptione, qui exteriora hæc parui faciunt, dicentes in his perfectionem non esse sitam. 50
Cap. IV. De silentio, deq; bono & vtilitate in eo sita. 52
Cap. V. Silentium magni momenti medium esse ad discendum orare. 53
Cap. VI. Silentium singulare medium esse vt quis proficiat, & ad perfectionem perueniat. 55
Cap. VII. Non tristem & melancholicam, sed valde hilarem vitam ei esse, qui in modestia, silentio & solitudine agit. 56
Cap. VIII. De circumstantiis in loquendo obseruandis. 57
Cap. IX. De murmurationis & detractionis vitio. 60
Cap. X. Detractiones non audiendas esse. 63
Cap. XI. Omne mendacij genus nobis fugiendum esse

esse. 64
Cap.XII. Nobis cauendum ne iocosa, ridicula & faceta loquamur. 66
Cap.XIII. Conuersationes & colloquia nostra de Deo esse debere: Et de aliquib. mediis ad hoc vtilibus. 68
Cap.XIV. De alia valde prægnante ratione ob quam colloquia & conuersationes nostras cum proximis de Deo esse conuenit. 70

TRACT. III.

Cap.I. De humilitatis excellētia & necessitate 72
Cap.II. Humilitatem cæterarum virtutum esse fundamentum. 73
Cap.III. In quo specialius exponitur, omnium virtutum humilitatem esse fundamentum, enumeratis præcipuis. 75
Cap.IV. De particulari necessitate huius virtutis, ijs qui profitentur se promouere & iuuare proximorum salutem. 77
Cap.V. De primo humilitatis gradu, qui est parui facere & humiliter de se sentire. 82
Cap.VI. De sui cognitione, radice & vnico medio necessario ad humilitatem parandam. 83
Cap.VII. De quodam magni ponderis medio, vt homo se cognoscat, & humilitatem acquirat, quod est peccatorum consideratio. 84
Cap.VIII. Quomodo nos in propria cognitione exerceri oporteat, ne animo cadamus & desperemus. 86
Cap.IX. De magno bono & vtilitate, quæ in exercitio cognitionis sui reperiuntur. 88
Cap.X. Sui cognitionē nō pusillanimitatis sed potius fortitudinis & vigoris causam esse.
Cap.XI. De aliis bonis & commodis, ex sui cognitionis exercitio oriundis 91
Cap.XII. Quam expediat nos cognitione propria exerceri. 92
Cap.XIII. De secundo humilitatis gradu: Declaratur in quo consistat iste gradus. 95
Cap.XIV. De quibusdam gradibus quibus ad perfectionem secundi huius humilitatis gradus nobis ascendendum 97
Cap.XV. De quarto gradu, qui est, velle contemni & vilipendi, ideoque gaudere 99
Cap.XVI. Humilitatis & reliquarum virtutum perfectionē in eo consistere, si quis earū actus cū delectatione & hilaritate exequatur, & quātum id faciat vt quis in virtute perseueret. 102
Cap.XVII. Planius declaratur perfectio, nobis procuranda, vt secundum hunc humilitatis gradum ascendamus. 103
Cap.XVIII. De quibusdam medijs ad secundum hunc humilitatis gradum parandum, & præcipue exemplo Christi. 105
Cap.XIX. De quibusdam humanis rationibus & considerationibus nobis seruientibus ad promouendam humilitatem. 107
Cap.XX. De alijs humanis rationibus vtilibus ad parandam humilitatem. 108
Cap.XXI. Vt quis ab hominibus existimetur, & magnifiat, certissimam viam esse, se virtuti & humilitati dare. 110
Cap.XXII. Humilitatem medium esse ad interiorem pacem parandam & sine illa eandem nunquam haberi 112
Cap.XXIII. De alio efficaciorum mediorum genere, ad humilitatem parandam, quod est eiusdem exercitio. 115
Cap.XXIV. Dicta quibusdam exemplis cōfirmantur 118
Cap.XXV. De humilitatis exercitio quod in Religione habemus. 121
Cap. XXVI. Cauendum ne verba proferamus, quæ nostri laudi seruire possunt 123
Cap.XXVII. Qua ratione nos exercere debeamus in hoc secundo humilitatis gradu 124
Cap. XXVIII. Qua ratione particulare examen sumendum ex virtute humilitatis. 126
Cap.XXIX. Cum humilitate consistere posse, ab hominibus existimari & magni fieri 130
Cap.XXX. De tertio humilitatis gradu 134
Cap.XXXI. Declaratur, in quo tertius humilitatis gradus consistat. 137
Cap.XXXII. Idem fusius exponitur 138
Cap.XXXIII. Planius tertius humilitatis gradus declaratur, & inde oriri vt vere humilis se omnibus minorem existimet. 140
Cap.XXXIV. Bonos & sanctos vere se posse habere omnibus viliores, & dicere se omnium mundi peccatorum esse maximos. 142

Cap.XXXV.

Cap.XXXV.Hunc tertium humilitatis gradum medium esse, ad omnes tentationes superādas, & omniū virtutū perfectionē parandam. 145
Cap.XXXVI.Humilitatem magnanimitati non repugnare, sed potius eius esse causam & fundamentum. 147
Cap.XXXVII.De alijs bonis & commodis, quæ in hoc tertio humilitatis gradu reperiuntur. 150
Cap.XXXVIII. De magnis beneficijs & gratiis, quæ Deus humilibus præstat, & quid causæ, quod tam eos extollat. 152
Cap.XXXIX. Quantum conferat nos ad humilitatem dare, vt ea suppleamus, quod in virtute & perfectione deest, & cur Deus nos castiget & humiliet. 154

TRACT. IV.

Cap.I.In hac vita nō defecturas tentationes. 159
Cap.II. Alios initio conuersionis tētari, alios post conuersionem. 161
Cap.III. Quid causæ sit, quod Deus velit nos tentationes habere, & de vtilitatibus, & commodis inde emanantibus. 163
Cap.IV.De aliis bonis & vtilitatib. quæ ex tentationibus oriuntur. 164
Cap.V. Multum tentationes prodesse, vt nos noscamus & humiliemus, & ad Deum recurramus. 166
Cap.VI. Tentatione iustos magis probari & purificari, & virtutē altiores radices agere. 167
Cap.VII.Tentationes hominem reddere diligentem & feruidum. 170
Cap. VIII. Sanctos & Dei seruos non solum tentationibus tristabantur, sed potius ob commodum, quod inde sentiebant, gaudebant. 172
Cap.IX.In tentationibus hominem erudiri, non solum sibi, sed & aliis. 173
Cap.X. Agitur de remediis contra tentationes, & primum de animi viribus & gaudio in illis concipiendo. 174
Cap.XI. Quam parum in nos poßit Diabolus. 175
Cap.XII. Magnum nobis animum & robur accedere debere in tentationibus, eo quod nos Deus adspiciat. 177
Cap.XIII. De duabus rationibus, vt magno animo & fiducia in tentationib. pugnemus. 178
Cap.XIV.Deum non permittere quem plus tentari, quam ferre potest, & animo non cadendum, crescente vel durante tentatione. ibid.
Cap.XV. Sibi diffidere, omnemque in Deo spem ponere, magnum esse medium ad tentationes superandas, & quid causæ sit, quod Deus tam succurrat, qui in illo confidunt. 180
Cap.XVI. De orationis remedio, vbi & aliquot iaculatoriæ orationes ponuntur tempori tentationum accommodatæ. 181
Cap.XVII.De duobus aliis contra tentationes remediis. 182
Cap.XVIII.De duobus alijs remedijs magni momenti, quæ sunt principijs obstare, & nunquam otiosum esse. 183.
Cap. XIX. De tentationibus quæ boni specie & prætextu oriuntur & magnum esse remediū contra omnes tentationes, illas huiusmodi cognosci & haberi. 184.
Cap.XX. Quid nobis faciendum in turpium, & malarum cogitationum tentationibus, & de remedio contra eamdem. 186
Cap.XXI. Differenti modo differentibus tētationibus resistendum. 190
Cap.XXII. De aliquot magni momenti monitis tentationis tempore necessarijs. 191

TRACT. V.

Cap.I. Quam Religioso conducat visitationes parentum, & profectiones in patriā fugere. 194
Cap.II. Religioso etiam cauendum, ne à consanguineis visitetur, quantum fieri poterit, & de communicatione per literas. 198
Cap.III. Etiam prædicationis titulo Religioso fugiendum consanguineorum commercium, & profectionem in patriam. 199
Cap.IV. Nihil Religioso magis cauendum, quam ne se cognatorum negociis implicet. 200
Cap. V. Prædicta nōnullis exēplis roborātur. 202
Cap.VI. De aliis malis & damnis, quorum affectus in cognatos causa est: & qua ratione Christus seruator noster illa fugere docuerit. 204
Cap. VII. Qua ratione tentatio hæc titulo non solum pietatis, sed & obligationis velari solet & de remedio contra eamdem. 205

TRACT. VI.

Cap. I. De magnis dānis q̄ ex tristitia fluunt. 207

Cap. II. Aliquot adferuntur rationes, ob quas nobis Deo cum lætitia seruiendum. 209
Cap. III. Culpas ordinarias quibus obnoxii sumus non sufficere, vt lætitiam auferant. 211
Cap. IV. De tristitiæ radicibus & causis, earumque remediis. 212
Cap. V. Ad orationem recurrere, magnum & efficax remedium esse ad tristitiam profligandam. 214
Cap. VI. De consueta & ordinaria quadam tristitiæ radice, quæ est, quod Deo quis, vt debet non inseruiat, & de magna lætitia, quam bona conscientia secum adducit. 215
Cap. VII. Aliquam bonam & sanctam esse tristitiam. 217

TRACT. VII.

Cap. I. De thesauro & magnis bonis, quæ in Christo habemus. 221
Cap. II. Quam vtilis & Deo grata sit Paßionis Christi Seruatoris nostri meditatio. 227
Cap. III. De modo in Christi Seruatoris nostri paßionis meditatione obseruando & de compaßionis affectu inde eruendo. 228
Cap. IV. De doloris affectu, & peccatorum nostrorum contritione, quæ ex Domini nostri Iesu Christi paßionis meditatione eruenda. 230
Cap. V. De diuini amoris affectu. 232
Cap. VI. De gratitudinis & gratiarum actionis affectu. 234
Cap. VII. De admirationis & spei affectibus. 236
Cap. VIII. De Christi imitatione, quæ nobis ex mysteriorũ eius meditatione colligẽda est. 238
Cap. IX. In quo quibusdam exemplis confirmatur quam vtile & Deo gratum sit se paßionis Christi seruatoris nostri meditatione exercere. 240

TRACT. VIII.

Cap. I. De inæstimabili beneficio & ingenti amore, quod Dominus noster nobis hoc Diuinũ Sacramentum instituendo exhibuit. 242
Cap. II. De excellentiis & miraculis, quæ fides dictat, nobis de hoc sanctißimo & diuino sacramento credenda esse. 245
Cap. III. Incipit agere de præparatione, quam excellentia & huius sanctißimi sacramenti dignitas requirit. 229
Cap. IV. De munditie & puritate non solum mortalium, sed & venialium criminum, qua ad sacrosanctam Communionem nobis accedendum est. 250
Cap. V. De alia magis particulari dispositione & præparatione, qua ad sanctißimum hoc sacramentum nobis accedendum est. 252
Cap. VI. In quo aliæ considerationes & modi se ad sacram communionem præparandi vtiles ponuntur. 253
Cap. VII. Quid nobis post diuini huius sacramenti sumptionem seruandum, & qualis esse gratiarum actio debeat. 255
Cap. VIII. De alio modo gratiarum actionis. 256
Cap. IX. De fructu ex sancta Communione colligendo. 257
Cap. X. Sacræ communionis frequentationem magnum esse contra omnes tentationes remedium, præsertim ad conseruandam castitatem. 259
Cap. XI. De alio principali fructu, ex sancta communione nobis colligendo, qui est nos Deo vnire, & in Christum transformare. 260
Cap. XII. De alio principali fructu ex sancta communione colligendo, qui est nos integre Deo offerre, & in eius nos manus resignare. Et de præparatione & gratiarum actione, quæ hic nobis facienda est. 261
Cap. XIII. Quid causæ sit, quod quamuis tam mirandus faciat effectus hoc diuinum sacramentum, aliqui tamen, qui hoc frequentant, non sentiant. 264
Cap. XIV. De sancto Missæ sacrificio. 269
Cap. XV. Qua ratione Missa audienda sit. 273
Cap. XVI. De aliquibus exemplis ad Missæ deuotionem pertinentibus, quibus ad illam quotidie audiendam & dicendam excitemur, & de reuerentia in Missa necessaria. 278

FINIS.

PLVRIMVM REVERENDO D. IOANNI SCHVTZ, Domus S. Ioannis Baptistæ Canonicorum Regularium apud Aquenses sacro Præsidi, eiusdemq; Ordinis per Germaniam Commissario generali, Domino suo & amico

Hanc operis pii editionem, animi grati & affecti symbolum aßignat & offert

Ioannes Kinckius Bibliopola.

GRati quidem, Admodum Reuerende Domine, quia fidelis Tua cum R. D. Hermanno fratre meo, Aquensi nuper D. Petri Pastore & Canonico (cœlum habeat euocata anima!) dum viuerèt, amicitia & pietas in defunctum, impensa quoque Matri meæ septuagenariæ sine fine lugēti solatia, mea, dante Te, beneficia sunt, quia meorum: Affecti vero, tum ob ipsum, tum quia veluti frater mihi factus es, dum ita fratrem Te faceres mei fratris. Omnino talem Te habuit, Admodum R. D. donec Te habuit ibidem Pastor vrbicus, Orestem Pylades, Thesea Pyrrithous. Itaque, quod nunc typicæ rei tractatoribus & solenne, de prælo meo amoris mei testimonium debitæque gratitudinis oblatiunculam fero non indignam viro monastico, Augustini filio, & filiorum Augustini Patri. Quam sis Pater, dicet illa tanto nunc facta melior opera tua & ope domus quam regis, & quibus intendis, aliæ.

Tu modo accipe Domine plurimum Reuerende, manu & animo, quali datur, quanto datur, hoc est optimo. Vale, Coloniæ Vbiorum, Anno Salutis M.DCII. ipso S. Gangolphi Martyris.

Admodum R.T.P.

Obseruantiss.

FACVLTAS R.P. PROVINCIALIS.

Ego Nicolaus de Almacan, Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Bætica, facultate ad hoc accepta à R. P. N. Claudio Aquauiua Societatis eiusdem Præposito Generali, potestatem facio, vt *primus tomus Exercitii perfectionis & virtutum Christianarum, à R.P. Alphonso Rodericio Societatis Iesu Sacerdote compositus*, in lucem emittatur, vtpote quem graues & docti Religionis nostræ viri viderint & examinarint. In huius rei fidem hasce litteras Hispali dedi, & officii meo sigillo muniui. Anno Domini 1607. die 16. Maii.

Nicolaus de Almacan.

APPROBATIO.

Primam hanc Exercitii perfectionis & virtutum Christianarum partem, à R. P. Alphonso Rodericio Societatis Iesu Sacerdote compositam, iussu Concilii supremi vidi & examinaui, nihilque in ea, quod Catholicæ fidei contrarietur, vel bonis moribus aduersetur inueni, sed plurimam doctrinam sanam & vtilem, tam è Sacra Scriptura quam è sanctis Doctoribus haustam. Vnde eam dignam censeo, non modo vt typis mandetur, verum etiam iam impressa numquam de manibus, non tantum Religiosorum (in quorum gratiam potissimum scripta est) verum etiam omnium qui ad perfectionem, quoquo modo adspirant, & Domino seruire & placere ex toto corde desiderant, deponatur. Actum Madriti Anno 1608. die 30. Iulii.

Doctor Petrus Gonsaluus de Castello, Canonicus Magistralis Conchensis.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

Ego infra scriptus Præpositus prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Bœtica, potestate ad hoc mihi facta ab Admodum R. P. nostro, Claudio Aquauiua, Societatis Iesu Præposito Generali, facultatem concedo, vt *Exercitii perfectionis & virtutum Christianarum pars secunda, auctore R.P. Alphonso Rodericio, Societatis nostræ sacerdote*, iam ante à grauibus viris examinata, visa & approbata, in lucem edatur. In quorum fidem hasce litteras dedi & manu mea sigilloque officii signaui. Datum Hispali, Anno 1607. die 16. Maii.

Nicolaus de Almacan.

CEN-

CENSVRA.

Ego Ioannes Ferrerius, Rector Collegii Societatis Iesu Barcinone, sacræ Theolog. Doctor, de Concilio sanctæ Inquisitionis, testor, me, iussu Illustrissimi ac Reuerendissimi Episcopi Barcinonensis legisse, secundam partem Exercitii perfectionis & virtutum Christianarum, à R. P. Alphonso Rodericio Societ. nostræ Theologo compositam, nihilque in ea quod fidei sanctæ aut moribus bonis aduersetur, sed doctrinam sanam & salutarem omnibus, at inprimis Ecclesiasticis & Religiosis reperisse. Quocirca facultatem concedendam arbitror, vt publici iuris per impressionem Typographicam fiat. In quorum fidem hasce litteras manu mea signatas dedi, in Collegio Societatis Iesu, Barcinone, Anno 1612. 20. Nouembri.

Ioannes Ferrerius.

Attenta supradicta approbatione concedimus licentiam imprimendi, die 21. Nouembr. Anno 1612.

L. Episcopus Barcinon.

AD RELIGIOSOS SOCIETATIS IESV.

Confido in Domino Saluatore nostro operam hanc meam non fore inutilem, imo semē hoc verbi diuini seminatum super terram bonam, quæ est anhelantium, & ad perfectionem spiritualem tendentium, fructum producturum non solum trigesimum, sed & sexagesimum & centesimum.

Alphonsus Roderiquez.

EXERCI-

EXERCITII PERFECTIONIS ET VIRTVTVM RELIGIOSARVM

PARS SECVNDA.

TRACTATVS PRIMVS De Mortificatione.

CAPVT I.

Mortificationem orationi iungendam, & duo hæc sibi mutuo auxilio esse debere.

Tobiæ 12. 8.

ONA est oratio cum ieiunio, dicebat Angelus Raphael sese indicans Tobiæ. Per ieiunium Sancti plerumque intelligunt omne pœnitentiæ genus & carnis mortificationem. Duo hæc mortificatio & oratio sunt præcipua media, quæ vtilitati nostrę deseruiunt, quæ coniungenda sunt & connectenda. S. Bernardus agens de verbis his Canticorum: *Quæ est ista quæ ascẽdit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatib. myrrhæ & thuris?* dicit duo hæc myrrham & thus, per quę indicatur mortificatio & oratio, nobis semper adesse, & ad culmen perfectionis nos euehere debere, & de nobis reddere bonum odorem Deo, & vnum sine altero parum aut nihil prodesse: si enim quis nitatur mortificare carnem & non studeat orationi, superbus habebitur. Et huic merito dicetur illud Prophetæ: *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Non placent Deo ex se sacrificia & carnium & sanguinis, si nõ iungatur oratio. Et si quis omittat mortificationem, audiat necesse est illud Christi in Euangelio dicentis: *Quid autem vocatus me Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Item illud Sapientis: *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.*

Bernard. ser. 59. ex paruis. Cant. 3. 6.

Myrrha & thus mortificatio & oratio.

Psal. 49. 13.

Luc. 6. 46

Prou. 28. 9.

S. Augustinus dicit, *vt in templo à Salomone exstructo, fuerunt posita duo altaria, vnum foris, in quo mactabantur animalia offerenda, alterum intus in Sancto Sanctorum, vbi incensum confertum ex variis aromatibus incendebatur, sic in nobis duo ponenda esse altaria, vnum intus in corde, in quo offeratur incensum orationis, &* secun-

August. ser. 255. de tempore.

Duo altaria Orationis in cord. mortificationis in opere.

Matth.6. secundum dictum S. Matthæi: *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito:* Alterum foris in corpore, videlicet mortificatio, sic vt duo ista semper sint connexa & conglutinata, & se mutuo adiuuent, mortificatio enim est dispositio necessaria ad orationem, & oratio est medium ad parandam mortificationem.

Simile. Quod ad primum attinet, videlicet, mortificationem esse dispositioné & medium necessarium ad orationem: omnes Sancti & spiritualis vitæ Doctores sic docent, & dicunt, quod sicut in charta pergamena non potest scribi, nisi sit bene rasa & auulsa à carne; eodem modo nisi anima nostra sit separata, & distracta ab affectibus, qui in carne nascuntur, non est idonea, vt Deus in illa scribat & ei imprimat suam sapientiam & diuina dona. Quẽ docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? *Ablactatos à lacte, auulsos ab uberibus*: Dicebat Propheta Isaias. Indicans eos, qui eius amore sese abstrahunt à deliciis & voluptatibus mundanis & carnalibus appetitibus & desideriis, vult Deus quidem & solitudinem, vt intret in cor nostrum, & in anima nostra sit multa quies & tranquillitas. *Et factus est in pace locus eius.* *Isa.21.9.* *Psal.75.3.*

Hoc & Philosophi gentiles intellexerunt, omnes enim fatentur animam nostram fieri sapientiorem, dum est quieta & tranquilla. Quod fit, quando passiones & appetitus sensuales sint mortificati & sopiti; tunc enim non sunt vehementiones passiones, quæ inordinatis motibus pacem animæ interturbant, & offuscant oculos rationis, vt fit, dum passiones dominantur. Proprium siquidem passionum est, rationem oculis priuare, & minuere libertatem arbitrii nostri: vt apparet in irato, ira enim videtur ei iudicium præripere, & similis est furioso & phrenetico: Si quæras, cur hoc vel illud dixerit aut fecerit; respondebit se apud se non fuisse. Sed passionibus sopitis & sedatis, intellectus est clarus & aptus ad noscendum bonum, & voluntas libera ad idem amplectendum, & sic homo fit sapiens & virtute præditus. Et hæc est pax & quies illa, quam Deus & Dominus noster vult, vt quiescat in anima nostra, & in eá infundat sapientiam & diuina dona. Et medium ad acquirendum hanc pacem est mortificatio passionum & appetituũ inordinatorum, & hinc Isaias eam nominat fructum & effectum iustitiæ: *Et erit opus iustitiæ pax.*

Quies sapientiam promouet.

Passiones excæcant & cæstuant.

Pax opus iustitiæ.

Isa.32.17.

Idem bene exprimit S. Augustin. super verbis his Prophetæ: *Iustitia & pax osculatæ sunt*, dicens: *fac iustitiam, & habebis pacem, vt osculentur se iustitia & pax.* Si nõ amaueris iustitiam, pacem non habebis, quia duæ amicæ sunt iustitia & pax, ipsæ se osculantur: si amicam iustitiam non amaueris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te. Tu vis pacem, & non facis iustitiam, fac iustitam, & inuenies pacem. Hæ enim duæ ita sunt vnitæ & connexæ, vt vna sine altera esse nequeat, & propterea si non amas iustitiam, non te amabit pax, nec ad te veniet. Bello paratur pax, & nisi tecum bellum gesseris te mortificando, & tibi contradicendo, non acquires hanc pacem, tam necessariam orationi.

August. Psal. 84.11. *Iustitia & pax osculatæ sunt.*

Bello pax quæritur.

Quis (dicit Sanctus quidam) *te magis impedit & molestat, quam tua immortificata affectio cordis?* Istæ passiones, isti appetitus & prauæ inclinationes, quas habes, quiete te spoliant, & non permittunt te ire ad orationem: hoc est quod te in illa inquietum reddit, & quod tantum excitat strepitum & tumultum in anima tua, quod te ex dulci hoc somno excitat, aut, vt verius dicam, non finit te eo frui & quiescere.

Thomas de Kempis lib. 1. de contemptu mundi, c.3.

Quando quis in cœna nimio se cibo obruit, dormire non potest nec noctu quiescere, eo quod cruditas illa stomachi & crassi vapores, qui ascendunt, ita illum exagitant, vt tota nocte se in omnem partem versans, quietem nõ admittat. Idem in oratione accidit. Cor nobis nimis graue & onustum est, nimia enim philautia, desiderium obsequendi affectibus, cupiditas honoris & æstimationis, vtque fiat satis

Simile.

Curæ huius vitæ cor grauant.

ſatis voluntati noſtræ replent ita cor noſtrũ leuant tales vapores & generant tantas & tales idæas & imaginationes, vt nos apud nos eſſe non ſinant, nec cor in Deo fixũ tenere. Vnde declaratur, quod dicit Seruator noſter in Euangelio : *Attendite autem vobis, ne forte grauentur corda veſtra crapula & ebrietate & curis huius vitæ.* Quod non tantum de ebrietatę vini, ſed etiam rebus mundanis intelligitur. Sicut conſonat illud Iſaiæ Prophetæ : *Audi hoc paupercula & ebria non à vino.*

Luc. 21. 34.

Iſa. 1. 21.

Ex corde nõ mortificato oritur obſcura caligo, quæ impedit & aufert ex anima noſtra præſentiã Dei. Illudque eſt, quod dicit S. Apoſtolus Paulus : *Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei.* Hæc enim ſunt valde ſubtilia, ipſe vero valde implicitus materiæ & craſſus nimis, & ideo debet ſe expedire & ſubtiliorem reddere mortificatione.

Mortificatio pellit caliginem.

1. ad Corinth. 2. 14.

Hinc poterit ſolui certum dubium, quid cauſa eſt, quamuis oratio ſit partim tam ſuauis & ſapida, orare enim eſt cum Deo communicare & tractare, cuius familiaritas & conſuetudo nullam ſecum adfert amaritudinẽ aut tædium, ſed ſummum gaudium & lætitiam : *Non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam & gaudium* : partim etiam nobis tam vtilis & neceſſaria; cur ea nobis eſt tam grauis, & quid cauſæ eſt cur ad eam accedamus, cũ tanta moleſtia, & tam pauci ſe dent orationi? S Bonauentura ait: *Quaſi ligati catuli ad ſtipitem, renitenti animo cogimur eſſe in diuinis.*

Oratio cur tã nobis moleſta.

Sap. 8. 16.

S. Bonauent. lib. 1. de profectu Religioſorum ca. 16.

Cauſa huius talis eſt. Oratio ex ſe non eſt difficilis, diſpoſitio neceſſaria ad illam, quæ eſt mortificatio, & quia hanc diſpoſitionem non habemus, ideo tam grauis & difficilis nobis eſt oratio. Vtidem videre eſt in naturalibus, vbi difficultas non eſt in inducenda forma in materiam, ſed in diſponenda materia ad eandem.

Quia diſpoſitione caremus quæ eſt mortificatio.

Ad veritatem plenius indagandã conſidera idẽ in viridi ligno, quid non operæ impendat ignis, vt ex ligno viriditatẽ auferat, quantus fumus exurgat, quanto tẽpore opus ſit ad inducendam diſpoſitionem, ſimulatque vero diſpoſitum eſt, in inſtanti agnus, vt in domum ſuam ingreditur ſine vlla difficultate. Idem accidit in re propoſita: omnis difficultas eſt in auferenda viriditate paſſionum noſtrarum, in mortificatione inordinatorũ appetituũ, & in diuulſione rerum terrenarũ: quo facto facile & ſine vlla difficultate anima Deo ſe iungit, & delectatur eo familiariter vti & cum eo conferre.

Mortificatio facilis eſt oratio.

Quemq; iuuat cum ſui ſimilibus rem habere & communicare: idem accidit homini mortificato, qui iam ſe ſpiritualẽ & Deo ſimilem mortificatione reddidit delectatur Deo familiariter vti & cum eo loqui ſimiliter Deus nihil prius habet, quã cum eodem agere: *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Quando vero quis ſtet paſſionib. & appetitibus inordinatis, & vanis honorib. affectibus, malis propenſionibus, deliciis & voluptatib motus, difficultatem ſentit te agendo & cõuerſando cum Deo, id ſane euenit, quod Deo multum diſſimilis eſt, & iuuat eum agere cum ſui ſimilib. de rebus terrenis & caducis: *Facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt.*

Similitudo gignit amorem.

Prou. 8. 31.

Mortificatus Deo ſimilis.

Oſeæ 9. 10.

Dicere ſolitus erat quidam ſanctorum Patrum : vt fieri nequit, vt quis in aqua turbida videat faciem aut quid aliud ; ſic etiam nemo, niſi corde purgato & ſopito à terrenis affectibus, qui illud turbant & commouent vanis & inutilib. curis, poterit in oratione faciem Dei videre, nec Deus ſe illi videndum exhibebit : *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Oratio ſpiritualis eſt viſio diuinorũ myſteriorum & operum, & ſicut ad bene videndũ oculis corporeis, opus eſt eaſdem limpidos & claros habere; ita ad bene aſpiciendum Dei opera, opus eſt cor eſſe purum. In hęc verba ita D. Auguſt. *Deum videre vis? prius ergo cogita de corde mundando, & quicquid ibi vides, quod Deo diſplicet, tolles.*

Simile.

Matth. 5. 8.

Aqua turbida & oculi obſcuri viſionem impediunt.

Aug ſer. 2. de aſcenſione Domini qui eſt 175. de tempore.

Abbas Iſaac (vt refert Caſſianus collat. 9. cap. 4.) idem comparatione exprimebat,

mebat, & dicebat in eo animam leui plumæ similem esse, quæ non madefacta

Simile.

vel mista cum alia re, sed pura & munda ab omni viscositate, omni aeris impulsu & minimo vento & agitatione à terra sursum tendit & volat & per aera fertur: sed si madefiat & misceatur cum aliqua viscositate, retinetur deorsum, nec permittitur alta petere, immo onus illud eandem deprimit & luto coniungit: sic si anima nostra munda & pura sit, statim in Deum fertur & ei se iungit vento leui & suaui considerationis & meditationis: sin vero terrenis cupiditatibus adstricta & addicta, & passionibus & inordinatis affectibus onusta sit, ita deprimitur & aggrauatur, vt ad cœlestia se leuare non permittatur, nec congrue orationi vacare.

Pluma madefacta aut viscosa detinetur in terra.

Abbas Nilus dicebat, si Moysi vetabatur ad rubum accedere, nisi calceos exuisset; quomodo ad Deum videndum accedere, & cum eo agere vis plenus affectuum & affectionum rerum mortuarum.

Nilus Abbas & Martyr de oratione c. 3. in bibliotheca sanct. Patr. tom. 3.

Inuenitur quarto libro Regum exemplum hanc pacem & tranquillitatem declarans, quæ in affectibus & passionibus tenenda est, ad commodius orationi vacandum & agendum cum Deo. Narrat sacra Scriptura, dum Rex Israel Ioram, & Iosaphat Rex Iudæ, & Rex Idumæus expeditionem pararet contra Regem Moabitarum, & solitudinem peragrarent, quod ceperint laborare aquæ penuria, & totus exercitus siti cõtabuerit; & omnes simul consuluerint Prophetam Elizeum, & dixerit ei Rex Israel, qui erat impius & idololatra: Quid hoc est? quare congregauit nos tres Reges hic Deus, vt nos traderet Moabitis? Cui respondit Elizeus: *Quid mihi & tibi est?* vade ad Prophetas patris tui & matris tuæ, viuit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto, quod si non vultum Iosaphat Regis Iudæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem, nunc autem adducite mihi psalten. Arguebat illum quidem zelo & magno animo, repetens coram eius peccata & idololatrias, tamen causa Iosaphat pij & sancti Regis fecit ipsis proponere gratias, quas Deus ipsis illa die erat exhibiturus, dans statim aquarum abundantiam, & post victoriam de inimicis.

4. Reg. 3. 13.

Quia tamen se illo animo & zelo, quãuis sanctus, turbarat & inquietum reddiderat; vt se componeret & inquietudinem tolleret, & sic responsum à Deo impetraret; iussit psalten adduci. Quo adducto, & quiete cantu eius restituta, cepit narrare mirabilia, quæ Deus ipsis erat largiturus. Si necesse fuerit, vt ille, qui sanctus erat turbationem, quamuis bonam & sanctam, auferret & tolleret, vt cum Deo ageret, & eius responsum expectaret; quid facto opus erit de turbatione & inquietudine non sancta nec bona sed imperfecta & praua?

Elisæus non propherat, nisi pacatus.

Quantum ad secundum: orationem videlicet medium esse ad mortificationẽ parandam; fuse satis de eo diximus tractatu de oratione, & hic fructus est, quem inde percipere debemus. Oratio, quæ sororem & comitem non habet mortificationem, habetur à Sanctis suspecta; & id quidem merito: vt enim adfero formam quam volumus, inducendam, non sufficit illud igne emolliri, si ictus malleorũ non addantur, ad eam formam dandam, quam intendimus: sic etiam non satis est cor nostrum calore orationis & deuotionis emolliri, nisi addatur malleus mortificationis, exercendo animam & tollendo prauas propensiones, & inducere formas & figuras necessariarum virtutum. Et ideo suauitas orationis, & dulcedo amoris diuini necessaria est, ad tollendum molestiam & difficultatem, quam mortificatio secum fert, ad dandum nobis animum & vires suggerendas propriam voluntatẽ abnegandi, & inclinationes peruersas superandas. Nec est in oratione subsistendum, sed progrediendum, vt Dei fauore perfectam passionum mortificationem impetremus, quæ tam nobis necessaria est, & nobis à Sanctis & sacris voluminibus tam commendatur.

P. 1. tract. 5.

Quod ignis & malleus ferro hoc animæ oratio & mortificatio.

Oratio mortificationis asperitatem lenit.

S. Augustinus in locũ illum Geneseos: *Creuit*

Aug. l. 50. sup. Genes.

Genes. 21. 8. *Creuit igitur puer & ablactatus est: fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius:* quærit quid causæ sit, quod narret Scriptura natiuitatem Isaac filij tamdiu ante promissi, & expetiti, in quo omnes gentes terræ benedicerentur, & non fuit festus dies celebratus ipso natiuitatis tempore, & narret quod octauo die fuerit circumcisus, qui erat quasi dies baptismi solennis, & nec tunc quidem fuerit dies ipsi festus. Sed quando ablactatur & tollitur à matris vberibus, & vadit infans, eo quod ablectetur, dicit patrem tunc diem festum egisse, & epulum magnum parasse. Quid hoc sibi vult! dicit Sanctus Doctor, sensum aliquem spiritualem piis eliciendum, ad tollendum dubium. *Cur epulum in ablactatione!*

Quia verum gaudiũ post mortificationem. Spiritus enim sanctus hic indicare voluit, tunc denuo gaudium & festum spirituale agitandum, quando quis crescit in virum perfectum, & non est amplius ex illis, de quibus dicit Apostolus: *Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* *1. ad Cor. 3. 1.* Idemque nobis melius applicantes, ibi indicatur, gaudium & lætitiam Religionis, nec superioribus esse qui sunt patres spirituales, quando quis nascitur religioni in illam intrando, nec quando absoluto nouitiatu recipitur; sed quando vident illum ablactari, & desinere infantem esse, & non amplius cibis & crepundijs puerorum oblectari, & panem vna cum crusto edere, & se posse cum illo vt homine spirituali & mortificato agere.

Oratio est mortificatio. Aliam præterea habet oratio connexionem & consanguinitatem particularem cum mortificatione, non enim solummodo est medium ad eandem acquirendam; sed ea ipsa in se est magna carnis mortificatio. Id enim Spiritus sanctus per Sapientem testatur: *Vigilia honestatis tabefaciet carnes.* *Eccl. 31. 1.* Et alibi: *frequens meditatio carnis afflictio est.* *Eccl. 12. 12.* Et idem sacra indicat pigina in lucta illa, quam Patriarcha Iacob habuit tota nocte cum Angelo, ex qua (vt narratur) mansit claudicans. *Gen. 32. 24.* Experientia etiam nos docet, eos, qui se multum his mentalibus exercitijs dant, fieri debiles, pallidos & infirmos; hæc enim vt linia delimant & mortificant carnem, & consumunt vires & sanitatem. Inde apparet orationem multum conducere ad mortificationem.

CAPVT II.

In quo consistat mortificatio, & quam necessaria illa nobis sit.

VT ab ipsis fundamentis rem ordiamur, præsupponendum duas in anima esse partes principales, à Theologis dictas partem superiorem & partem inferiorem, & notioribus verbis Rationem & Appetitum sensitiuum. Et ante peccatum infelici innocentiæ & iustitiæ originalis statu, in quo Deus hominem creauit pars hæc inferior perfecte superiori subiiciebatur, appetitus videlicet rationi, vt pars ignobilior nobiliori & vt seruus naturalis Domino. *Fecit Deus hominem rectum.* *Eccl. 7. 30.* *Appetitus in statu innocentia rationi obediebat.* Non creauit Deus hominem inordinatum, vt nunc est, sed tunc absque vlla difficultate vel contradictione, magnaque cum facilitate & suauitaae appetitus rationi morem gerebat, homoque Creatorem diligebat, & totum se eius seruitio mancipabat sine vllo obstaculo aut impedimento. Tunc temporis appetitus tã erat subiectus rationi, vt nullus à carne motus nec tentatio oriri posset, nisi homo id libere expeteret. Non fuissemus tunc tentati ab ira, inuidia, gula, luxuria, nec aliqua praua concupiscentia, nisi deliberata voluntate id expetiissemus. Sed quę ratio per peccatum rebellis facta fuit Deo, etiam appetitus rationi se opposuit. *Post peccatum appetitus rebellauit.* *Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago,* dicit Apostolus Paulus. *Ad Rom. 7. 19.* In appetitu sensitiuo, etiam te inuito, exurget in anima tua motus & affectus contrarij.

Præterea, si homo non peccasset, prõptum & paratũ fuisset corpus ad exercendũ quoduis opus, quod anima voluisset,

& non sensisset vllum impedimentum, quod nunc fit. *Sap.9.15.* *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam.* Corpus multis in rebus ad quas anima se sentit habilem & cupidã, est ei magno impedimento: quemadmodum dum insidemus equo duri passus & qui multa agitatione nos quassat, & sępe cespitat & nos fatigat, & quem sæpe regere non possumus, expauescit vmbra, & in via humi procumbit; eiusmodi nunc est corpus nostrum: quod proculdubio diuinæ vindictæ & iudicio adscribendũ, dicit enim S. Augustinus: *Hæc est enim pœna inobedienti homini reddita in semetipso, vt ei vicissim non obediatur neq; à semetipso.* Nam illa est punitio & iustitia, quam diuina Maiestas inobedientem hominem fieri iussit, vt sicut ipse Creatori & Domino suo obedire noluit; sic & ei non obediatur à carne & appetitu, sed in se sentiat continuum bellum & rebellionem.

Animæ inobedienti caro negat obedientiam.

Aug. libr. 1. contra aduersarium legis & Prophetarum. c.14.

Beda. Dicunt Theologi cum Beda, quod homo ob peccatum *fuit spoliatus gratuitis & vulneratus in naturalibus.* Non solum fuit spoliatus originali iustitia & gratia, & aliis donis supernaturalibus, quibus donatus erat, sed etiam læsus in naturalibus, intellectus enim obscuratus fuit ad diuina intelligendum, liberum arbitrium infirmatum, voluntas debilis ad bonum, appetitus factus robustus ad malum, memoria vaga, imaginatio tam inquieta, vt vix vnicam orationem stabili cogitatione recitare queamus, quin statim & vix id animaduertentes corpus nos impellat, & domo euolet, & per omnem mundum continue vagetur, sensus curiosi, caro immunda & ad malum prona. Deniq; natura nostra tam per peccatum fuit læsa & corrupta, vt non amplius incedat, vt solet, nec possit, quod antea poterat, nisi quod ipsa, quæ ante peccatũ Deum plus quã se diligebat, post peccatum se plus quam Deum diligit, & semper philautia quadam sibi sit obnoxia & cupida satisfaciendi proprię voluntati, prona ad obsequẽdum appetitui, & obediendum passionibus & desideriis, quamuis cum ratione & Deo pugnantibus.

Homo post peccatũ spoliatus gratia & læsus in natura.

Miser status hominis lapsi.

Illud præterea notandum, quod quãuis per Baptismum tollitur peccatum originale, causa huius vitii; non tamẽ tollitur hoc dissidium & rebellio appetitus contra rationem & Deum, quam Theologi & Sancti nominant *Fomitem peccati.* Voluit Deus iusto suo iudicio & dispositione, vt nobis hæc rebellis remaneret, ad superbiam nostram reprimendã, & vt esset eius vindicta, & vt semper nos humiliaremus, animaduertentes miseriã & vilitatem nostram. *Psal.48.21.* *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientib. & similis factus est illis.* Deus creauit hominem in magno honore & dignitate, exornãs eum multis donis & gratiis supernaturalib. sed ipse nesciuit cognoscere nec gratus esse, & ideo meritus vt Deum cum iisdem omnib. exueret & redderetur similis bestiis, in se sentiens bestiale appetitus & concupiscentias, vt sic in se reuersus se noscat & humiliet, & superbiendi ansam non habeat. Quam nullam omnino habemus, si nos ipsos nosse possemus, sed bene multas ad nos humiliandum & erubescendum.

Bonauent. li. 2. de profectu religiosorum cap.33.

Fomes peccati per baptismum non tollitur.

Fomes peccati est homini ansa humilitatis.

Secundo in hac materia pręsupponendum alterum fundamentum principale, quod ex dicto sequitur, & est quod appetitus noster tam inordinatus & incõpositus, caro nostra & sensualitas & *fomes* hic *peccati*, de quibus dictum est, maximũ est impedimentum ad progrediendum in via virtutũ. Hoc est, quod vulgo dicimus, carnem esse maximum hostem, quẽ habemus, hinc enim omnes tentationes & ruinæ nostræ nascuntur: vt in sua Canonica dicit Apostolus S. Iacobus: *Iacob.4.1.* *Vnde bella & lites in vobis? nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Hæc nostra sensualitas & concupiscentia, hic amor proprius & inordinatus, quem in nos ipsos habemus, causa est omnium bellorum, omnium peccatorum, defectuum, & imperfectionum, quibus exagitamur. Et ideo hęc est omnium maxima difficultas, quæ in via virtutis reperitur. Id & Philosophi luce & ratione naturali nouerant: nam Aristoteles dicebat

Fomes peccati maximum est virtutis impedimentum.

Caro capitalis est hostis hominis.

Arist. lib.7. Ethicor. c.7.

cebat omnem difficultatem, vt quis sit bonus & virtute præditus in eo sitam esse, vt norit cogere & moderari voluptates & tristitias. Epictetus referebat totam Philosophiæ summam ad hæc duo breuia verba: *Sustine, & abstine.* Omnis siquidem virtutis difficultas è duobus pendet, videlicet, ex inuadendo & resistendo laboribus, & abstinendo voluptate & deliciis. Idque omnes reipsa experimur, nemo enim peccat, nisi vt difficultatem aliquam fugiat, aut vt voluptate aliqua potiatur, aut quia illa non abstinet, vnus peccat amore & cupiditate bonorum temporalium: alter cupiditate & ambitione: alius vt fruatur carnali & sensuali voluptate: alius vero vt fugiat laborem & difficultatem satisfaciendi mandatis Dei & Ecclesiæ, quia sentit summam difficultatem in inimicos diligendo, & in ieiunando, vel in confitendo verecunda & occulta peccata.

Epictetus.

Summa virtutis est sustinere, & abstinere.

Difficultas virtutis in sustinendo & & abstinendo.

Denique omnia peccata hinc nascuntur simul cum omnibus imperfectionibus & vitiis, quæ accurrunt in virtutum via, vt post dicetur.

In quo sita sit mortificatio.
Hieron Epist. ad Algasian.
Matth.16.2.4.
Luc.9.23.
Per abnegationem homo aliam personam induit.

Hinc facile intelligetur, in quo sita sit mortificatio, quæ versatur in ordinandis & moderandis passionibus, malis inclinationibus & amore proprio inordinato.

Sanctus Hieronymus in verba illa Redemptoris nostri: *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me,* dicit, quod ille abneget semetipsum, & tollat crucem suam, qui antea non erat honestus, & fit castus & honestus: qui antea non erat temperans, & fit valde abstinens: qui antea erat timidus & debilis, & fit fortis & constans. Hoc est, seipsum abnegare, alium fieri, quam antea erat. Et hinc est quod tam necessaria nobis sit mortificatio.

Addit Diuus Basilius: Aduerte quod ante dixerit: Abneget semetipsum, & statim addiderit, Et sequatur me. Nisi enim facias prius te alium abnegando & propriæ voluntatati renũciando, & mortificando malas inclinationes & appetitus; inuenies plurimas causas & impedimenta, quæ te impedient CHRISTVM sequi. Ante complananda mortificatione via; & hinc ponit pro fundamento eam, non tantum perfectionis, sed etiam vitæ Christianæ. Hæc illa Crux est, quæ nobis semper humeris gestanda, si velimus CHRISTVM sequi. *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes.*

Mortificatio est militia hominis super terram.
2.Cor.4.10.
Iob.7.1.
Ad Gal.5.17.
Hostes semper sibi infesti caro & spiritus.

Id quoque est, quod dicebat Iob: *Militia est vita,* hominis super terram. Vt enim dicit Apostolus Paulus: *Caro concupiscit aduersus Spiritum, Spiritus autem ad uersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæcumq; vultis, illa faciatis.* Hi enim duo inimici sunt, & hæc est continua pugna, quam in nobis habemus. Ille, qui vincet & promptius carnem & appetitus subiugabit, erit optimus & fortissimus Christi miles.

Greg. lib.7. mo. al. c. 1.
Ambr. lib.1. de offic. cap. 36.
Vera fortitudo in mortificatione cernitur.

Et ideo dicunt sancti Patres & Ecclesiæ Doctores Gregorius & Ambrosius, hanc esse veram fortitudinem seruorum Dei, quæ non in robore & brachiis corporis, sed in animi virtute sita est, & in superanda carne & resistendo appetitui & concupiscentiæ, in contemnendis vitæ huius voluptatibus & deliciis, & in tolerandis laboribus & aduersitatib. occurrentibus. Et subiungunt plus esse se regere, & dominium sui passionum & sensuum habere, quam subiugare & regere alios. Cui concordat illud Sapientis: *Melior est patiens viro forti. Et qui dominatur animo suo, pugnator vrbium.* Cuius rationem reddit Diuus Ambrosius, nam *grauiores inimici sunt praui mores, quam hostes infesti.* Et agens de magna dignitate, ad quam Ioseph eleuatus est, dicit maius fuisse, magisque fecisse se regendo & sui dominium habendo, in animo non consentiendo adulterio, quam regendo toto Aegypti regno. Similiter affirmat Sanctus Chrysostomus, plus fecisse Dauid se superando, & mortificando, & non vindicando iniuriam, sibi

Prou 16.32.
Ambr. serm. 87. de Eliseo.
Studiosi mortificationis sunt bellatores, & victores gloriosissimi.
Ambros. lib. de Patriarc. Ioseph. c. 8.
Gen.30.7.
Chrys. de Dauid & Saule tom.1.

1. Reg. 24. 7. sibi à Saul illatam, quando illum poterat 1. Reg. 18. 6. occidere in spelunca, quam superando Gigantem Goliath, & opima spolia ex hoste reportando, & dicit hæc spolia ab eo non fuisse deposita in terrena Hierusalem, sed in superna illa & cœlesti. Et hic ei non occurrunt filiæ Israel eius encomia canentes, vt fiebat quãdo superarat Goliath, sed Angelorum exercitus illi applaudebat, & mirabatur eius fortitudinem & virtutem.

CAPVT III.

Nullum maius pœnæ genus, apud Deum reperiri, quam aliquem appetitui & desiderio suo tradi, vt illa sectetur.

VT tanto planius intelligatur necessitas mortificationis carnis nostræ & appetitus, & vt tanto audentius in hostem illum feramur; expedit nosse, quantus hic sit inimicus & aduersarius. Tantus est, vt sancti dicant, nullum inueniri maius punitionis genus, quo Deus iram suam magis prodit, quam tradendo peccatorem appetitui & desiderio suo, vt in manus sæuorum carnificum. Ad quod probandum adferunt multa S. Scripturæ loca, vt illum Prophetæ: *Et non audiuit populus vocem meam, & Israel non intendit mihi, admisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in aduentionibus suis.* Et Apostolus Paulus ait, hanc esse punitionem, quam Deus immittebat superbis illis Philosophis propter arrogantiam eorum & fastum: *Qui cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiãt corpora sua in semetipsis.* Pœna, qua à Deo afficiebantur, fuit, quod traderentur appetitui & desiderio suo, vt in manus crudelium tortorum. Bene hic notat S. Ambrosius, quod propter

Grauissima Dei punitio est hominem tradi suismet desideriis.

Psal. 80. 12.

Ad Rom. 1. 12. & 24.

Crudeles tortores & carnifices sunt praua desideria.

Ambros.

hanc traditionem, de qua hic & multis alijs Scripturæ locis legimus, non intelligendum est, Deum excitare ad malum, aut in peccatum trahere, sed solum permittere hos appetitus & praua desideria, quæ in corde conceperant, in lucem prodire, & Satanæ auxilio eadem opere complere. Clare videre est, quanta pœna hoc sit, ex eo, quod sequitur. Gloriosus Apostolus Paulus, superbos illos Philosophos dicit hac pœna affectos fuisse, & quomodo à sæuo hoc inimico excepti fuerunt, cui eos Deus tradiderat. Dici nec verbis exprimi potest, quo miseriarum deuenerint: præcipitatio fuerunt in omne genus peccati, & non hic substiterunt, donec in turpia, nefanda & abominãda scelera ruerent. *Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Hei vobis! quo tandem perducet vos inimicus vester, fera hæc & indomita bestia, si vos permittatis labi in manus eius.

Ad Rom. 1. 20.

S. Ambrosius ait: *Qui dominari nescit cupiditatibus, is quasi equus raptatur indomitus, voluitur, obteritur, laniatur, affligitur.* Vultis dicam vobis, quomodo vobiscum aget, & quo vos ducet? Vt equus furiosus, qui frenum non audit, & sessorem ex vna palude in aliam abripit, & ex vna salebrosa via in aliam, donec cum eo se præcipitem agat: eodem modo agit, tecum appetitus, nisi illũ domes & mortifices, & ei imperes. Abripiet te de peccato in peccatum, de vitio in vitium & non subsistet, donec te præcipitet in grauissima peccata, & te secum deiiciat in profundum inferni. Ideo bene monet Ecclesiasticus: *Post concupiscentias tuas non eas & à voluntate tua auertere.* Caue ne te transuersum agant malæ inclinationes & appetitus, caue propriam voluntatem, quia *Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis:* & eris ipsis in risum & improperium. Numquam maiori gaudio afficiuntur inimici nostri diaboli, nisi dum nos vident traditos appetitui ac passioni nostræ, quia eo miseriarum hæc nos perducent, quo vel totus infernus non posset, etiamsi vires

Ambros. lib. 3. de virginibus.

Concupiscentia est equus indomitus.

Eccl. 18. 30.

Concupiscentia trahit hominem, quo nec omnes inferni vires possunt.

vires eius omnes coalescerent. Hinc est, quod tam instanter Sapiens à Deo petebat, ne tale supplicium aut pœnæ genus ei immitteret: *Domine Pater & Deus vitæ meæ, aufer à me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me, & animæ irreuerenti & infrunitæ ne tradas me.* Iure dicunt Sancti nullum esse euidentius iræ diuinæ signum, quam peccatorem permitti ire post concupiscentias suas & saporem palati sui, sequentẽ appetitus & desideria sua. Dum medicus permittit, vt ægrotus comedat & bibat, quodcunque desiderat, signum est mortis, & desperat de eius salute. Idem Deus cum peccatore agit, quando eidem valde irascitur: permittit illum agere, quodcunque accidit illi. Et aliud ex petere aut agere, quam quod ipsi noxium & mortem adfert. Hinc facile erit intelligere infelicem & periculosam conditionem eorum, quibus nihil prius aut felicius est quam voluntati vbique obsequi.

Eccles. 23.4. & 6.

Desperatus status hominum concupiscentiis seruientium.

CAPVT IV.

De sancto suiipsius odio, & spiritu mortificationis & pœnitentia, quæ inde procedunt.

SI exactè examinentur, quæ ante à nobis dicta sunt, sufficient sane, ad gignendum in nobis Sanctum illud odium & horrorem, quæ Christus Redemptor tam in Euangelio commendat, quod sine eo, vt erit, non possimus esse discipuli.

Luc. 14. 26. Sanctum suiipsius odium.

Quid ergo aliud ad eo perueniendum nobis est necessarium, quam exploratum habere, corpus hoc nostrum infensissimum nobis esse hostem? Capitalis hostis est, maximus proditor, cui nihil tam est votis, quam ad mortem, imo mortem æternam compellere eum, à quo sustentatur, & prouidetur ei de necessariis. Qui ad fruendum minima voluptate, nihil pensi habet Deum offendere, & animam in infernum perpetuo deturbare. Si alicui diceretur. Esto certus vnũ ex familia tua & qui tecum edit & bibit, proditionem parare, vt te interficiat; quam timeret. Et si præterea eidem diceretur, esto certus adhæc, odium esse plus quam vatinianum & inimicitias tantas, quod contra te habet, vt mortem nihili faciat, si possit te occidere: iam scit ille statim se captum & occisum iri, & tamen exponit periculo vitam suam, vt alterũ vita spoliet. Quantum homo hic ad cubitum se componens, edens, aut aliud faciens, omni hora timeret & saluti inuigilaret, ne sicarius ille veniret, & pugione illum perfoderet, & vita priuaret. Et si posset deprehendere quisnam ille esset, quanto illum odio persequeretur, & quam seuere in illum animaduerteret? Hostis hic corpus nostrum est, quod comedit, bibit & dormit nobiscum, & præclare nouit, si noceat animæ, sibi idem damno esse: & si animam in infernum detrudat, se etiam post sequi debere, & tamen, vt appetitui suo satisfaciat, omnia pessumdat & flocci pendit. Animaduertite, an non æquum sit illud abhorrere. Quoties vos inferno addixit hic vester inimicus? Quoties vos fecit offendere infinitam illam bonitatem? Quanta bona spiritualia vobis eripuit? Quoties salutem vestram singulis horis periculo exponit? Quis ergo non indignabitur, & iram sanctam concipiet in eum, qui tantum mali ipsi intulit, tantis bonis eum exuit, & in singula momenta tantis periculis illum exponit? Si horremus diabolum, & ducimus capitalem hostem ob damnum & bellum, quod nobis infert; maior hostis est caro, quia infestius & magis continuum nobis bellum infert, & parum aut nihil possent dæmones, nisi cum ipsis starent caro & sensualitas, & iisdem nos impugnarent.

Corpus nostrum est animæ hostis, proditor, & insidiator.

Strages animæ per corpus non raro edita.

Hinc erat, quod Sancti seipsos tanto odio & horrore prosequerentur, & inde Spiritus ille magnus mortificationis & pœnitentiæ in iis oriebatur, vt hunc inimi-

SS. Patres sancto suiipsius odio flagrarunt.

inimicum ſuum vlciſcerentur, ſubiugarent & ſubiicerent: Hinc tanto timore aliquid corpori indulgebant, & laute habebant, ſibi enim perſuadebant id eſſe opem ferre & arma inimico ſuggerere, vt viribus partis ipſos poſtea male haberet:

Auguſt. lib. ſeu exhortatum de ſalutarib. monitis.c.3.

S. Auguſtinus ait: *Ne præbeamus vires illicitas corpori noſtro, ne committat bellum aduerſus ſpiritum noſtrum*: ſed in hoc toti ſimus, vt hoc caſtigemus & mortificemus, ne magis contra nos exurgat. Vt enim dicit Sapiens: *Qui delicato à pueritia nutrit ſeruum ſuum; poſtea ſentiet illum rebellē*; Erant ſancti illi monachi in ſancto hoc exercitio valde ſolliciti & attenti, nihil prius habentes, quam vt mortificarent & minuerent huius hoſtis vires: ſic vt, quando alia media non ſufficiebant, ad domandum & ſubiiciendum corpus, vtebantur corporalibus & grauibus laboribus. Vt narrat Palladius de quodam monacho, cui multum erant infeſtæ, vanæ & ſuperbæ cogitationes, quas à ſe repellere non poterat; ſumpſit ſportam, qua magnum lapidum aceruum ex vna parte in aliam tranſportauit. Quærebatur ab eo, quod ageret? Reſpondit: *vexo eum qui me vexat*, & vlciſcor inimicum meum.

Corpus ſubigendum, ne recalcitret.
Prou.29.22.
SS. Viri laboribus corpus altere-bant.
Palladus.
Hiſt. Eccl. p.2.lib.6.c.2.
Corpus vexandum, vtpote quod nos vexat.

Idem, de ſancto Macario in eius vita refertur: & de ſancto Dorotheo legitur, quod multis & duris pœnitentiis afflixerit corpus, & videns illum quidam laboribus, obrutum petebat, cur tam vexaret corpus, cui reſpondit, quia hic me occidit.

Bernardus.

Sanctus Bernardus odio & ſancto furore in corpus plenus, vt inimicum capitalem aiebat: *Exurgat Deus, cadat armatus iſte, cadat & conteratur inimicus homo, contēptor Dei, amator ſui, amicus mundi, ſeruus diaboli. Quid tibi videtur. Certe ſi recte ſentis mecum, dices: Reus eſt mortis, crucifigatur, crucifigatur.*

Dæmon per corpus nos tentat.

Huiuſmodi ſane animo & generoſitate mortificanda nobis eſt caro, & ſubiuganda, vt ſe non plus leuet, & ſecum ſpiritum & rationem abiiciat, hoc enim hoſte debellato, etiam de diabolo debellatum erit. Vt enim diaboli nos impugnant & mediante carne nos ſuperare nituntur, ſic & nobis cum diabolis dimicandum mortificatione, & contradictione carnis.

Auguſtinus.
2. ad Cor.9.26.

Id recte animaduertit S. Auguſtinus in verba illa glorioſi Apoſtoli Pauli: *Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum ſic pugno, non quaſi aerem verberans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo.* Non pugno cum diabolo, vt qui aerem verberat, & cum phantaſmate pugnat, quod gladio aggreditur, hoc enim fruſtra laborare eſt: ſed caſtigo & mortifico carnem meam, & laboro illam ſubiugere. Ibi Sanctus dicit: *Caſtiga corpus tuum, & diabolum vinces, hoc enim modo Paulus aduerſus illum docuit nobis eſſe pugnandum.* Dum Tribunus militum limitaneus cum Mauris vadit ad pugnam, includit Maurum captum carceri, vt in illum non inſurgat & inimicis opem non ferat. Idem & nobis vſui eſſe debet ſubiugantes & mortificantes carnem, vt ad inimicos non tranſfugiat.

Non verberat aerem, qui caſtigat corpus.

CAPVT V.

Vtilitatem & perfectionem noſtram in mortificatione ſitam eſſe.

Menſura perfectionis mortificationis.
Hieronymus.
Iob.28,23.

HInc dicebant Sancti & Magiſtri vitæ ſpiritualis omne commodum & perfectionem noſtram ſitam eſſe in mortificatione. S. Hieronymus inquit: *Tantum proficies, quantum tibi ipſi vim intuleris.* Et in illud Iob: *Nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium*, dicit verum timorem & perfectam ſapientiam non reperiri in terra viuentium ſecundum voluntatem. Vt de terra, quæ colitur, dicitur, quando producere permittitur, quæ vult, quæ ſunt cardui & ſpinæ quod gaudet & quieſcet, ſed dum cogitur proferre triticum aut ſimile granum, dicitur laborare: ſic eſt in terra cordis noſtri, dum quis viuit ſecundum deſideria & appeti-

In terra ſuauiter viuentium non germinat virtus nec ſapientia.

tus,

tus, dicimus illum exultare & suauiter viuere.

In hac ergo terra, vt dicit sanctus Hieronymus, non inuenitur vera sapientia: est in terra eorum qui laborant & mortificant, & abnegant appetitus suos. Hac regula & mensura metiuntur sancti virtutem, & vniuscuiusque spiritualem profectum.

Mensura perfectus spiritualis mortificatio.

Si videre velis, quantum in virtute profeceris, attende quantum te ipsum mortificaueris, quam superaris & domueris passiones & prauas inclinationes quid humilitatis & patientiæ acquisieris: si affectio ad res mundanas carnem & sanguinem tibi interierit, & hic videbis, an quid profeceris nec ne: non in eo, si magnum solamen est iustum habeas in oratione. Sic legimus de beato patre nostro, quod pluris faciebat mortificationem quam orationem, & illa profectum cuiusque metiebatur. Et dum Patri nostro Francisco de Borsa, commendabatur aliquis vt sanctus & perfectus, dicebat: Talis est, si mortificatus sit.

Lib. 4. cap. 5. vitæ P. N. Francisc. de Borsa.

Pluris mortificatio, quã oratio.

Ludouicus Blosius dicit seruum Dei mortificatum similem esse racemo maturo, molli & suauis gustu: non mortificatum verosimilem racemo labruscæ duro, amaro & nullus gustus, vt dicit Propheta Isaias: *Exspectaui vt faceret vuas, & facit labruscas.* Hoc discrimen est inter filios Dei & filios huius mundi, quod hi regantur appetitu sensuali, nec curæ sit his mortificatio. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* CHRISTI autem filiis nihil tam curæ, quam mortificare & crucifigere affectus, & appetitus, & eisdem non reguntur, sed spiritu & ratione.

Blosius in Instit. Spir. c. 1.
Mortificatus homo est instar botri malum.
Isa. 5. 4.
Immortificatus est botrus crudus & immaturus.
Ad Gal. 5. 14.

Verum quidem est perfectionem nostram essentialiter in mortificatione, sed charitate & amore DEI consistere, & eo quis perfectior, quo magis Deo per charitatem vnitur: Sed vt Lapis detentus loco alto, sublatis impedimentis, quæ illum detinent contra naturæ propensionem, statim deorsum ad centrum, locum naturalem fertur; sic anima nostra substantia spiritualis & à Deo creata inordinati appetitus & prauæ inclinationis sublatis impedimentis, quæ eam rebus mundatis affixam tenent, statim Dei auxilio ad Deum centrum, & finem defertur, eique per charitatem coniungitur.

Mortificata anima remotis quasi impedimentis ad Deum, vt ad centrum suũ tendit.

Hinc recte D. Augustinus: *Ponderibus suis aguntur omnia, & loca sua petunt, leuia sursum & grauia deorsum.* Aer enim & ignis superiora, terra & aqua inferiora petunt. Et sicut naturalia ratione proprii ponderis mouentur; sic etiam creaturæ rationales secundum amorem in iis dominantem. Hic enim pondus earum est, hinc si in nobis dominatur amor rerum temporalium, ambitio, desiderium honoris, & voluntatem propriam perficiendi, & commoditatib. nostris obsequendi, motus & desideria nostra erunt sensualia & terrena. Sed si mortificatione extinctus sit sensualium amor, dominabitur nobis Creatoris amor, & hic pondus nostrum erit, & cor nostrum maiore leuitate ad Deum quam lapis ad centrum ferretur. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

August. l. 13. Confess. c. 9.

Amor animæ nostræ pondus.

August. li 1. Confess. c. 1.

Hinc est, quod Sancti perfectionem nostram, & perfectionem mensura mortificationis metiantur; quo enim quis magis est mortificatus, eo maiorem Dei amorem & perfectionem habet.

Super illud Psalmi 41. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*, dicit sanctus Augustinus: *Ceruus Serpentes necat, & post serpentium interemptionem maiori siti inardescit, peremptis serpentibus ad fontes acrius currit.* Quod proposito recte conuenit. Scire vis, quid causæ sit, quod non multa siti & desiderio perfectionis, & amore Dei tenearis, causa est, quod, vt ceruus serpentes non interimas. *Serpentes vitia tua sunt, consume serpentes iniquitatis, tunc amplius desiderabis fontem veritatis.*

August. Ps. 41.
Ceruus enectis serpentibus fontem, & homo mortificatus enectis vitiis Deum sitit.

Statim amabit anima vestra Deum, vt ceruus fontes aquarum. Sic vt quantum progredieris in mortificatione, tantum crescat perfectio & amor Dei. Alibi idem dicit: *Augmentum charitatis, diminutio cupiditatis: Perfectio nulla cupiditas.* Vt enim aurum purius & perfectius fit, quo magis consumuntur & destruuntur feces, quas habet; sic & amor Dei fit perfectior & auctior, quo amor inordinatus nostri ipsius & rerum temporalium magis minuitur, & amore hoc consumpto & extincto, amor Dei omnis perfectus & purus erit.

August. lib. 83. qq. 36.
Mortificatus homo est aurum defæcatum.

Cassian. lib. 5. de Renunt. c. 26.

Refert Cassianus de Abbate Iohanne, quem iam in extremo vitæ discipuli circumsteterunt, vt filij solent ea hora patrem, & instanter ab eo petierunt, vt aliquid in medium ad eorum consolationem & spirituale commodum adferret: *vt memoriale aliquod mandatum, velut hæreditarium legatum relinqueret, per quod possent ad perfectionis culmen præcepti compendio facilius peruenire. Ingemiscens ille: Nunquam (ait) meam feci voluntatem, nec quemquam docui, quod prius ipse non feci.*

CAPVT VI.

Religiosis & iis præcipue, qui cum proximo agunt, magis necessariam esse mortificationem.

Mortificatio religiosis peculiaris est.

Exercitium hoc mortificationis seruis Dei omnibus proprium & necessarium est, vt quotidie magis magisque voluntati Dei sese accommodent: sed specialiter religiosis peculiare est. Ob hoc enim relinquimus mundum, & intramus religionem. hocque est quod ait S. Benedict. id demũ religiosum esse, corrigere & mutare mores. Eiusq; Religiosi in professione, quam edunt, sic dicunt: *Promitto conuersionem morum meorum.* Hoc in Religione profitemur, idque mortificatione faciendum, exuentes veterem hominem, & induentes nouum, vt ait D. Paulus: *Spoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum.* Sicque monebat D. Bernardus intrantes Religionem: Attendite, solus spiritus hic intrare debet, corpus vero foris manere: Indicans in religione non agendum de corpore delicate habendo, nec de appetui & inclinationi obsequendo, sed omnem curam animæ & spiritui impendendam, secundum Apostoli dictum: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.* Hoc est spiritu ambulare, tam à seruis Dei expeditum & commendatum, viuere secundum meliorem nostri partem, qui est spiritus & ratio, & non secundum inferiorem, quæ est caro & censualitas. Dicit Cassianus fuisse commune decretum & traditionem veterum Patrum, multisque experientiis confirmatum, neminem multum posse proficere & durare in religione, nisi in hoc totus esset, vt propriam voluntatem & appetitus mortificaret, hæc enim religioni multum aduersantur. Multis enim experimẽtis edocti tradunt eum in cœnobio diutius perdurare non posse, qui prius voluntates suas non didicerit superare.

S. Benedictus. *Ad Coloss. 3. 9.* *Bernardus.* *Ad Galat. 5. 16.* *Cassianus.*

Cõuenit maxime iis qui cum proximo agunt.

Quamuis id omnibus religiosis conueniat, tamen maxime iis qui cum proximis agunt. S. Chrysostomus docet, mortificationem passionum maxime iis esse necessariam, qui ad adiuuandum proximos in media plebe versantur: hic enim fere istæ (sic enim passiones nominat) plus nutrimenti habent ob occasiones, quæ ibi se offerunt. Miles non vadens in castra debilitatem suam occultat, sed dum ibi est, ostendit quis sit. Similiter dicit Chrysostomus, qui manet in angulo, dissimilat defectus, sed cui cum mundo dimicandum, & eius spectaculum esse debet, huic maxima virtus & mortificatio necessaria est.

S. Chrysostomus.

Vt vincamus necesse 1. vt nos accommodemus.

Præterea, vt vincamus, quibuscum agimus necesse est iis nos accommodare, & eorum conditioni seruire, quantum fieri potest, secundum illud Diui Pauli: Omnibus omnia factus sum, vt omnes

facerem

facerem saluos. Hincque videre est, quam necessaria sit mortificatio. Dicunt Philosophi illam partem oculi, in quam species colorum recipiuntur & visio formatur, nullum habere colorem, idque sic necessarium fuisse, vt omnes in se species colorum recipere posset, & omnes videre vt sunt: Si enim aliquis ibi color esset, non posse recipere aliam quam quem habebat, *intus enim existens prohibet extraneum*. Si viridis esset, omnia visa viridia forent, vt experientia docet, dum per viride vitrum videmus: & si colorata esset, omnia huiusmodi viderentur. Sic etiam necessarium est, vt propriam conditionem exuas, & passiones tuas mortifices, & tibi ipsi imperes, & capax sis conditionis alienæ, & sic omnibus te accommodare queas, vt omnes lucrifacias, vt faciebat S. Paulus. Non est spiritus religionis & perfectionis, velle omnes alligare conditioni & humori tuo, & vt tibi cholerico, solum conueniat cum cholerico, & tibi flegmatico resistat cholericus, & multo minus, si solum tibi cum conciuibus bene sit. Nunquid magni infortunii instar tibi, si solum vnicum colorem posset videre? maior est infelicitas voluntatem tam breuem & tam male dispositam habere, vt solum propendeat ad homines suæ nationis & conditionis. Charitas omnia complectitur, amat enim proximum propter & per Deum, & sic nullum facit discrimen inter Barbarum, Scytham, aut quemuis alium. *Vbi non est Gentilis & Iudæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scytha, seruus & liber, sed omnia & in omnibus Christus.* Omnes in visceribus habere volebat, omnes siquidem considerat vt filios Dei & fratres Christi. Hinc videre est, quam necessaria sit mortificatio.

2. vt propriã conditionem exuamus, &c.

Charitas omnia complectitur.

Ad Coloss. 3. 11.
Ioan. 13. 35.

Necessaria est mortificatio ad conseruandam vnionem & charitatem fraternam.

Ad conseruandam præterea vnionem & charitatem fraternam, quam tam commendat Christus, vt per hanc cognoscantur esse eius discipuli, mortificatio quoque necessaria est. Nihil. n. magis hanc vnionem & charitatem fraternam dissoluit, quam sibi studere, & commodo, vtilitati, honori & æstimationi suæ consultum velle. Quisque se consulat, & videbit, quotiescunque charitatis limites excedit, id fieri, quod aliquid sibi cupiat, vel vt non amittat, vel vt alteri non cedat. Mortificatio hæc omnia aufert, & viam charitati sternit, quæ *non quærit quæ sua sunt*. Et idcirco dicit S. Ambros. *Si quis vult placere omnibus per omnia, quærat non quod sibi vtile est, sed quod multis, sicut quærebat & Paulus*, qui nos monet idem: *Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum.*

Ambr. lib. 3. officior. c. 3.
1. Ad Cor. 13. 5.
1. Ad Corint. 10. 33.
Ad Philip. 2. 4.

CAPVT VII.

Duo modi mortificationis & pœnitentiæ, & qua ratione vterq; à societate vsurpatus.

August. ser. 20. de Sanctis & primo de S. Ioh. Baptista.
Matth. 11. 12.

D. Augustinus in illa verba San. Matthæi: *A diebus autem Ioannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: sic dicit: Duo sunt abstinentiæ & crucis genera, vnum corporale, aliud spirituale. Nam duo sunt pœnitentæ & mortificationis modi, vnus corporalis, quo castigatur & affligitur corpus, quem vocamus pœnitentiam exteriorem, cuiusmodi sunt disciplinæ, ieiunia, cilicium, incommodi lecti, cibus frugalis, austerus vestitus & similia, quæ corpus domant & voluptates & delicias ei substrahunt. Alter inuenitur modus mortificationis & pœnitentiæ spiritualis priori multo melior & excellentior. Alterum genus est pretiosius & sublimius scilicet regere motus animi, litigare quotidie cum vitiis suis, increpare se quadam censura austeritatis & virtutis, & rixam quodamodo cum homine interiore conserere: ait D. Augustin. Nam motus suos regere, dimicare quotidie cum vitiis & prauis inclinationibus, abnegare propriam voluntatem, proprio iudicio renunciare, vincere iram, opprimere impatientiam, refrænare gulam, oculos, lin-

guam & omnes sensus, hoc tandem sublimius est mortificationis genus. *Hac enim qui facit prærupto passionis muro violenter ad cœlorum regna conscendit.* Et hi sunt strenui & fortes, qui regnum cœlorum rapiunt. Ideoque interior hæc & spiritualis mortificatio priore excellentior est. Domare enim & calcare honores & æstimationem plus est quam affligere carnem, & vti disciplinis & cilicio. Sicutque pœnitentia hæc excellentior est & preciosior, sic etiam est difficilior & maioris laboris, & quod preciosius, maioris est precij. Hæc etiam docent S. Gregorius multis locis, & S. Dorotheus & alij sancti.

Gregor. li. 32. moral. ca. 17. & lib. 6. c. 15. & super li. 1. Reg. 1. c. 2. Doroth. ser. 1.

Duobus his pœnitentiæ generibus vtitur Societas Iesu. Quod ad prius attinet, quamuis B. Pater noster regulis certas & fixas pœnitentias non statuerit, ad quas Socij obligarentur; sed voluerit viuendi modum exteriorem esse communem, ob iustas certas rationes, tamen bonam rationem reliquit, vt infra dicemus.

Cap. 1. exa. §. 6. & 6. part. constit. c. 2. §. 15. & 16.

Multis & iustis de causis statuit & ordinauit Pater noster, vt viuendi modus exterior in Societate foret communis, media enim ad finem suum proportionata esse debent, & quia finis Societatis non tam est proprio profectui invigilare, quam saluti & profectui proximorum; valde necessarium nos habitu cum honestis Sacerdotibus communi vti, vt facilior ad omne genus hominum nobis aditus pateret, ideoque cum religiosis simus religiosi, cum sacerdotibus sacerdotes, & cum laicis habitus non multum discrepat à clericis laicis. Præterea Societas instituta fuit tempore Lutheri, quando hæretici religiosos & eorum habitus abominabantur, & vt ad eos accessus esset, ad disputandum & eos conuincendum, (quod proprie institutum nostrum est) necessario habitus ab aliis sacerdotibus non differens nobis assumendus erat, alioqui horrorem de nobis habuissent, antequam cum illis agi cœptum fuisset, eamque ob causam vnum medium principale impeditum fuisset ad finem necessarium, ob quem societas instituta erat. Insuper si habitu aspero vsi essemus, fortasse quis alius peccata nos accedere ausus non esset, cogitans nos etiam aspere & austere cum illo acturos. Sit ergo habitus communis ab omnibus receptus, vt sic facilior ad omne genus homines nobis accessus pandatur, & nullus horreat nobiscum agere.

[S]ocietas Iesu tempore Lutheri instituta.

Qualis habitus assumendus sit.

Et ideo voluit Pater noster, vt etiam in habitu nos redderemus omnia omnibus, vt ea ratione omnes lucrifaceremus, imitantes & hic exemplum Christi Redemptoris nostri, qui teste D. Augustino & S. Thoma, vt accommodaret se consortio & conuersationi hominum, eorumque vtilitati seruiret, exteriorem mediocritatem potius elegit, quam austeritatem & asperitatem Baptistæ.

In habitu nos reddemus omnia omnibus.

Aug. contra Faustum. S. Thom. 3. p. quæst. 40. art. 2.

Quantum ad alias exteriores pœnitentias; quamuis eas regula non determinauit, tamen regulam viuam statuit, qui est Superior, qui cuique decernit, quod conuenit. Pater noster dicit, quod hæ sumi possunt duobus modis vel eas quas quisque per se elegerit, ad plus in spiritu proficiendum, tamen Superioris approbatione, aut quando ad eundem finem ad eam obligat. Hoc magis iudicabat è Societatis re esse, quam id regula determinare: Partim quia regula mortua non poterat esse omnibus æqualis, & quia omnes non easdem vires ad has pœnitentias habent. Et si id omnibus fuisset commune, ille qui ferendo non fuisset solatii expers vixisset, eo quod alios assequi non potuisset. Vt enim omnibus ægrotis non eadem medicina, nec idem regimen conueniens est; sic etiam non eædem omnibus conueniunt pœnitentiæ.

Cap. 1. exa. §. 6. & reg. 4. summar. constit.

Simile.

Aliter enim cum iuuene, aliter cum sene, aliter cum morboso, aliter cum sano agendum: aliter cum innoxio, aliter cum formato, vt de vulneribus dicitur.

Hinc est, quod Sanctus Augustinus & S. Basi-

S. Augustin.

S. Basilius aiunt, non esse mirandũ, quod cũ omnib. non eodem modo in religione agatur, & quod vnus plus pœnitentiæ faciat quam alius, æqualitas enim hic maxima esset inæqualitas. Hæcque aduersitas & differentia non tantum accommoda est diuersis personis; sed & eidem diuerso tempore & oportunitate, aliqua enim pœnitentia conuenit tempore tentationis & ariditatis, alia tempore pacis & deuotionis, alia ad conseruandam, alia ad recuperandam eandem amissam. Ideo Pater noster noluit taxationem certam & determinatam pœnitentiam exteriorum omnibus statuere, sed id totum Superiori statuendum reliquit, qui medicus est spiritualis, vt secundum vires & necessitatem cuiuslibet decerneret, & vni plus, alteri minus concederet. Quod cõuenit cum regula illa, quam Angelus Dei nomine declarauit S. Pachomio. In qua mandauit, vt Superior hoc modo pœnitentias daret, quas quisq; religiosus implere teneretur.

Quare Societas certas & statutas pœnitentias non habeat.

Quia ergo Societas certas & statutas pœnitentias non habet, vt plerique alij ordines, non ideo fit, quod Societas has corporales pœnitentias non habeat, & quod ibi non magni fiant, nec in veneratione sint illæ, quas alij Ordines secundum institutum suum sancte obseruant, quarum varietate exornatur Ecclesia; sed quia iudicabat magis instituto nostro conuenire, & proposito finique magis quadrare, & antiquæ Patrum doctrinæ magis respondere, relinquere earundem dispositionem, & modum prudentiæ & caritati superioris. Quod non solum non est causa, vt minus fiat pœnitentiæ, sed potius vt plus, & vt illa maiore deuotione, & meliore voluntate suscipiatur.

Psal. 44. 10.

Hincque videre est plus pœnitentiæ Dei bonitate & misericordia in Societate fieri & exerceri, quam regula statuere potuisset. Faxit Deus, vt feruor iste procedat, & spiritus tam bonus & sanctus, & tam frequens in Ecclesia Dei, vt opus potius sit frenum contrahere quam calcaribus vti, vt hactenus Deo auspice reipsa repertum est.

Secundum pœnitentiæ genus.

Secundum pœnitentiæ genus est mortificatio passionum & proprii inordinati amoris, quod Societas præcipue amplectitur.

Et hæc altera iusta causa, ob quam Pater noster certas & statutas pœnitentias regula determinare noluit, volebat enim vt oculos in interiorem passionum & appetituum mortificationem dirigeremus, & hæc præcipua nostra esset pœnitentia, eo quod hæc, vt ante dictum, preciosior & excellentior sit. Dom. Pater noster in statutis & regulis multa magnæ perfectionis, ad quæ necessaria magna mortificatio & abnegatio suiipsius, & vult præcipuum studium nostrum poni in hac abnegatione & continua mortificatione, & incremento verarum & solidarum virtutum, & omni perfectione. Poterat quidem iure timere, si certas & determinatas statuisset pœnitentias, & apud se dicere: Si ipsis relinquo certas & ordinarias pœnitentias, non vellem ipsis occasionem dare ibi subsistendi, & iisdem contentus esse, dicentes: Iam ex regula obligor tot ieiuniis, tot ciliciis & disciplinis, hoc mihi sufficit: Et sic præcipuum omittant & quod magis ad rem facit, quæ est mortificatio passionum & exercitium verarum & solidarum virtutum.

Ideoque fundamenti loco noluit tradere nisi virtutem & mortificationem interiorem. Voluit vitam nostram exteriorem esse communem, vt interior magis singularis & excellentior esset, ornata solidis virtutibus, & magna mortificatione, hocque trahi ratione & tam excellenter, vt in exteriorem redundet, & probet nos esse Religiosos. Hæcque res nobis magis necessaria quam aliis Religiosis, ipsi enim habitu ab aliis distinguuntur, vt vitæ austeritas ipsis gratiam apud populum conciliat, quæ instituto nostro non conueniet. Et hinc interiori supplendum, & tanta reperienda humilitas & modestia, charitas, animarum zelus,

& tan-

& tanta cum Deo familiaritas, vt quicunque, qui nobiscum agit & nos aspicit, dicat: Hic vero est Religiosus Societatis Iesu: *Isti sunt semen, cui benedicit Dominus.*

Esa. 61. 9.

Interior mortificatio maxime necessaria.

Maximum ideo; in quod oculorum acies nobis figenda est ei, cuius exercitium maxime vrgendum, est interior hæc mortificatio, & quacunque die ab ea cessabimus, certo nobis persuasum esse debet, nos non viuere vt Religiosos Societatis. Et pœnitentia illa exterior, qua vtimur, assumenda vt medium, vt ad hanc perueniatur, & vir ille vere Apostolicus Pater noster Franciscus Xauerius bene docebat, & est doctrina Sanctæ Bonauenturæ.

Francis. Xauer. li. 6. vita sua c. 7. Bonau. li. 1. de profectu Religiosorum cap. 4.

Hinc erit intelligere, quæ causa sit, quod toties audiatur, & diuina bonitate reipsa probetur, Societatem magna suauitate agere & procedere. Suauitas hæc in Societate non est, eo quod in ea non sint res arduæ, & quod superiores teneantur admittere quodcunque volumus: Sic enim Religio non esset. Multa ardua & difficilia in Societate sunt, vt iam dicetur. Sed suauitas hæc in eo sita est, quod omnes ibi mortificationi & veræ sui abnegationi studere, omnes indifferentes & resignati in omni re, quam superiores iubent, esse debent. Hæc bona dispositio, indifferentia & resignatio, quæ ibi est, causa est magnæ suauitatis, quæ in Societate reperitur, tam in regimine & iussu Superiorum, quam obedientia subditorum, omnes enim in potestate Superiorum sunt, vt pars luti in manu figuli, vt ex ea fingat quod vult. Et hoc fuit artificium & mirabile propositum B. Patris nostri à Spiritu sancto directum tam mortificationi huic & sui ipsius abnegationi insistendi. Quasi dicere voluisset: In Societate sunt ardua & difficilia, & vt quisque ad ea exequenda promptus, & dispositus sit, & vt Superiores non timeant nec vereantur illa iubere; ponimus ipsis pro fundamento mortificationem, & sui ipsius resignationem; Ideoque omnes intelligant, se debere esse tam indifferentes, & resignantes in Superiorum manus, vt de se ipsis statuant quod volent, vt lutum est in manu figuli, & pannus in manu factoris, qui de eo agit vt vult, partem manicis, partem dorso, partem ventri, partem collo, partem fimbriæ accommodat, & tam vnus quam alter idem pannus est, & tam bonum est lutum, ex quo vasa mensæ, & ex quo culinæ finguntur, totum enim *ex eadem massa* sumptum est, teste Apostolo Paulo. Sic omnes erunt commilitiones & coæui in Societate, & forsitan ille qui docebat initia Grammatices tam aptus erat, quam qui arces & Theologiam, & tamen non queritur lutum nec pannus: *Quid me fecisti sic*? Sicque causa & radix suauitatis, quæ in Societate est, in te sita est, & quod valde mortificatus, indifferens & resignatus sis in omnibus, & quod nulla in te nec resistentia, nec contradictio reperiatur, nec interior, nec exterior quodcunque iubent Superiores. Et si facilitatem & suauitatem hanc in obediendo ex iis quæ occurrũt minime sentis, non superiores culpa, nec de iis conquerere, sed de te potius vt non disposito nec mortificato vt conueniebat. Superior facit, quod sui muneris est, & credit te Religiosum esse, & vt talem mortificatum, & indifferentem ad omnia, nec opus esse tuam consulere voluntatem, & te bene dispositum quærere, semper enim dispositus esse debebas & paratus ad omnia, quæ obedientia iuberet.

Multa ardua & difficilia sunt in societate.

Bona dispositio causa est magnæ suauitatis.

Simile.

Ad Rom. 9. 21.

Ad Roman. 20.

Imo potius superior magno te honore afficit, quod te talem putet, & vt cum tali agat, & vt tali mandet. Quando lapis bene aptatus est, quanta cum facilitate faber murarius illum locat? solum demittit: sed dum nondum aptatus est multis malleolorum ictibus opus, vt apte locetur.

Hinc etiam res consideratione digna oritur, quam etiam notat S. Bonauentura. Quod cum interior mortificatio multo difficilior sit pœnitentiis exterioribus, vt supra dictum, quod tamen quis se de exte-

Bonau. li. 15. de profectu Religiosorum cap. 3.

exterior ib. pœnitentiis plus excusare potest, quam de interiore mortificatione. Quis enim dicere potest, non suppetunt vires ad tamdiu ieiunandum, nec cilicium ferendum, nec tot disciplinas tolerandum, nec discalceatum incedendum nec ad media nocte surgendum. Nullus vero dicere potest: Non suppetunt vires nec sanitatem, vt sim humilis, patiens, vel obediens vel resignatus. Bene poteris dicere, virtutem non habeo pro tanta humilitate, vel tanta obedientia & resignatione, vt est necessaria in Societate: sed sanitatem non habeo ad illa, dicere non potest. Ad hæc enim corporales vires necessariæ non sunt, sed spirituales; nam fortis & debilis, ægrotus & sanus, magnus & paruus hæc omnia diuina fauente gratia possunt.

Quod sane quibusdam magno solatio est, qui pusillanimitatis tentationem sentire solent, dum sibi persuadent, se qualitatem & capacitatem non habere, vt tam alto & sublimi fine potiri possent, qualis est ille Societatis. Narrat Sacra Scriptura libro primo Regum, Saul iussisse nunciari Dauidi, quod vellet ipsi dare filiam suam nuptum; Respondit Dauid: *Num parum videtur vobis generum esse Regis? ego autem sum vir pauper & tenuis.* Rex rursus iubet ei renunciari: *Sic loquimini ad Dauid: Non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philisthinorum, vt fiat vltio de inimicis Regis.* Idem hic respondere licet, Deus his qualitatibus non eget, nec his dispositionibus & talentis, quæ obiicis. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Quod petit, est, vt circumcidat istos Philisthinos, paucos appetitus & inclinationes.

1 Reg. 18. 23. & 25.

Quid Societas à nobis exigat & petat.

Idem à nobis exigit & petit Societas, & ideo si voles, aptus ad eandem eris. Labora esse valde humilis, & valde indifferens & resignatus in omnibus, quæ de te statuere volent, & hoc sufficeret. Deus liberet te à vanitate & superbia: Deus faxit, ne amicus propositi & commoditatis tuæ sis, & ne quæras delicias & honores, & cum superioribus simpliciter & sincere agas: hoc enim si fiat, nulla tibi difficilior religio reperietur. Humili vero, mortificato, pauperi spiritu, indifferenti & resignato, & ei qui propriæ voluntati renunciauit, omnia quæcunque in Societate sunt, facilia & suauia fiunt.

Vnde æquum est, Deo nos gratos esse, & agnoscere magnam gratiam & beneficium nobis collatum, vt quamuis in Societate multa ex se difficilia & laboriosa sint, tamen illa nobis tam facilia factu & suauia reddidit: plures enim exteriores pœnitentiæ ibi reperiuntur, quam regula statui poterant, vt ante diximus.

Æquum vt Deo simus grati ob beneficia nobis collata.

Et quod ad interiores & mortificationem attinet, quæ aliis teste D. Augustino maiores & excellentiores; habemus multa in regulis & constitutionibus nostris tantæ perfectionis & tam difficilia, vt multo omnes pœnitentias & austeritates exteriores excedant. Sed id vsu probemus.

Cano. 17. congregationis. 5. generalis. Regu. 6. summarii.

Aliquem enim debere rationem reddere Superiori & Præfecto rerum spiritualium, omnium eorum spiritualium, omnium eorum quæ in animo suo latent, omnium motuum, tentationum & malarum inclinationum, defectuum & imperfectionum, quod tam petitur & vsurpatur in Societate, & est verum ex substantialibus punctis eiusdem, facile declarat, id ex se esse difficilius ieiunio, disciplina & cilicio. Idque quod mandat regula: Ad maiorem in spiritu profectum, & præcipue ad maiorem submissionem & humilitatem propriam contentus esse quisque debet, vt omnes errores & defectus ipsius, & res quæcunque, quæ notatæ in eo & obseruatæ fuerint, Superioribus per quemuis, qui extra confessionem eas acceperit, manifestentur. Quod sane tale est, vt magna humilitate & mortificatione opus sit.

Hinc ne querare, si tibi ante non indicetur, & si forte plus æquo exaggera-

tus sit defectus. Sed nec hic finis est, sed ita dispositus esse debes, vt publice te reprehendant, non tantum legitima de causa, sed etiam ob omnino nullam. Et etiam quando falsa in nos insurgunt testimonia, vult Pater noster non solum nos dispositos, sed etiam lætos esse, nulla tamen ad id per nos data occasione, & vt mundani homines quærunt, magna diligentia honores & magni nominis existimationem; sic nos contumelias, falsa testimonia, & iniurias pati debere. Vnde apparet quanta virtute opus sit.

Non solum dispositi sed etiam læti debemus esse.

Præterea debemus esse indifferentes in omnibus officiis, ministeriis & occupationibus, quæ ab obedientia iniunguntur, & in quocunque gradu, ad quem Societas nos dirigere volet. Et quandoquidem in Societate tam diuersa sunt officia & gradus, & vnus altero sublimior, esse indifferentem ad abiectissimum, & eo tam contentum, quam si in altissimo officio constitutus esset, maximæ est perfectionis, & vbi magna mortificatio requiritur.

Indifferentes erimus in omnibus officiis.

Semper dispositus & paratus esse debes ad proficiendum in quamcumque mundi plagam & ibi dicta officia exercendum, non solum in alio collegio, sed etiam alia prouincia, & alio extero regno, & in India Orientali & Occidentali, Romæ, in Germania, in Anglia, & Transiluania, vbi numquam posses visere parentes & amicos, sic vt te videndi amplius spem omnem abiiciant.

Ad proficiscendum dispa ratus & paratus quilibet erit.

3.p.tra.3.c.7. Quod ad paupertatem attinet; eandem Societas tanta austeritate & rigore profitetur, vt nullus in cubiculo delicias aliquas habere possit, non tantum ad esum, sed ne librum quidem, in quo liceat lineam ducere, nec secum ad aliud collegium transferre.

Et tam nudi & omnibus excuti esse debemus, (vt dicetur, cum de paupertate & egestate agemus,) vt claustrum arcæ addere non liceat, ad quod in ea conseruandum, sed omnia patula, aperta & manifesta esse debent, quasi dicere volentes: Cape si vis, non est meum.

Hæc & alia his similia, quæ in Societate sunt, clare demonstrant, quam omnes pœnitentias & austeritates exteriores difficultate superant; & ideo quicunque rigide secum agere volet, & se valde mortificatum reddere, & magna pœnitentia vti (quæ boni spiritus tessera est) id plenis manib. in Societate perficere poterit.

Et licet aliqui fuerint, qui tentatione vexati voluerunt celare & velare tentationem maioris perfectionis colere, & facere plus pœnitentiæ in vna quam altera religione; tamen sciendum hanc non fuisse causam nec finem eos mouentem; sed quia tolerare nequiuerint, mortificationem & perfectionem, quæ in Societate viget. Et huius habemus experimentum ab illis ipsis extortum, & quod plus est declaratum à Sede Apostolica, videlicet Pio Quinto, qui fuit Ordinis Sancti Dominici, in bulla Societatis data contra apostatas, qui eam exeunt vt deficiant ad mundum vel alios ordines, excepto Carthusianorum. In qua expositis perfectione, difficultate & magno labore, quæ sunt in instituto Societatis declarat tentationis radicem, quam aliqui sumunt, vt exeant, vel ad alios ordines transeant, his verbis: *Nihilominus nonnulli animi leuitate, vt credebatur, ducti, ac quietem labori, cui proculdubio Religiosi Societatis huiusmodi pro excolenda & propaganda Christiana Religione continuo erant expositi, ac priuatum commodum publicæ tam dictæ Societatis quam Christianæ reipublicæ vtilitati indiscreta præferentes, fucatisque coloribus asserentes se id facere ob frugem melioris vitæ aut strictioris obseruantiæ, ad alios fratrum mendicantium Ordines transire posse iactabant.* Sic vt verum fatendo, id non fiat desiderio maioris perfectionis, nec maioris pœnitentiæ, sed solum vt laborem & difficultatem fugerent, & quod aptitudinem & vires in se non sentiant ad tantam perfectionem & mortificationem parandam, & ad tantam indifferentiam & resigna-

ſignationem, quanta in Societate requiritur, acquirendam. Hinc tam in mortificatione Pater noſter perſiſtebat, volens vt ea exerceamus & fundemus, & id totum omnium ſtudium ſit.

CAPVT VIII.

Mortificationem non eſſe odium, ſed non ſolum animæ, verum etiam corporis verum amorem.

QVandoquidem dictum, & Sancti docent Sacris Euangeliis congruenter nos noſipſos odio habere debere, idemque durum & naturæ noſtræ repugnans videtur, vt nemo turbetur hoc audiens, ne inde occaſionem captet animo cadendi & ſe non mortificandi, aperiemus hic, hic non eſſe odium nec horrorem, quo nobis male volumus, ſed verum non ſolum animi, ſed etiam corporis amorem: ſed potius contra, non ſe mortificare eſt vere ſe odiſſe & non horrere ſolam animam, ſed etiam corpus. Dicit S. Auguſtinus ſuper illa Apoſtoli: *Spiritus concupiſcit aduerſus carnem: Abſit fratres mei, abſit vt Spiritus concupiſcendo contra carnem oderit carnem.* Quid ergo ibi odit? *Vitia carnis odit, prudentiam carnis odit, contentionem mortis odit.* Non odit ergo carnem, ſed potius diligit eam mortificando & reſiſtendo. Medicus enim non ægrotum ſed morbum odit, & cum illo pugnat, ſed potius amat ægrotum. Idq; clare demonſtratur: nam aliquem amare eſt ei bene velle, vt dicit Philoſophus, & illum odiſſe eſt ei malum imprecari. Qui ergo hoc agit, vt corpus mortificet, & ei appetitus & inordinatos affectus ſubtrahat, in eo totus eſt, vt maximum illi & ſummum bonum paret, videlicet æternam quietem & gloriam, ſicque ſuum erga id verum amorem indicat: Sed qui non agit, vt id mortificet, ſed illud prauas propenſiones, & appetitus ſequi permittit, parat ipſi maximum malum, quod ei accidere poteſt, id eſt, infernum

Auguſt. lib. ſerm. de verbis Apoſt. ſer. 6. ad Galat. 5. 7.

Auguſt. l. de moribus eccleſiaſt. c. cap. 26. & li. 14. de Trin. cap. 14.

Ariſtot. li. 2. Rhetor. c. 4.

ſemper duraturum, ideoq; hic vere corpus ſuum odit. Hinc Propheta: *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam*, quia æternum ipſi procurat infernum. Eandem ob cauſam dicit Auguſtin. poteſt dici, quod etiam corpus oderit, illi enim idem malum acceſſit. Hincque eſt quod Theologi dicunt iuſtos & bonos ſe inuicem plus amare quam peccatores & malos, non ſolum quantum ad animam, ſed etiam ad corpus: ipſi enim exoptant verum bonũ, quæ eſt æterna felicitas, cuius etiam corpus ſuo modo particeps eſſe debet. Addit D. Thomas ob eandem rationem, quod iuſtus corpus ſuum amet, non quocunq; amore, ſed caritatis amore, qui eſt præcipuus & maximus amor.

Pſal. 10. 6. S. Thom. 2. 2. q. 25. art. 5. & 7.

Hoc duorum ægrotorum exemplo clare patet, quorum alter edit & bibit, quod ſapit, & venæ inciſionem auerſetur, nec medicinam aliquam recipit: alter vero omni diligentia ſe regit & tuetur, & quamuis ſitiat & eſuriat, nihil cibi vel potus admitrit, pharmaca licet amara, ſumit, venam incidi patitur, quamuis doleat. Certum eſt, ſecundum hunc corpus & vitam & ſanitatem pluris facere, & ad eam adipiſcendã & conſeruandam malle aliquid pati, & potionis admittere: priorem vero ſe necare, eo quod ſitim & difficultatem aliquam tolerare nolit. Idem ad propoſitum facit. Ideoque dicebat S. Bernardus quibuſdam ſæcularibus, qui ſuos monachos mirabantur tam rigide tractare corpora ſua, quibus eos infenſiſſimos hoſtes eſſe dicebant; ipſos potius corpore odiſſe, quibus æterna ſupplicia parabant concedendo breues & ſtatim perituras voluptates: ſed monachus vere corpora amare, breui illa tempore affligendo & præparando æternam quietem.

Mortificationem etiam corpori non obeſſe oſtenditur ſimili.

Odit corpus qui illud delicate paſcit.

Hoc verum eſſe clare in Euangelio demonſtrauit CHRISTVS, dum enim dixiſſet: *Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me*; ſtatim rationem ſubiungit: *Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam, qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* In hæc verba di-

Matth. 16. 25.

August. tr. 51. super Ioannem.

ba dicit Sanctus Augustinus: *Magna & mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor, vt pereat, odium, ne pereat.* Examinate & ruminate sublimem & mirandam hanc CHRISTI sententiam, quod amando homo vitam & carnem dicitur illam odisse, & eandem odio habens, amare. *Si male amaueris, tunc odisti, si bene oderis, tunc amasti.* Sic enim male amas amore inordinato, odisti, & si noueris odisse, amasti, sic enim illam custodis in vitam æternam, vt idem Dominus testatur: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Hinc idem Sanctus concludit: *felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando. Noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita.*

Ioan. 12. 25.

Æger pedem secari permittens non odit eum, Ita qui mortificat corpus suum id amat.

In confirmationem huius aliam rationem adfert S. Augustinus: Aliquis (dicit) non desinit amare quid, quod non aliud plus hoc amet: Idque duobus exemplis ad id probandum declarat. Certum est, ægrum non desinere amare pedem vel brachium, quando consentit id secari, quando id ad vitæ conseruationem est necessarium. Satis illa amat, sed maiore amore vitam prosequitur, & ideo permittit minus perdi, vt conseruet maius. Certum etiam est auarum nummos suos amare, & summo desiderio conseruatos velle, tamen illos erogat ad emendum panem & alia familiæ necessaria. Quamuis enim multum nummos amet, tamen magis vitam amat, ideoque perdit quod minus, ad custodiendum quod maius. Similiter homo non desinit amare carnem dum illam mortificat, sed quia magis animam diligit & vitam æternam. Et quia animæ & ad perfectionem parandam, & æternam felicitatem necessaria est mortificatio & carnis afflictio, hinc eam mortificat & durius habet: Idq; non est odium nec amoris defectus, sed maior Dei & animæ amor, & perfectio.

Amarus non odit nummos eos ad panem comparandū erogans, ita nec mortificans corpus.

CAPVT IX.

Qui se non mortificat, non solum non spiritualem, sed ne rationalem quidem vitam viuit.

D. Augustinus dicit, alia vita viuere bestias, alia Angelos & alia homines. Bestiarum vita tota reb terrenis occupatur, & satisfactione appetituum: Angelorum vero solum cum Deo tractat, & de cœlestibus agit. Hominum vita inter has duas media est, quia vnius & alterius naturæ particeps est, si ergo secundum spiritum viuit, similem se Angelis reddit & eorundem socium: sin secundum carnem, se bestiis similem & earum sacrum reddit. Id recte cum eo, quod D. Ambrosius ait, conuenit: *Qui secundum corporis appetentiam viuit, caro est: qui secundum præcepta Dei, spiritus est.* Ideo que qui secundum carnis appetitus viuit, non solum non viuit spiritualem, sed ne rationalem quidem vitam, sed animalem & bestialem. Hoc solum animum nobis addere deberet ad mortificationem.

Aug. serm. 18. super Ioannem.

Ambros. Ps. 118. Octonario 4. super illud: Adhæsit pauimento anima mea.

Quid enim generositate & nobilitate hominis, creati ad Dei imaginem & similitudinem, & vt eo æternum frueretur, indignius esse potest, quam bestiis similem esse? & se seruum tam fœdæ rei, vt est caro & sensualitas, facere? seque eidem subiicere eiusque nutum sequi, & rapi furioso impetu bestialis appetitus?

Seruire, sensualitati turpe est cū quis fiat seruus eius.

D. Bernardus inquit: *Dominam seu rationem ancillari, & ancillam dominari magna abusio est.* Hic ille inuersus ordo, quē Salomon dicit se vidisse: *Vidi seruos in equis & principes factos & principes ambulantes super terram quasi seruos*, & seruitutem seruientes. D. M. Ioannes Auila dicit: Nonne monstrosum & admiratione dignum tibi videretur, si bestia aliqua hominem freno regeret, & ad lubitum, quocunque vellet, duceret, & illa regeret,

Bernard. c. 3. Meditat. Ecclesiast. 10.

Appetitus corporis frenandi.

geret, quæ regi deberet? iam vero quia tot sunt & magni & parui, qui appetitus sui freno reguntur, hinc est quod non id animaduertamus, & non nos in admirationem rapit hoc monstrum: quod maxime commiseratione dignum De Diogene refertur, quod meridie per feram Athenis lumine accenso iuerit, quasi quid quæreris, & interrogatus: quid quæreret? responderit se hominem aliquem quærere. Et cum ei dictum esset, locum hominibus plenum esse, dixerit illos non homines sed bestias esse, hominum enim vita non viuere sed bestiarum, sequentes appetitus suos bestiales. Elegantem alteram, sed tamen propriam & rei declarandæ accommodam similitudinem adfert D. Augustinus: *Qualis est in oculis hominum, qui inuersis pedibus & capite deorsum ambulare videtur, talis est in oculis Angelorum, cui caro propria dominatur*, & ratio seruit. Quem id non pudeat? Imo Seneca id sensit & optime dixit: *Maior sum & ad maiora genitus, quam vt mancipium sim mei corporis.* Sententia digna sane, vt à Regiosa & quolibet Christiano animo imprimatur. Si Ethnicus sola luce naturæ instructus id senserit, & eum id puduerit, quid faciet Christianus luce fidei illuminatus, & Religiosus tantis Dei donis & benedictionibus ornatus? Ideoque ait D. Augustinus, quod qui huius verecundia non tangitur, eum sensum amisisse, & ratione excidisse. Idq; aliud monstrum omni admiratione dignum erit, aliquem factum bestiam, & id tamen non animaduertere.

August. ser. 5. ad fratres in eremo.

Seneca epist. 65.

August. l. contra mendacium ad Consentium.

Gal. l. de cognoscendis curandisque animi morbis.

Ira non domita in blasphemias erumpit.

Narrat de se quidã Philosophus, quod iuuenis viderit festinantem hominem vt claue ostium aperiret, sed contra ac rebatur ei contingit, portam enim aperire nequiuit, quantumcunq; operæ impenderet, & quia magna festinatione ibat, & aperire non potuit, tanta ira & furore correptus fuit, vt clauem dentibus morderet, & pedibus in ostium insiliret, sed hic furor non stetit, sed blasphemias in Deum euomuit, & ore spumam eiiciens mente captus videretur, oculosque furore exsulturos capite apparet. Philosophus hic ait, quod hæc intuens tantum in se sensit iræ & furoris odium, vt illum post nemo viderit iratum, vt huic similis non esset. Omnia hæc adminiculo nobis esse deberent ad viuendum vt homines ratione præditos, & nos ab appetibus rapi non permittendum.

Philosophus quidam videns iratum valde iuuenem, ab ira prorsus imposterum abstinet.

S. Hieronymus super illud Iob. *vir erat in terra Hus nomine Iob.* dicit virum fuisse, & reddit rationem supra allegatam: *Non enim in terra carnis eius animam ipsius superabat, sed imperantis animi consilio cuncta faciebat.* Caro enim non dominabatur, nec imperium habebat, sed illam subiugabat, & quidquid agebat ad rationis normam fiebat, secundum quod dicit Scriptura: *Super te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.*

Hieronymus. Iob.1.1.

CAPUT X.

Maioris esse laboris non studere mortificationi sui ipsius, quam eidem intendere.

POsset dicere quis: Satis mihi constat vtilitas & necessitas mortificationis, sed oculis obseruatur difficultas & labor, & illa me abstrahunt. Hinc cum S. Basilio primum respondeo: Si causa corporalis sanitatis lubentes amaras pectiones sumimus, & permittimus, vt vel medicus, vel chirurgus secet & vrat, quod vult, & si homines ad accumulandas diuitias & nummos, tantis se periculis mari & terra exponunt; æquum etiam fuerit, vt pro salute animæ spirituali, & ad æternas gloriæ diuitias parandas aliquam difficultatem admittamus, & laborem aliquem sustineamus.

Æger vt sanetur sectiones patitur.

Quia tamen natura hoc nobis indidit, vt labores fugiamus, & nihil nisi coacti perpetiamur, vellemus quidem id

quam minimum esse. Secundo dico maiorem subire laborem, qui mortificationem fugit, quam qui se mortificat. Ait D. Augustinus: *Iussisti Domine, & sic est, vt pœna sua sibi sit omnis animus inordinatus.*

August. li. 1. Confess. c. 12.

Confusio hæc, quam quis in se habet ab appetitu contra rationem, & ratione ad Deum, excitat in homine magnam turbationem & inquietudinem, idque est commune in omni re.

Inordinata inquietant.

Quid enim in mundo est inordinatum & confusum, quod natura non sit inquietum & turbis plenum? Os loco suo motum quos non doloris excitat: elemenmentum situ suo naturali carens quam non vim patitur? Cum ergo homini ratione prædito nil tam naturale, quam secundum rationem viuere, si idem ille inordinate, & contra rationem viuat, quomodo natura non obloquitur, & murmurat propria conscientia? Valde bene dicebat S. Iob: *Quis restitit ei* (Deo) *& pacem habuit?* quando sic viuitur, pax & quies nullo modo esse potest. Hinc est quod S. Iohannes in Apocalypsi dicat, quod bestiam adorantes die ac nocte requiem non haberent. *Nec habent requiem die ac nocte, qui adorauerunt bestiam & imaginem eius.* Si seruieris huic bestiæ carnis & sensualitatis tuæ, nunquam requiē nec pacem habebis.

Iob. 9. 4.

Apocal. 14. 11.

Nulla quies & pax immortificato.

Dicunt medici sanitatem & bonam corporis dispositionem in tempore, & proportione humorum sitam esse, & quando eidem ea proportione & temperie, qua opus est, curent, tunc morbos & dolores prouenire, & quando illi temperati bona proportione sunt, sanitatem existere, & exterius lætitiam & vigorem esse. Sic etiam salus & recta dispositio animæ nostræ in proportione & passionum moderatione consistit, quæ ipsius humores sunt: & dum illæ temperatæ & mortificatæ non sunt, adducunt spirituales morbos; sin temperatæ sunt, salus & recta dispositio in anima est, quæ in eo, qui illam possidet, magnam quietem, & hilaritatem parat.

Pax animæ est passionum moderatio.

Dicunt vero, & recte, passiones animi nostri idem esse, quod ventos in mari: vt enim venti mare turbant & inquietum reddunt, sic etiam passiones animum nostrum exagitant, & appetitu & motu suo inordinato quietem impediunt. Iam surgit passio iræ, quæ nos turbat & inquietat, iam flat superbiæ & vanæ gloriæ ventus, iam nos ad se trahit impatientia & inuidia. Hinc dicebat Propheta Isaias: *Impii autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest*: sed ventis sopitis statim est tranquillitas in mari. *Imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* Sic etiam si tu possis imperare ventis passionum & appetituum tuorum, & eos sopire mortificando & moderando ratione, statim erit tranquillitas & pax magna, sed dum hoc non facies, magna erit tempestas.

Passiones sunt instar ventorum.

Isai. 57. 20.

Matth. 8. 26.

Vt vero clarius intelligatur, magis laborare eum, & grauiorem tollere crucem, qui mortificationem fugit, quam qui se mortificat; veniamus ad magis specialia, in quibus id quotidie magis experimur. Attende qui sis, quando te passione iræ vel impatientiæ abripi pateris, & proximo iracundum verbum dicis vel aliquid te indignum & scandolosum egisti. Dic mihi, quid tristitiæ & inquietis quid pœnitentiæ & doloris senseris, an non hic plus laboris & pœnæ animaduertis, quam in te mortificando sensisses? nullus hic dubitandi relinquitur locus. Considera quos timores, quas suspiciones sentit Religiosus non mortificatus, non indifferens & resignatus ad quidlibet, quod obedientia illi imponere vellet: vnum solum ipsi contrarium sufficit, vt in continuo labore & dolore sit.

Non indifferens plenus est suspicionibus.

Id enim est, quod ei semper & primum ob oculos versatur, & quamuis Superiores ne quidem cogitent id ei iniungere, & tale sit, vt possit fieri, & solet imperari

perari, & nesciat quid fiet, semper est in continuo metu & suspicione id ei iniunctum iri. Idem est, ac si quis pedem habens vulneratum, putet sibi ab omnibus illis dolorē vel vulnus infligendum, quod & non mortificato contingit, veretur enim sibi id, quod horret, imperandum.

Resignatus nil metuit.

Religiosus vero mortificatus, indifferens & ad omnia resignatus semper est contentus, hilaris, & nihil metuit. Præterea considera, quid pœnæ & turbarum patiatur superbus, quando se post habitum & præteritum videt, & dum magni momenti negotiis & honorificis impendi non attendit, vt petebat: Similiter inspice timorem & anxietatem, qua capitur, quando illa ei iniunguntur, & quando in publico aliquid ei faciendum, perpendens quomodo succedet, & si inde forsitan hoc dedecus velaturus, vnde honorem sperabat Superbia vndiq; cruciat & affligit: status profecto miseratione dignus.

Paßiones sunt tortores animi.

Idem in omnibus aliis videre est. Vestræ passiones carnifices & tortores vestri sunt, qui vos æternum cruciant, dum mortificationi non studebitis. Idque verum est, nam iam fit, quod quis optat, iam non, dum enim non fit, quantum cruciatus desiderium dilatum animæ adfert. *Spes quæ differtur, affligit animam.* Dum etiam videt desiderio suo fieri satis, & voluntatem compleri, adfert illi cruciatum & dolorem, vel enim fecisti tuam voluntatem, & desiderio potitus es, & in eo nihil mereris, quia pro lubitu tuo fecisti, & quia volebas, & sic omnia in amaritudinem versa sunt.

Prou. 13. 12.

His accedit morsus conscientiæ, quem patitur, qui mortificationi sui ipsius non intentus est, nec munere suo fungitur, quid enim satisfactionis habere potest Religiosus, qui aliam ob causam religionem non intrauit, quam vt suo studeat commodo, & perfectionem anhelaret, si in eo totus non est: certum, cum in dolore & cruciatu vestari: Idemque de omnibus, cuiuscumque conditionis sint, iudicium. Vermis enim rodens & consumens conscientiam, quem nobiscum fecimus, si muneri nostro non facimus satis, rodit & consumit præcordia.

Vermis conscientia est negligentiæ in mortificatione.

Recte ergo M. Auila: In vna parte libræ ponantur labores, quos tolerat quis diligens, qui cum feruore vitam agit, & mortificationi intentus est: in altera vero illi, quos quis non mortificatus & tepidus fert, quia illos refugit; inuenietur hos illis millies grauiores & molestiores esse.

M. Auila lib. epist.

Mira sane res est, illum qui diligenter Deo in vigiliis, orationibus & omni labore & mortificatione seruit, plus voluptatis & recreationis inuenire, quam tepidus & languidus in colloquiis, delectationibus & vanis desideriis, & propriæ voluntatis obtemperatione, exterius ridet tepidus, & intus roditur, & lacrymatur iustus, & hilaris est corde. *Iter pigrorum quasi sepes spinarum*, dicit Sapiens: quod etiam Deus per Prophetam Oseam dixit: *Ecce* ego sepiam viam tuam spinis. Deus voluptatibus dedit mœstos conscientiæ morsus, & oblectationibus amaritudinem, & satisfactioni voluntatis dolorem, & cruciatum.

Feruidus plus capit voluptatis in vigiliis quā tepidus in recreationibus.

Prou. 15. 19.

Hic inuenit tepidus & piger spinas, ad cor pungendum & perfodiendum. Via vero iustorum plana & salebris est *via iustorum absque offendiculo.* Quantam pacem & satisfactionem habet Religiosus mortificatus, & qui cum solicitudine profectui suo studet, recomplens quicquid Religiosi est: nulla delectatio huic similis reperitur. Id quotidie experimur, dum enim in Dei seruitio diligenter progredimur, sumus hilares & contenti: sed dum id tepide & negligenter fit, sumus tristes & anxii. Hæc sæpe tristitiæ & anxietatis nostræ causa est, vt suo loco dicetur.

Delectatio multa feruido Religioso.

Tract. 6. c. 4. & 6.

Sic vt quis volens minorē laborem fu-

gere

Iob.6.16. gere in maiorem incidat: *Qui timet pruinam irruet super eum nix*: dicit Iob. Dicis te amisisse mortificationem, vt laborem fugeres; ast ego dico, quod ob eam tantum causam debebas te mortificare, vt cum pace & quiete vitam duceres, quamuis aliud inde bonum non speraret, cum tamen infinita sint.

Capvt XI.

Incipit tractatus de exercitio mortificationis.

Abnegatio voluntatis, est medium opt. huius virtutis.

PRæcipuum medium, quod ex parte nostra ponendum, ad acquirendum mortificationem & de nobis ipsis victoriam, est sæpius nos exercere in abnegatione nostræ voluntatis, & resistere appetitui, & carni non indulgere, nec illi morem gerere. Hoc enim modo paulatim natura superatur, radix peccati educitur, & virtus paratur. Ad hoc S. Dorotheus valde vtile consilium dat: Dum aliqua tibi passio vel praua inclinatio molesta est, si infirmitati tuæ adquiescis, & idem opere complere, certo tibi intelligendum & sciendum, quod hac ratione passio & praua inclinatio altiores radices aget, & fortior erit, & plus te impugnabit, & vexabit quam ante. Si vero viriliter passioni & prauæ inclinationi resistis hac ratione diminuetur, & quotidie debilior facta ad te impugnandum & vexandum, donec totas vires amiserit, tibi amplius molesta non erat. Hoc magni ponderis consilium est etiam contra tentationes ob eandem rationem, vt suo loco dicetur. Multum est principiis obstare, vt praua consuetudo nobis paulatim maiorem difficultatem non adferat.

Doroth. ser. seu doctr. 15. in biblioth. sanctorum Patr. tom. 3.

Virilis & Heroica resistentia eneruat & tollit vim passionum.

Tract. 4. c. 6.

Similitudo Equi furiosi qui Equitis calcarib. domatur.

Dicunt Sancti, eodem modo nobis cum corpore agendum vt equiti qui furioso & duri oris equo insidet, quem industria & viribus domat, & cogit ire quo vult, & tali gressu quo optat. Sic etiam hic frenum contrahendum, & calcaria non negligere, & hac ratione dominus corporis eris, & de illo statues, quod voles: si vero vires & dexteritas tibi non sit ad illud regendum tuique iuris faciendum, sui te iuris faciet, & te in aliquod præcipitum deiicit. Quando animal aliquod aliquo defectu laborat, aliud medium non est, quam id ei non permittere: Idem quoq; medium nobis sumendum, ad vitia & prauas carnis propensiones tollendas, eas illi non indulgere, sed in iisdem illi resistere, & cogere omnes eius appetitus & desideria.

S. Bern. epist. seu tract. ad fratres de monte Dei.

Cap. 2. & 4.

Hominis hostis maximus caro propria.

Vt vero maiori animo hoc exercitium aggrediamur, multum nobis proderit, si hoc nitamur fundamento, quod principio posuimus, hominem hanc exteriorem, nostram hanc carnem & sensualitatem esse maximum hostem & aduersarium, quem habemus, & eum vt talem nihil tam agere, quam vt male nobis sit, concupiscens contra spiritum, rationem & Deum. Vna præcipuarum rationum, ob quas Sancti ferunt sui ipsius cognitionem medium esse efficacissimum ad omnes tentationes seperandas; est quid qui in hoc se exerceret, probe perspectam habens debilitatem & miseriam suam, simulatque cogitatio, vel desiderium prauum ingruit, statim apparet illā inimici sui esse tentationem, qui illum decipere conatur, sicq; se contra illum munit, nec illi credit vel audit.

Doroth. doct. 11.

Manifestatio tentationum Superioribus confert plurimum ad eas superandas.

Ignorantia sui ipsius facilem ad lapsum viam sternit.

Qui vero se non nouit, nec id conatur, non videt aduenientem tentationem, nec eam pro tali habet, præsertim dum illa inclinationi conuenit, sed tentationem rationem ducit, & sensualitatem necessitatem credit, sicque facile tentatione vincitur. Hoc præterea maxime nobis auxilio erit, si recordemur, maximum nobiscum nos hostem circumferre, & omnes hos appetitus & tentationes, quæ nobis aduenniunt, à carne & sensualitate esse, quæ vt capitalis hostis nihil tam petit, quam malum tuum: & hac ratione facile te mortificabis & hostem profligabis: quis enim hosti fidere audeat?

S. Ber-

S. Bern. epist. seu tract. ad fratres de monte Dei.

S. Bernardus ad hoc aliam considerationem adducit dicitq; nos ad nos ipsos & corpus nostrum affectos esse debere, vt ad ægrotum nobis commẽdatum, cui negandũ id quod ei damno est, quamuis id instanter petat & valde desideret, & dandum quod ei vtile, quamuis ad id male affectus sit. Vtinam eo perueniremus vt nos ægros duceremus, & id semper in mente haberemus, omnes appetitus & desideria, quibus capimur esse ægrorum & inimici nostri persuasiones, qui nobis nocere studet, quam facile nos inde extricaremus & vinceremus: Sed si te non ægrum sed sanum, non inimicum sed amicum ducis, magno te periculo exponis. Qui enim resistes ei, quod malum non esse credis sed bonum, nec fraudem & deceptionem sed veritatem? Refert S. Dorotheus, quod dum ipse in monasterio curam haberet rerum spiritualium, & monachi ad ipsum referrent omnes suas tentationes, quodam die ad eum venerit quidam eorum, vt ei quandam gulæ tentationem narraret. Vt vero vna res aliam trahit, tentatio eo etiam progrediebatur, vt furto faceret edulia auferre. Dorotheus magno cum affectu quærebat, cur id faceret. Respondet alter, quod fames eo illum cogeret, & quod non sufficeret ei, quod in mensa dabatur. Monebat Abbatem accederet, & necessitatem suam ei exponeret. Mouebat alter difficultatem, se verecundia prohiberi ob causam huiusmodi superiotem adire. Exspecta ergo (aiebat) & iuuabo te. Accedit S. Dorotheus Abbatem, & refert monachi periculum. Abbas totum ei negocium committit, vt faciat, quod ei plus expedire videatur. Iubet ille vocari dispensatorem; & mandat, vt quandocunque monachus ille vel ientaculum vel merendam peteret, daret quod exigeret. Obtemperat dispensator, & lubenti animo dat, quod alter petit. Hinc melius se habere cœpit, & aliquot diebus non amplius furabatur; sed post aliquod tempus ad vomitum rediit. Quare multis cum lacrymis ad S. Dorothæum redit, agnoscens crimen, & pænitentiam petens, (hoc enim recte faciebat, quod statim vitium aperiret, quod efficax remedium est, vt non diu daret) petit alter, an dispensator nõ daret quod exigebat, & an vnquã negasset? Respondit monachus, Bene fecit dispẽsator, & dat quicquid peto, sed pudor impedit toties eũ adire. Impediretne etiã (inquit) me accedere, qui tentationẽ tuam noui, & mihi eandẽ indicasti. Dicebat alter, quod nõ. Quare mandat se adeat, daturũ se ei quod vellet, & quo indigeret, & ne posthac amplius furaretur. Habebat tunc tẽporis S. Doroth. curã infirmorum, & laute illum tractabat: sed breui iterũ ad prauã consuetudinẽ rediit, & culpã multo cũ gemitu exponit, rogãs sibi dimitti & pœnitentiam iniũgi. Dicit ei S. Doroth. Qui hoc fit frater? nihil impedit te à me petere & do tibi omnia necessaria, quare furaris? Ille ad hæc: Nescio vnde hoc accidat, nec quare furer peccatũ & praua consuetudo me eo impellit, nulla re indigeo, nec edo quod furor, sed iumento do, sicq; rẽ se habere experientia docuit, nã in eius cella ficus, vuas, poma & panis frusta inuenerunt reposita sub lecto, & ibi tã diu relinquebat, donec putrescerent: & ignorans quid de eisdẽ faceret, ad stabulũ deferebat, & iumẽto dabat. In quo (ait S. Dorotheus) facile videre erit miserã & infaustã conditionẽ, quo hominẽ ducit passio & praua cõsuetudo, & quanta nobis ratio sit, vt nos ægros & inimicos reputemus. Facile hic animaduertebat se male facere & deflebat & dolebat se id fecisse, & tamẽ videbatur se nõ posse cõtinere, vt amplius nõ faceret. Hinc recte dicebat Abbas Nischero, quod ille, qui se à passione & praua cõsuetudine rapi patitur, eius se mancipium & seruum facit.

Cap. 2. & 4.

Hominis hostis maximus caro propria.

Doroth. doct. II.

Manifestatio tentationum Superioribus confert plurimum ad eas superandas.

Ignorantia sui ipsius facilem ad lapsum viam sternit.

Parua consuetudo ad peccatum hominem impellit.

CAPVT XII.

Qua ratione in praxin deducendum exercitium mortificationis.

QVANDOQVIDEM mortificationis exercitium præcipuum est medium ad con-

consequendum victoriam & dominium de nobis ipsis, passionibus & appetitibus nostris, vtile fuerit, vt in speciali magis de eo agamus, declarantes rationem, qua idem in praxin deducendum.

In mortificatione vel maxime attendendum ad id quo plurimũ egemus.

Ordo & regula generalis, quam in similibus assignare solemus, est, vt oculorum aciem in id dirigamus, quo maxime indigemus, & id primum parare conemur. Incipe ergo hoc exercitium à causis mortificationis, quæ tibi occurrunt, & non illas quære, siue id fiat medio obedientiæ, vel fratrum, vel alia quauis ratione. Accepta lubẽs omnes has causas, & eas in vtilitatem tuam conuerte, hoc enim necessarium tam ad pacem & quietem, quam ad dãdum bonum exemplum & ædificationẽ.

Ad mortificationem feruor necessarius.

In mortificatione valde feruẽtes esse deberemus, quãdoquidem tanti nobis momenti est, vt superiores nobis rogandi & molestandi essent, vt nos in hoc & alio mortificarent, & mandarent, quod maxime nobis repugnat, & darent pœnitentias & reprehẽsiones particulares & publicas in ore omnium. Si tamen tam feruens non sis, accepta tamen patientia & beneuolo animo causas mortificationis tibi occurrentes, & à Deo ad tuum exercitium & commodum missas. Multæ sunt occasiones, quæ hoc in negocio nobis quotidie occurrũt, & si quis attẽderet cum desiderio se mortificandi, semper aliquid reperiret.

Occasiones passiones mortificandi studiosissime accipiendæ.

Aliquando enim in iis, quæ ad obedientiam spectant tibi persuadebis laboriosissimũ tibi imperari, & totum onus tibi imponi, cum tamen alii sint, qui id exequi possint. Et vnicuiq; in suo officio aliquo obueniunt, quæ in particulari ei laboriosa sunt, & mortificationi seruiunt. Has ergo occasiones, quas præ manib. habes, in cõmodum tuum verte, & ad illas te para, & tibi persuade difficultatem hanc crucem tuã esse, quę tibi tollenda, vt Christum sequaris. Alias mortificationis occasiones sese offerent in victu, vestitu & cubiculo, paude, pessimum tibi cecidisse, vt docet Regula. Alias tibi dabitur pœnitentia & reprehensio, & tibi videberis aliquando culpa omni vacare, alias quod saltem

Reg. 25 summarij constit. cap. 2.

non tanta sit, & quod res non vt gesta narretur, vel nimium exaggeretur. Ob omnia ista gaude, neque te excusa, neq; conquerere, neque te defende, nec omnibus satisfacere statim stude. Descendamus ad mortificationis occasiones, quæ ex parte proximorum & fratrum, quibuscum agimus & conuersamur, nobis obueniunt:

Varia occasio mortificationis exercendæ inter tres & proximos.

Hic etiam multas inuenire erit, etiam dum non volemus, nec animaduertemus, & etiam sine culpa nostra, aliquando quoque negligentia, quamuis non praua intentione. Aliquando occasio se offert, eo quod tibi contemptus & postpositus ab aliis videre. Si veniamus ad eas, quas Deus immediate morbis, tentationibus & occurrentibus difficultatibus immittit, & multum differente donorum suorum tam naturalium quam supernaturalium distributione, profecto innumeræ sunt, quæ quotidie occurrunt, quamuis eas ipsi non accersamus.

Ex necessitate facienda virtus.

Hæ sunt occasiones, in quibus nos primum exercitari conuenit, vt enim has mortificationes sæpius euenire necesse est, & eædẽ nobis etiã inuitis necessario tolerandæ sunt, ex necessitate faciẽda virtus, vt eas cũ fructu perpetramur, & præter spirituale commodum in eo sitũ multum laboris fugiemus, si beneuolo animo illas suscipiamus. Sæpius enim labor & difficultas, quæ sentimus, non tam sita sunt in rebus, quam in repugnantia & resistentia voluntatis nostræ, hincque eas bono animo amplectentes, multum labori detrahemus.

Mortificationum aliæ sunt actiuæ aliæ passiuæ.

Aliæ mortificationes sunt, quæ nostra voluntate exercendæ nobis sunt, & hinc eas aliqui actiuas dixerunt, ad discrimen præcedentium, quæ passiuæ dicũtur, quæ à nobis etiam inuitis tolerandæ, necessariæ tamen, & hinc primæ esse debent.

Mortificationum aliæ Christiano cuiuis bonæ & necessariæ aliæ maxime necessariæ.

Aliquæ harum cuiuis Christiano necessariæ, & bonæ sunt, vt seruetur, cuiusmodi est se mortificare in eo, quod inpedit seruare Dei mandata. Aliæ sunt necessariæ, vt aliquis bonus religiosus, & perfectionẽ cõsequatur, quale est se in eo mortificare, quod impedit regulã seruare, & bona cũ per-

perfectione facere. Certum enim est, non solum peccata, vt supra dictum, sed etiam vitia & imperfectiones, quæ fiunt in via virtutis, defectu mortificationis prouenire. Omnia siquidem accidunt, vel ad fugiendum & vitandum aliquem laborē, quem in benefaciendo sentimus, vel quia non abstinetur aliqua delectatione & voluptate, quam habemus in malo vel imperfecto, quod committimus. Percurramus omnia, & inueniemus, si deficimus in obedientia & regularum obseruantia, vel temperantia, vel silentio, vel modestia vel patientia, vel alia quapiam re, totum eueniet mortificationis defectu, vel quia laborem non toleramus, qui in ea re situs est, vel quia non abstinemus delectatione & voluptate, quam à contrario capimus. Sic vt si quis velit bonus esse religiosus & perfectionem adipisci, necesse ei sit vt se in his mortificet. Similiter vt quis sit bonus Christianus & saluus fiat, necesse ei sit vt se mortificet in omni eo, quod repugnat Dei legi. Ideoque dicebat Seruator noster: *Qui vult venire post, abneget semetipsum.* Et nisi se abneget & mortificet, non potest esse bonus Christianus & seruari. Similiter vt quis sit bonus Religiosus & perfectionem adsequatur, necessarium est te in eo mortificari, quod tibi hic est impedimento. Percurre ergo omnia, diei opera ab aurora vsque in vesperam, & aduerte quid te impediat regulas seruare, & bonum facere, & perficere ordinaria, & euince hunc laborem, & mortifica hanc delectationem, quæ te facit mala & imperfecta exequi: hacque ratione opera emendabuntur & perfectiora fient, & tu melior & perfectior eris Tota summa profectus nostri in hoc consistit, vt tandem aliquando hic resoluamus.

Necessarium est Christiano cuilibet se mortificare in eo quod repugnat legi diuinæ. Matt. 16.26.

Quærebat quodam tempore quidam: Quid causæ est, quod Deus mihi det bona desideria ad virtutem, & dum eorum se occasio offert, me debilem reperio, & in multa vitia labor, & nunquam ad perfectionem peruenio. Omnes vno ore respondebant, hoc prouenire consideratio-nis defectu: si hoc & illud considerares, idem te iuuaret. Exhibebant ei plurimas considerationes, sed nihil inde commodi referebat. Accessit tandem senem quendam bene expertum, qui respondebat, id nō euenire considerationis sed resolutionis defectu, eaque causa est, quod nō proficias. Resolue & propone te mortificare in eo quod supra dictum, & hoc modo perfectionem assequeris.

Plena resolutio obuia mortificationis cuiusque exercendæ certissima ad virtutem est via.

Capvt XIII.

Qua ratione nos mortificare debeamus in licitis, atque etiam in necessariis.

Videbatvr nihil aliud de praxi & exercitio mortificationis dicendum, quam vt modis duobus prædictis nos bene in ea exerceremus, hoc enim sufficit, vt quis sit bonus & perfectus Religiosus. Vt tamen melius eosdem compleamus, & promptiores & aptiores simus; ponunt Sancti & spiritualis vitæ magistri aliud exercitium mortificationis, in rebus, quas licito facere possumus. Vt Christianus bonus non contentus est facere opera obligatoria, necessaria ad salutem, sed addit alia deuota, quæ Theologi vocant opera supererogationis, non enim contentus est audiuisse Missam diebus præceptis, sed etiam audit in septimana, legit Rosarium Diuæ Virginis, & sæpius peccata confitetur & communicat: sic etiam bonus Religiosus non contentus esse debet seruasse regulas, & mortificare se in eo, quod ad obseruationem earum requiritur, sed aliæ insuper mortificationes super-erogationis addendæ sunt, ad quas à regula non obligatur, sese mortificans in aliquibus non necessariis, quæ licite facere poterat.

Mortificationibus necessariis aliæ ex licitis etiam addenda quas Theologi vocant opera supererogationis.

S. Doroth. ait nihil tam prodesse ad proficiendum in virtute, & acquirendam

Doroth. serm. 1. de obedientia & negatione propriæ voluntatis.

pacem & tranquillitatem, quam ſi quis voluntatem frangat, & modum docet, quo in horum mortificatione vtendũ eſt, quib. licite frui permittebatur. Vade quã viam, & voluntas iubet redire, & hac proſpicere; ne proſpice. Colloqueris cum aliquibus, ſuccurrit aliquid propoſito valde accommodum, videris ab illis habendus prudens & diſcretus; ne dixeris. *Suadet tibi cogitatio tua, adi coquum. & interroga, quid parat obſonii, non obtemperes. Cernit fortaſſe quippiam, ſuadet illi cogitatio, vt interroget, quiſnam illud attulerit*, ſi ſit emptum, aut datum, *non interroget.* Exempla duo ſunt, quæ idem ſanctus adfert. Videt præterea hoſpitem, vellet ſcire, quis eſſet? Vnde veniat? quo vadat? ad quid venerit? Noli ſcire, ſed in eo te mortifica.

Abnegatio voluntatis in rebus ſenſualibus efficax medium perfectius.

Dicit hoc exercitium S. Dorotheus plurimum prodeſſe ad parandum habitum propriam voluntatem abnegandi, nam ſi aſſuefaciamus nos eandem in paruis frangere, breui nequidem propriam voluntatem in maioribus habebimus. Vt enim, qui ſe bello parant, pacis tempore ſe in armis exercent, & iis ſe haſtiludiis aſſuefaciunt, ſed hæc ludicra ſunt, tamen neceſſaria, vt habiles ſint, quando vere bellum gerendum. Sic & Religioſe habitus mortificationis ſumendus, & voluntas ſuperanda in licitis, vt poſtea habilis & aſſuetus ad ſe etiam in illicitis mortificandum. Idem hoc exercitium etiam Sanctus Bonauentura docet nos mortificandi in paruis, ex ſe tamen licitis & quæ fieri poſſunt, ponitque pro exemplo, Si quis hortum tranſiens velit carpere vel non carpere florem, quamuis enim carpere, peccatum non ſit, tamen non carpere, mortificandi nos cauſa, gratius eſt Deo. Ideoq; ait Dei ſeruo ſæpius in corde dicẽdum, Domine Deus amore tui nolo hoc videre, vel illud audire, nec hoc edere, nec hoc modo me recreare. Fertur de Patre noſtro Franciſco de Borſa, quod dum Dux eſſet, multum delectaretur aucupio falconum & accipitrum, & ardearum captu, & ipſo tempore, dum falco ardeam prehendebat, oculos demitteret, vt ea voluntate priuarentur, & ipſe eadem recreatione, quam multa defatigatione & labore toto die quæſiuerat. Proprium ſeruorum Dei eſſe docet S. Greg. ſe ſpoliare licitis, vt tanto magis ab illicitis alienentur. Hinc tanti exercitium hoc à Patribus eremi fiebat, & eo diſcipulos educabant ſubtrahentes illis deſiderata, & imperantes eos operari, quod nolebãt in paruis, quæ ſine peccato & imperfectione nulla facere licebat, vt in omnibus propriæ voluntati renunciarent, & in maioribus ad arma parati eſſent. Beneq; de eo, qui in paruis his & facilib. mortificationibus proficiebat, ſperabant, eũ ad perfectionẽ peruenturũ, maleq; de alio ſentiebant, perſuaſum n. habebãt, voluntatẽ aſſuefactam, facere, quod vellet licet in paruis & nullius momẽti, rebellẽ futurum in abnegatione maiorum. Hæc ratio eſt, ꝙ Societas ſpecialiter hoc exercitio vtatur in principio cũ nouitiis, occupãdo eoſdẽ in diuerſis exercitiis & munerib. & iubens obſtinere eo, quod inceperunt, & reficere ꝙ fecerũt, & poſt ad idẽ redire, vt diſcãt non volũtati & appetitui obſequi, ſed ab ipſo principio aſſuefieri propriã volũtatẽ & iudiciũ abnegare. Sãcti vlterius in hoc exercitio progrediũtur: nón contẽti ſunt nos in licitis & iis, q̃ ſine peccato, & aliqua impfectione fieri poterãt, aſſuefacere, ꝓpriã volũtatẽ abnegare; ſed ẽt ſuadẽt vt aſſuefiamus mortificare & voluntatem negare in iis, ad quæ obligamur. Dicet vero aliquis: Qui poteſt hoc fieri? omittemuſne facere, ad quod tenemur, vt nos mortificemus? Dico nullo modo, hoc enim male fieret. *Non ſunt facienda mala, vt veniãt bona.* Quo pacto ergo hoc fieri poterit? Inuenerunt Sancti hic mirabile inuentum, conforme doctrinæ S. Pauli Aduertite (aiunt), & curate, vt nihil faciatis, nec cogitetis, nec loquamini, quod deſtinetur ad faciendũ ſatis volũtati aut appetitui veſtro, ſed anteq̃ edatis mortificãdus appetitus gulæ, & vobis non edendũ, vt bene ſapiat & vos cupiatis, ſed ſolum, quia id Deus iubet, qui vult vos edere vt

vitam

A paruis ad magnas volũtatũ abnegationes facilis eſt ſemita.

Bonau. & Bloſius c. 2. monil. ſpir.

Exemplum abnegationis ſenſuum.

Greg lib. 4. dialog. c. 11.

Cur ſocietas Ieſu Nouitios ſuos in abnegatione volũtatis exerceat.

Ad Rom. 3. 8.

Pallad. in histor. Lausiaca sect. 1.

Appetitus mortificandus etiam in rebus optimis.

vitam sustentetis. vt faciebat Abbas Isidorus, de quo refert Palladius, quod lacrymabatur quando mensam accedebat, & ibat obedientiæ causa. Antequam studeas, studii appetitum mortifica, & deinde stude, eo quod Deus sic velit, & tibi id imperet, & non ob voluntatem & recreationem tuam. Antequam concioneris, vel pulpitum docendi causa ascendas, appetitum & inclinationem, quam ad hoc habes, mortifica, & ne id feceris appetitus & animi causa, sed quia tibi imperatur, & Deus id vult, & sic eodem modo in aliis, relinquenda voluntatis tuæ proprietas, & faciendum quia Deus sic iubet. Rationi enim consentaneum non est, vt hæc nos vt seruos ad se trahant, sed vt hæc trahamus ad nos & Deum, eius causa illa solum facientes. Hocque est quod Apostolus dicit: *Siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

1. ad Cor. 10. 31.

Opera facienda pure propter Deũ non ob recreationem.

Punctum hoc præ cæteris præcipuum & spirituale est. Opera enim & munera non facienda ob recreationem vel propensionem, quam ad illa habemus, sed pure propter Deum, & quia ipse sic vult & iubet, assuefacientes nos in his omnibus facere non nostram sed Dei voluntatem, & in iisdem gaudere, non quia ex se appetibilia sunt, vel quia delectationem ibi capimus, & cum propensione nostra conueniunt, sed quia in his voluntati Dei obsequimur. Quicunque hæc fecerit, non solum assuefiet mortificare & negare voluntatem suam, sed etiam in omnibus voluntatem Dei facere. Quod altissimum amoris Dei & multi fructus & perfectionis exercitium est, vt alio loco dictum.

Per mortificationis species gradatim eundum.

Iam sat amplus huic exercitio datus campus, ideoq; qui volet habere speciale examen, ad voluntatem suam mortificandum & abnegandum (quod vtilissimum fuerit) ei per vias & gradus eundũ erit, vt præcedentibus capitibus declarauimus. Primo sumi poterit examen speciale ad nos mortificandum in iis, quæ vltro se offerunt, nec aliunde accersuntur. In quibus aliquot dierum negotium nobis facesseretur, etiam plurium, præsertim si eo perueniendum vt æquo animo non solum, sed etiã læto & hilari ferenda: qui est tertius & perfectissimus perfectionis gradus, vt suo loco dicetur. Secundo sumi poterit examen in mortificatione voluntatis in eo, quod nos impedit exequi ea, quæ necessario nobis facienda sunt, vt simus boni Religiosi, & regulas nostras obseruemus & procedamus cum ædificatione, quæ innumera sunt. Tertio in mortificatione aliquorũ, quæ licite à nobis fieri possunt, vt sic habitum & consuetudinem paremus valedicendi voluntati nostræ, & promptiores & paratiores simus ad maiora, quando sese obtulerint. Proponentes toties in his nos mane mortificare, & toties vesperi, incipientes principio à minori, & post plus adijcientes, prout quis plus minusue profecerit. Et quanto quis se magis mortificauerit, tanto melius fecerit, quamuis id fieret ad numerum granorum Rosarii. Vt aliquos in Societate nouimus, qui omnia percurrebant, totiesque se quotidie mortificabant, quot grana erant, & facile fuit eorum profectũ nosse. Quarto in iis, ad quæ obligamur, sumi poterit hoc examen, satagentes illa facere, non quia illa cupimus & delectationem in iis capimus, sed quia hæc voluntas Dei est. Quod exercitium tota vita durare potest, eo quod multæ perfectionis sit. Cui additur, quod hoc examen per eadem puncta ex via conformitatis voluntatis Dei sumi potest, & quod omnia ab ipsius manu proueniant, & ea ad maius nostrum commodum & vtilitatẽ mittat, cogitantes eumdem (Christũ nobis dicere: Fili, volo te hoc nunc facere vel pati; hoc enim modo id tanto facilius, suauius, vtilius, efficacius & perfectius erit. Hoc siquidem exercitium diuini amoris erit, quod omnia facilia & suauia reddit. Ista ratio: Hæc est voluntas Dei, Deus hoc vult, & hoc ei iam placet, superat, concludit & ligat homini pedes & manus.

1. In obuiis & vltra se offerentibus versabitur mortificatus.

2. In impedimentis perfectionis.

3. In licitis.

4. In iis ad quæ obligamur.

Lib. 2. c. 15. de vita P. Francisci de Borcia.

Legitur de Patre nostro Franciscifo Borcia, quod quodã tempore fere profectus sit Valle-oletissimancã, vbi erat domus probationis: multa nix cœlo cadebat, & ventus flabat frigidus & rigidus, & venit eo multa nocte, dum iam somnum caperent nouitii; magno satis spatio portam pulsabat, & flocci magni niuis cadebant, & quia primus sopor erat & porta multum ab habitatione distans, nullus audiebat nec respondebat. Sat longo spatio tẽporis elapso auditus fuit, & ei aperta porta, nouiciis magno pudore affectis, quod tam diu patrẽ moram trahere fecissent, vidẽtes enim frigore quasi enectum & trementem. Quib. tam gratioso vultu Pater respõdit: Ne doleatis fratres mei, certo enim scitote, Deũ, dum exspectarẽ, multo me fauore prosecutũ fuisse, cogitabã enim, Deum esse, qui niues demittebat, & ventos in me vibrabat, & quodcunq; facit, cum infinita hilaritate & recreatione facere, & mihi lætandum esse, dum animaduerterem Dei in me castigando & affligendo propensionem, & gaudendũ ob gaudiũ, quod in hoc opere habebat, leo enim vel aliud brutũ in præsentia magni Principis laceratur tantũ ad eũ exhilarãdũ. Similiter nobis omnes occasiones mortificationis accipiẽdæ sunt, & hæc delectatio & satisfactio nostra esse debet delectatio & satisfactio Dei.

Exemplum patientiæ iuxta ac mansuetudinis.

Capvt XIV.

Nobis id agendum, vt in eo vitio & passione, quæ magis in nobis regnat, & turpius nos labi facit, nos præsertim mortificemus.

Refertvr in primo libro Regũ, quod Deus per Samuelem Prophetã Saul mandauerit, vt perderet ipso facto Amalech, nec parceret nec viris nec feminis, nec pueris nec lactãtibus, nec armentis, nec pecoribus. Et dicit sacer textus: *Et pepercit Saul & populus eius Agag & optimis gregibus ouium & armentorũ, & vestibus & arietibus, & vniuersis, quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere. Quicquid vero vile fuit & reprobũ, demoliti sunt.* Sic aliqui se mortificant in paruis & leuibus, sed in maioribus magni ponderis, & plus ad rem facientibus sibi parcunt, & integri & viui manent. His ergo vt cõsulatur dico, preciosissimũ esse debere id, in quod oculos dirigere debemus ad mortificandum & Deo offerendum. Samuel statim accessit Saul, & eum obiurgans ex parte Dei ob factum ipsius, iussit corã se adduci Agag Regẽ Amaleck. *Et oblatus est ei Agag pinguissimus & tremens, & in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis.* Fecit de eo sacrificium Deo. Hoc præcipuũ esse debet, quod tibi Deo per mortificationem sacrificandum & offerendũ est. Agag iste tuæ arrogantiæ & superbiæ, qui in te præ aliis regnat, hæc impatientia hæc tetrica & dura conditio tua, hoc desiderium & appetitus gloriæ & æstimationis offerenda sunt.

1. Reg. 15, 9.

Omnes omnino passiones mortificandæ.

1. Reg. 15. 32.

Aliqui reperiuntur, qui omnem solicitudinẽ, omnem sanctitatẽ & perfectionem eo referũt, vt exterius, & in eo quod foris apparet, videatur, in modestia & gestu multum ædificante, & in exteriori nihil defectus animaduertatur, & nulla ipsis cura est de interiore mortificatione, quæ omnium pretiosissima & eminentissima est, sed habent voluntatem viuam & valde integram, vt & iudicium propriũ, & honorem & æstimationẽ. His potest dici id quod Christus Scribis & Pharisæis dicebat? *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis, quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia, Pharisæe cœce munda prius, quod intus est calicis & paropsidis, vt fiat id, quod deforis est, mundum.* Si enim modestia hæc exteriori non prouenit ex pace & maturitate interiori cordis, omnia erunt hypocrisis & simulatio. Nolite fieri (dicit Christus Redemptor noster) vt sepulchra dealbata, quæ foris pulchra videntur, & intus plena sunt ossibus mortuorũ & immundicia. Et eodem capite plus ad propositum nostrũ repræhẽdit eosdem Scribas & Pharisæos, dicens: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis menthã &*

Exterior mortificatio sine interiore hypocrisis damnatur.

Matt. 23. 25.

& anethum & ciminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam & fidem. Hoc est in terminis vt dicimus, aliquos esse, qui omnem lapidē mouent, vt se mortificent in rebus parui momenti, & nullius valoris, sed non tangūt hulcos, nec ad interiora & viua perueniunt. Hoc vero præcipuum est quod mortificandum est, videlicet illa passio, vitiū, inclinatio vel mala consuetudo, quę plus in nobis dominatur, quæ plus ad se trahit, & maiori nos discrimini exponit, & in maiores errores ducit. Experientia nos docet, vnumquemq; in se solere sentire, vnum, duo vel tria, quæ maius ei bellum mouent & profectum impediunt, & sunt causa sui interitus. Id ergo est id quod quisq; oculos dirigere debet, vt id tollat & cum radice per mortificationem euellat. Hincq; mandari solet, vt de hoc instituatur examen particulare, & in hoc præsertim insistatur in oratione: hæc enim maxima cuiusque necessitas est.

Prædominans in homine passio primo omnium subigenda.

1. p. tract. 5. cap. 4. & tract. 7. c. 1.

CAPVT XV.

Non omittendas mortificationes in paruis, & quam vtiles & Deo gratæ sint huiusmodi mortificationes.

HOc curanda maiora, vt minora non negligamus. Quod consiliū est contra eos, qui paruas mortificationes omittunt & nihili faciunt, eo quod minuta videantur, & nullum in iis profectū & perfectionē sitam esse. Qui magnus error est, & ideo de eodē nos monet Seruator noster in eadem reprehēsione ad Scribas & Pharisæos, non enim reprehendebat eos, quod curarēt minuta illa, sed quia omittebant res graues legis, sed addit statim hæc etiā fieri debere, dum dicit: *Hæc oportuit facere & illa non omittere.* Sæpius agimus, quanti momenti sit, etiam paruorū & minutorum haberi rationē, & illa non negligi, & sane tanti momenti est, vt sæpius de eo agi conueniat, ne tantum mali nobis hoc accidat, vt per hæc spatia intrare solet. Nunc solum de eo dicamus, quod ad propositum nostrum facit, quæ sunt duo declaranda, quorū prius, quantum boni in his mortificationib. situm sit posterius quantū malū & damnū nobis aduenire queat si illas negligamus, vt à priori exordiamur: facile est intelligere, quā gratæ Deo sint mortificationes, quātumuis res ipsæ paruæ sint, & quanti valoris & meriti apud ipsum, quod in mortificatione non tam attendendū id quod fit à nobis, quam quod in eo propriā voluntatē abnegamus & relinquimus. Hoc enim proprie est se mortificare, & semetipsum abnegare quod à nobis Christus in Euangelio requirit. Propria ergo hæc voluntas tam negatur & relinquatur in paruis quā in magnis, & aliquando etiā plus, vt dum magis voluntati nostræ repugnant. vt sæpius reipsa experimur nos in paruis maiores difficultates, quam in magnis sentire. Mortificatio enim (vt dici, & quidem recte, solet) non tam consistit in rebus, quam in voluntatis nostræ repugnātia. Sic vt in omni mortificatione, quamuis fiat in re parua, offerimus & sacrificamus Deo propriā voluntatē, eandem eius amore negātes & posthabētes, & ei dantes id quod nobis maxime carū & preciosū est, nihil enim est, quod tanti faciam⁹ & æstimemus vt propriā voluntatem, & eam dantes damus omnia.

Mat. 16. 24.

Tam in paruis quam in magnis abneganda voluntas.

S. Ambrosius ad propositū hoc magni æstimat factū illud Dauid, quando in castris contra Philisthinos excubans, teste S. Scriptura: *Desiderauit & dixit: O si quis daret mihi aquam de cisterna Betlehem,* quę erat ex altera parte hostilis exercitus. Quod audientes tres viri fortissimi perruperūt castra hostiū, & attulerunt ei vas plenum aqua ex illa cisterna. Et sacer textus habet: *Qui noluit bibere, sed magis libauit illā Domino* illam effundens. Res sane magna & grāde sacrificiū offerre Deo sciphū aquæ! S. Ambr. dicit magnū sacrificiū fuisse & Deo multū acceptū, & sufficiebat illud nobis referre S. Scripturam vt factū heroicum Dauid, vt intelligatur magnū fuisse. Quare vero magnū fuit? Scis quare? S. Ambrosius rationem dat: *Vicit ergo natu-*

Ambros. in Apolog. de Dauid c. 7. 1. Paral. c. 11. 17.

naturam, vt sitiens non biberet, & exemplum de se præbuit, quo omnis exercitus tolerare sitim disceret. Non tantum ciphum aquæ, sed & voluntatem obtulit, quæ est, quod quis Deo sacrificat & offert, dum se mortificat, quantumuis in paruis sit, ideoque magni valoris & Deo gratissimum est.

S. Gregorius ad hoc propositum apertius de eodem Dauid affert, vt & Ambrosius idem ponit. Secundo Regum libro narrat S. Scriptura, quod Dauid attulerit arcam testamenti ad suam ciuitatẽ Sion cum processu & solemnitate magna, & vt aliquibus locis apud nos plebs pro more habet, vt die festo Corporis Christi tripudia & saltationes suas exerceat ante venerabile Sacramentum; sic etiam credibile est (ait S. Gregorius) plebem tum pro more habuisse ista tripudia & saltationes facere ante arcam Dei. Hic ergo potentissimus & fortissimus Rex suæ authoritatis & maiestatis oblitus, & vestes regias exutus iungit se tripudiantibus, & cæpit saltare, tripudiare & psallere. Hinc vxor eius Michol ait: *Quasi si nudetur vnus de scurris.* Non satis factum hoc Dauid, Gregorius mirari potest, & dicit: *Quid de eius factis ab aliis sentiatur, ignoro. Ego Dauid plus saltantẽ stupeo quam pugnantem*: sentiant alii quod volent, Dauid me plus mirari cogit quando illum video saltantem & tripudiantem ante arcam, quasi vnum ex plebe & infimo ordine, quam dum audio, eum lacerasse viros & leones, & quã dum audio, quod funda strauerit gigantem Goliath, & vicerit Philistinos: *Pugnando quippe hostes subdidit, saltando autẽ coram Domino semetipsum vincit*, plus enim est se quam alios vincere.

2. Reg. 6. 10. & 1. Paral. 15. 29.

Generosius & nobilius est seipsum vincere quã de hostibus triumphare.

Magni semper facienda mortificatio.

Magni ergo has mortificationes faciamus, & nunquam vilipendamus, ne nobis eueniat, quod Michol, quã facti Dauid pudebat, & contemnebat eum in corde suo, & præsentem obiurgauit: hinc à Deo sterilitate punita fuit, vt filios quam diu viueret, non habuerit. Vide ne causa tibi tam sterilitatis & ariditatis in oratione sit, quam in conuersatione cum proximis, vt tibi illi non adsint, & verba tua illis adsint, & ideo non habeas filios spirituales. Non sit huius causa, quod verecunderis exercere paruas mortificationes, & non velle adire superiores cum minutis, eo quod tibi videatur res esse puerorum & nouitiorum, & similes ad te non pertinere. Et multo magis hæc pœna timenda iis, qui repræhendant, quos violent his addictos, & ea exacte & perfecte obseruantes, arguentes quasi scrupulosos & valde minutos, & vt idem irridentes & subsannantes. Quod huiusmodi est, vt magno damno esse possit, & quod magnum cuique scrupulum inijcere debet. Quam recte Dauid respondit Michol: *Ante Dominum, qui elegit me potius quam patrem tuum, & ludam, & vilior fiam, plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis*, qui ridet & murmurat, me hinc non abstrahet. O (dicit S. Bernhardus) *bonus lusus, quo Michol irascitur, & Deus delectatur, bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis pulcherrimum spectaculum præbuit.* Hunc ludum lusit ille qui dicebat: *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis & hominibus.* Vtamur ergo & nos hoc ludo, & nihili faciamus (dicit S. Bernardus) eos qui dicent: Ludamus vt illudamur. Sic enim facientes erimus spectaculum, quod homines stupent, Angeli mirantur, & Deo valde gratum est.

Tract. 2. c. 7. Minores mortificationes non contemnendæ nedum in aliis reprehendendæ.

2. Reg. 6. 21.

Bernard. epist. 87. in fine.

1. Cor. 4. 9.

Caput XVI.

De malo & damno proueniente ex contemptu mortificationum in paruis.

Ex dictis facile intelligere est, quantũ mali & damni nobis instare possit, si paruas mortificationes vilipendamus & negligamus. Quia non tam rem paruam & minutam inspicere debemus, in qua nos non mortificamus, quam non volumus voluntatẽ nostrã abnegare & frangere amore Dei, etiam in parui momenti re. Aliud magnum & multa considera-

tione

tione dignum damnũ hic occurrit, quod hic quis hoc pacto voluntati ſuæ indulget, vt in alia re etiam faciat quod vult, & ſic ſe reddit homo voluntati ſuæ & appetitui per omnia obſequioſum, fouens & augens voluntatem propriam. Non facile quis damnũ, quod ſibi infert, animaduertit. Propria hęc voluntas principis catulus leonis eſt, ſed ita fætus creſcet, vt ferus & indomitus leo fiat, cui poſtea reſiſtẽdo non eris. Non eſt qui ignoret propriam voluntatem cauſam radicemque omnis mali & peccati, imo inferni ipſius eſſe. *Ceſſet propria voluntas, & infernus non erit*, dicebat ſanctus & glorioſus Bernardus. Iſtis ergo mortificationibus quis propriam ſubigit voluntatem, & ſubtrahit illi licentiã conſequendi omnia, quæ appetit, quod ſolet radix & cauſa eſſe omnis mali noſtri & peccati. Hinc ait Richardus de ſancto Victore, quandoquidem diabolus omnem operam impendit, vt ſuperet nos in paruis culpis, vt tanto debiliores effectis poſt vincat in maioribus, fas eſſe etiam nos totos in eo eſſe, vt nos ipſos vincamus & ſæpius mortificemus in paruis, vt diaboli oſtium claudamus, & ne nos vincat in maioribus. Dicitq; nobis à paruis his incipiendũ, vt vſu vires paremus, & à paruorum victoria veniamus ad maiorum victoriã. Caſſianus idẽ ſuadet, & docet exemplo: vt dum tibi aduenit irę motus, vel quia calamus, quo ſcribis, non eſt aptus, vel quia cultellus non eſt acutus, vel ob alias ſimiles cauſas, dicit opus eſſe hos motus inordinatos mortificari & cogi, quãuis enim cauſæ hæc minutæ & nullius momenti ſint, tamen hac dictoria, dum maiores & grauiores ſe offerant, vt diſſidia cum proximis & incuriæ, ſeruus Dei vires ſumit ad ſe mortificandum, & pacem & charitatem conſeruandum.

Propria voluntas omnis mali fons, & inferni rogo.

Bern. ſerm. 3. de reſurrectione.

Richard. de ſancto victore in Cantica p. 2. c. 21.

Caſsian. l. 8. cap. 18.

Aliud bonum ex minutis his mortificationibus redundat, quas quis ſua voluntate aſſumit, quo aliud magnũ damnũ & periculũ vitatur, vt docuit vir ſanctiſſimus Euſebius, vt refert Theodoretus: Hic ſanctus multũ ſe in his exercebat, & rogatus quare hoc faceret? reſpondit: Exerceo & armo me contra fraudes & ſtratagemata diaboli, & hic procuro, vt graues tentationes, quib. me inuaſurus eſt vel de ſuperbia, vel luxuria, inuidia vel aliis ſimilibus in paruas haſce vertantur, & ſi in paruis me vincat, parum perdam, ſin vicero amplius confundetur & erubeſcet diabolus, videns ſe nec in paruis quidẽ ferme poſſe ſuperare. Bene notandum id eſt, veritas enim eſt, quam multo vſu ſerui Dei didicerunt. Et certo intellige dum hoc mortificationis genere in paruis & minutis te exerces, tuas & diaboli tentationes in hæc vertendas, & ſi hanc mortificationem facis, hæc repugnantia vincetur, vel manebit. Si ſubinde in his vincaris, non multum perdes, ſin hoc exercitio abſtines, & cum diabolo & carne tua in paruis hiſce nõ pugnas, impugnabunt te ille & illa maiorib. tentationibus, quibus ſi ſupereris, perditus es.

In paruis vinci minor eſt periculi vincere vero dæmonis ſumma confuſio,

Narrat D. Auguſtinus, hominẽ quendam Catholicum multũ moleſtiæ à muſcis paſſum eſſe. Acceſſit eum quidam hæreticus Manichæus, cui moleſtiam expoſuit, & quod ſe à muſcis defendere non poſſet, & ab iis multum vexaretur. Opportuna hæc occaſio viſa eſt Manichæo, vt eum errore ſuo imbueret, qui in eo ſitus erat, quod duo eſſent rerum principia, vnum inuiſibile, qui eſt Deus, alterũ corporale & viſibile, quod Manichæi dicebant eſſe diabolum, ad refutationem cuius erroris additum fuit in ſymbolo in Eccleſia cantari ſolito: *viſibilium omniũ & inuiſibiliũ*. Quibus verbis confitemur, Deum non ſolum ſpiritualia & inuiſibilia ſed etiam corporalia & inuiſibilia creaſſe. Videns ergo hæreticus hanc ſibi oblatam oportunitatẽ, ad errorem ſuum illi infundendũ, dixit illi: Quis creauit muſcas has? Et quia tam illi moleſtæ erant, & tã malæ ei videbãtur, nõ audebat dicere Deum illas creaſſe. Hinc Manichæus ſermonẽ ordiens dicit: Si Deus muſcas has non creauerit, quis eas ergo creauit? Reſpondit alter: Credo illas à diabolo creatas. Replicat deinde Manichæus. Si ergo diabo-

Auguſt. tractat. 2. ſuper Ioannem.

Quidam exigua tentationi, non reſiſtens ſupremum ſalutis adit diſcrimen.

diabol⁹ creauit muſcas, vt dicis, quis creauit apes, quę paulo maiores amuſcis ſunt? Catholicus dicere non auſus fuit Deum apem & non muſcã creaſſe, quia parũ inter eaſdem intereſt. Manichæus paulatim pergẽs aiebat: Si Deus nõ crearit muſcas, etiam apes non creaturũ, & ab ape ad locuſtam, & de hac ad lacertam, & inde ad aues, inde ad pecora, à pecoribus ad armenta & poſt ad elephantem & hominẽ: *Et perſuaſit homini, quod non à Deo eſſet factus homo.* Vide in quantũ malum præcipitatus fuerit miſer hic, eo quod ne paruam quidẽ mortificationẽ morſus muſcarum tolerare potuerit. Hincq; S. Auguſtinus ait: Caue, ne diabolus te ſeducat, quando à muſcis vexaris, vt infelicẽ hunc ſeduxit, & per muſcas cepit Solem (dicit) aucupes in laqueis ponere muſcas, ad aues capiẽdas, idem cum infelice hoc fecit diabolus, quẽ per muſcas cepit & cõprehendit. Hinc caue ne te decipiat diabolus, dum affligeris & tentaris, & triſtaris ob minuta & parua, his enim vt muſcis ſolet diabolus multos capere, & paulatim ad maiora deducere.

Capvt XVII.

In quo tria magni ponderis conſilia huic materiæ ſeruientia ponuntur.

Qvia tria perſonarũ genera reperire eſt, adferemus hic etiam in medium tua conſilia ad conſolationẽ aliquorũ & inſtructionem aliorum. Hominũ conditiones variæ ſunt, aliqui difficilioris naturæ ſunt, & in carne magnas difficultates & contradictiones ad virtutẽ & bona opera ſentiunt: hincq; conſolationẽ vix admittunt, ſibiq; perſuadent omnia iam deplorata eſſe. His primũ conſilium conſolans ſubſeruit, culpam & imperfectionem non ſitã eſſe in eo, quod quis ſentiat & habeat iſtas contradictiones & motus contra rationẽ, ſed quod quis eaſdem ſequatur & ſecundũ illas operetur. Id quod & in tentationibus videre eſt, in quibus culpa non ſita eſt in motibus vel cogitationibus prauis, & turpibus, quæ ſe ingerunt contra caſtitatem, vel contra fidem, vel aliquam aliarum virtutũ, de quib. aliqui ſolent ſe affligere & cõſolationis expertes eſſe. Hinc recte aiunt Sancti: Noli ob has affligi & cruciari, culpa enim non in ſenſu ſed cõſenſu ſita eſt. Quando harum te pœnitet, & laboras eis reſiſtere, & contemnere, potius ſunt materia & cauſa maioris meriti. Idem vſu venit in prauis propenſionibus & conditionibus, quas à natura habemus alii plus aliis, ex quib. in appetitu noſtro tam praui motus oriuntur & tot repugnantiæ & difficultates ad bonũ. In quo non cõſiſtit, vt quis bonus maluſue, perfectus imperfectuſue ſit, hoc enim naturale eſt, & in manu noſtra nõ eſt, ſed hæreditas eſt à peccato prouenien̄s. Et quamuis S. Paulus tantis eſſet donis exornatus, tamen in ſe ſentiebat hanc repugnantiam & carnis rebellionẽ, ideoq; dicebat: *Video aliam legem in membris meis repugnantẽ legi mentis meæ, & captiuantem in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* S. Auguſtin. explicans illud Pſalmi: *Iraſcimini & nolite peccare*, ait: *Id eſt, licet inſurgat motus animi, qui iam propter pœnã peccati non eſt in poteſtate, ſaltẽ non conſentiat ei ratio & mens, ſed mente ſeruiamus legi Dei, ſi adhuc carne ſeruiamus legi peccati.* Vaccæ, quæ trahebant arcam Teſtamenti ibant mugientes, quia vituli iis ablati erant, quos natura amabant, ſed ad vltimũ, vt ait Scriptura, recta incedebant non declinantes ad dexterã nec ſiniſtrã. Vade & tu per rectam virtutis viam, & ne attende carnis mugitus, nec eis mouere, & hoc modo perfectus eſſe poteris.

Hoc diſcriminis eſt inter homines ſpirituales, qui ſtudent perfectioni, & carnales ſeu ſenſuales, qui eidem non ſtudent: diſcrimen vero in eo non ſitum eſt, quod ſentiant vel non ſentiant has carnis difficultates & contradictiones, ſed quod eas hi ſectentur, illi vero non. Piſcis viuens contra aquam nititur & aſcendit, mortuus autẽ aquæ fluxũ ſequitur. Hinc ergo videre erit, an ſpiritualis ſis, & ſpiritus in te viuat, vel mortuus ſis, vel ſi cõtra aquæ fluxũ ſurſũ nitaris, hoc eſt contra paſſionum

Variæ conditiones hominum.

Imperfectio nulla eſt ſentire & habere contradictiones & motus contra rationem.

Culpa non in ſenſu ſed conſenſu ſita eſt.

Ad Rom. 7. 23.

Auguſt. Pſal. 4. 5.

1. Reg. 9 12.

Diſcrimen inter homines carnales & ſpirituales.

nũ fluxũ, vel ſi te deorſũ earũ fluxu rapi ſinis. Homo ſpiritualis nõ audit gulæ vel appetitus ſenſualis latratus & mugitus, nec iis obſequitur, & vt ait S. Iob: *Clamorem exactionis non audit.* Ventrẽ exactorẽ vocat, plus enim, quã neceſſe habet, exigit. S. Gregor. ait: *Clamorem exactoru non audire, eſt violentis tentationum motib. minime conſentire.* Ideoq; nemo animo cadere debet, ſi in ſe ſentit prauas inclinationes, ſed maiorem animum ſumere, vt inde ampliorẽ coronã conſequatur, vt & ex tentationibus. Idq; etiã monet S. Auguſtin. ſermone tertio de Aſcenſione, exhortans & animũ addens, vt omnes cum Chriſto cœlũ aſcendamus. Inter alia media eo aſcendẽdi, quæ adfert, ſunt paſſiones & prauæ inclinationes: *Aſcendamus etiã poſt illũ per vitia & paſſiones noſtras.* Et ſi forte quæras, quomodo poſſint nos paſſiones adiuuare, vt in cœlũ aſcẽdamꝰ? Reſpõdet, ſi quiſq; laboret eas ſubiugare & domare generoſo animo: *De vitiis noſtris ſcalam nobis facimus, ſi vitia noſtra calcamus.* Hæc enim nos ſupra nos leuabũt, ſi ſubtꝰ nos fuerint, & nobis graduũ loco ad cœlum aſcendendũ erunt. Legitur de B. P. N. Ign. in eius vita, ꝙ q̃uis natura eſſet cholericus, tamen ita inclinationẽ mortificauerit, mutauerit, vt pro phlegmatico haberetur. De Socrate etiã ſcribit Plutarch. ꝙ qdam phyſiognomus illũ videns, q forma exteriori corporis & oris figura profitebatur ſe cuiuſq; naturales inclinationes poſſe cõijcere, dicebat hominẽ illũ valde in libidinẽ propendere, ſimulq; in gulã; ebrietatem & multa alia vitia. Vnde indignati diſcipuli manus in hominẽ illũ inijcere volebant; ſed Socr. ꝓhibuit dixitq; illũ vera dixiſſe, talẽ enim ſe futurũ, niſi ſe ad philoſophiã & virtutis exercitiũ applicaſſet. Si ergo philoſophus ſolis naturalib. virtutib. tantũ prauarum ꝓpenſionũ dominiũ & victoriã adeptus eſt, quid non adipiſcentur Chriſtianus & Religioſus Dei gratia adiuti? *Sapiens dominabitur aſtris,* potentior enim eſt gratia q̃ natura. Aliud hominũ genꝰ eſt, qui natura ſunt bonæ conditionis: *Sortiti ſunt animã bonã* ſic vt vix videatur in Adã peccaſſe, vt de S. Bonauent. magiſtro ſuo dicere ſolet Alexander de Ales: naturã habent tã dulcẽ & bonã, vt omnia facienda ipſis facta videãtur, nihil ipſis eſt difficile, nec repugnantias & cõtradictiones iſtas ſentiunt, quas alii; ſed dicãt: Quare mihi dictũ difficultates in Religione eſſe, ego nullas ſentio: His ſeruit ſecudũ conſiliũ, vt non decipiãtur. Si ergo Deus tibi bonã hanc cõditionẽ, & naturę facilitatẽ dedit vt has difficultates nõ ſentias, & quaſi vix ſcias, qd ſit tentatio, quę tibi moleſta eſſe poſſit, ne te exaltes, nec vana tibi veniat gloria, hęc n. virtus nõ eſt, ſi te exaltes, ſed naturalis propẽſio cũ qua natꝰ, & cuiuſq; virtus & ꝓfectus nõ eſt metienda ex oris vultu, nec exteriorib. quæ foris apparent, nec ex naturæ facilitate & ſuaui & facili conditione, ſed ex vi, q̃ quiſq; ſibi intulit, & ex victoria & dominio, ꝙ de ſemetipſo acquiſiuit. Hęc certa & infallibilis mẽſura eſt cuiuſq; ꝓfectus: & hic plꝰ fecit alius qui naturã robuſtã vel cholericã habet, q̃ tu, q te totam factã & habilẽ reperis, & nihil tibi fere vincendũ eſt, ideoq, maiori præmio & remuneratione dignus.

Iob. 39. 7.

Greg. lib. 30. moral. c. 13.

Auguſt. ſermon. 3. de Aſcenſione.

Vitia calcata ſubactaque ad cœlum ſcalæ inſtar ſunt.

Exempla eorum qui vitioſam naturam plane domuerunt in melioremque commutarunt.

Sap. 8. 9.

2. Conditio eorum qui habent naturam proclinem & compoſitam ad perfectionẽ.

Profectus ex vi quam ſibi quiſque infert metiendus.

Alexandrũ M. maiori encomio dignũ cenſet Plutarchus, q̃ omnes alios Monarchas mundi, eo ꝙ alios natos eſſe dicat, hũc vero brachio, haſta, multiſq; vulnerib. quæ variis in præliis acceperat Monarchiã paraſſe. Illi ergo, qui mera vi ſuas ſuperarunt paſſiones, ſe mortificantes & abſtinentes, maiorẽ laudẽ & gloriã merentur, q̃ illi, quibus hæc modeſtia & pax naturalis innata eſt, & nihil habent, ꝙ vincerent. Hinc nulla eſt tibi vanæ glorię cauſa, ob q̃ te extollas, qa bonã hãc qualitatẽ habes, nec alios minoris facias, qa naturæ difficilioris & durioris ſunt. Potius inde maioris ſeſe offert occaſio humilitatis & verecundiæ, quod id non virtus ſit, quod in te apparet, ſed naturale quid, & in aliis virtus eſt, quicquid faciãt. Tu nihil profeciſti, quia nihil in te ſuperaſti, alius vero multum profecit, quia ſe in multis coercuit & vicit. Alii quia maiorem repugnantiam naturamque magis habet rebellem, quam ſupera-

Exemplo confirmatur.

Nihil proficit qui nihil in ſe ſuperat.

re vellet, maior est sui cura, & solicitudo, & feruor, ideoq; plus in virtute proficit. Bona vero natura tibi est occasio negligentiæ, & quiduis faciendi continua cū tepiditate: & quia inimicos & aduersarios non habes, ignauus & imbellis es. Expediret etiam hic considerare, qualis futurus eras, si Deus duram & difficilē tibi, vt alii naturam dedisset & certo puta, te pluribus & maioribus defectibus obnoxium futurum quam aliud, si tam bona natura & conditione donatus, tantos errores cōmittis, & es tam tepidus & languidus; quid futurum fuisset, si illas repugnantias & contradictiones habuisses quas alter? Propterea (vt dicimus) quando Deus non permittit tibi tentationes aduenire, cogitandū id prouenire ob debilitatem, quiaque virtutem ad hanc tolerandā non habes; similiter intelligendum singularem Dei gratiam esse tibi bonam hanc naturam & conditionem concessā, quia vires & virtus non erat ad vehementē & ferocientē naturam superandum, quam tamen aliis habet. Hoc enim pacto conscius bis partim humilitatem, partim bonā esse de proximo opinionē.

Tertia Conditio eorum qui quod has repugnantias & contradictiones non sentiunt, videntur sibi tranquillitatem possidere sed falso.

Tertium consilium seruit tertio hominum generi, ne decipiantur. Hi cum in se non sentiunt has repugnantias & cōtradictiones, nec carnes rebellionē, videnturq; sibi pacem & tranquillitatē habere. Quod non accidit, quod mortificati sint, vel quia bona natura & conditio ipsis est innata, vt præcedentibus: sed quia non studet se retinere, nec sibi contradicere & resistere, sed delectantur propensionē & appetitum sequi, ideoq; quia has repugnantias & contradictiones non sentiunt, putant se pacem habere quæ tamen non vera, sed falsa & simulata pax est: *Dicentes pax, pax, & non erat pax.* In verba hæc S. Pauli: *Video aliam legem in membris meis repugnantē legis mentis meæ, & captiuantē me in lege peccati*: dicit S. Augustinus: *Hanc pugnam* & contradictionē carnis aduersus spiritū, & spiritus aduersus carnē *non experiuntur in semetipsis nisi bellatores virtutum debellatoresq; vitiorum.* Idcirco videmus mundanos hoc verbum mortificationis non capere, consueuerunt enim sequi voluntatē, in omni eo quod eis succurrit, & hoc loco regulæ & leges habēt: *Sit pro ratione voluntas.* Nesciunt quid sit abstinere & resistere appetitui, hincque nullam in se pugnā nec repugnantiā sentiunt, eo quod nulla sit in illo, quod volunt. Hi vero, qui spiritu agunt, & student acquirendi veris virtutibus, & vitiis & malis propensionib. eradicandis, statim hoc bellum & rebellionē carnis sentiunt. Vt enim auis non animaduertit se captū, nisi dum exire laqueum tentat; sic etiam homo non exacte cognoscit vitiorum & prauarum inclinationū robur, nisi dum se nititur expedire. In amplexa virtutis declaratur vitii resistentia.

Ier. 6. 14.

Ad Rom. 7. 23.

August. lib. de continentia.

Lib. de gestis sanctorum Patrum.

In vitis sanctorū Patrum refertur, monachum quendā ex quodam Patre quæsitis. Quid causæ est, quod ego in anima mea non sentio pugnas & repugnantias tentationū quas alii sentiunt? Respondit Pater: Quia eo vt magnum domui vestibulum, quod intrat, quicunque vult, nesciens tamen quid intus in domo fiat. Sic etiam tu ignoras quid domi tuæ fiat, largam habes conscientiam, parum custodis cor, nec negotia tua circumspecte agis, non cogis sensus: ideoq; ne mirare de eo, quod dicis. Si portam recluderes, nec permitteres intrare prauas cogitationes, tunc clare videris quantū bellū & vim pararent ad intrandū. Si ergo intus hoc bellum & pugnas & prælia carnis non sentis, fortasse id accidit, quia vbique tuam sequeris voluntatem, & tibi persuade id fieri quia non laboras resistere appetitui tuo, & extirpare vitia & prauas inclinationes, quas habes.

Laxa conscientia raro experitur tentationum appetitus.

Capvt XVIII.

Quam bonus, & quamtumcumq; in virtute profecerit homo, tamen ei semper necessarium in mortificatione exerceri.

S. Bernard. serm. 58. super Cant.

S. Bernardus dicit semper necessarium esse ad manū habere falcem mortificationis, extirpando & mortificando, & neminē esse cui necesse nō sit semper aliquid

quid

quid scindere & putare, quantumlibet se mortificauerit, & videatur multũ profecisse. *Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccẽduntur extincta, & sopita denuo excitantur.* Idcirco non sufficit semet secuisse & putasse, sed sæpius & semper opus est mortificare & putare passiones & nouas inclinationes. *Parum est ergo semel putasse, sæpe putandum est, imo si fieri potest semper, quia semper quod putari oporteat, si non dissimulas, inuenies.* Quod in hortis videm⁹ huic proposito optime pro similitudine quadrat. Videre est ibi ex fruticibus & variis herbis hic leonem illic equitem, alibi aquilam, delineari sin hortulanus non semper secet folia, quæ crescunt, post aliquot dies videre erit nec leonem, nec aquilã, natura enim germinat, & crescit herba secundũ naturã. Idem hic euenit, quãuis enim sis vel leo, vel aquila, & tibi videare fortis & victor tui, nisi semper seces, circũcidas, putes & mortifices, breui nec leo, nec aquila sed mõstrũ eris: intus n. radicẽ contrariã habemus, quæ semper germinat & crescit secundũ naturam: sic vt semper sit, quod mortificari oporteat. *Quãtumlibet in hoc corpore manẽs profeceris, erras si vitia putas emortua, & nõ magis suppressa: velis, nolis, intra fines tuos habitat Iebusæus, subiugari potest, sed nõ exterminari.* Quãtũlibet profeceris, semper inimicus tecum est, potest reprimi nõ exterminari. S. Paulus dicit: *Scio quod nõ habitat in me, hoc est in carne mea, bonũ.* Parum dicebat S. Bern. dixit, nisi addidisset, quod habitaret in eo malum, vitiũ & praua inclinatio, vt paulo post addit dicens: *Non enim quod volo bonũ, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago, si autem quod nolo, hoc facio, iam ego non operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Subiungit S. Bern. Aut te ergo, si audes, præfert Apostolo aut fatere cum illo, te quoq; vitiis non carere, sed in te habitare vitium & prauam inclinationem, & quod semper sit, quod mortifices.

Ad Ro. 7. 18.

Abbas Ephrem idem confirmat dũ ait: *Bellum militum breue, sed monachi pugna, quoad vsq; migret ad Dominum, durat.* Plus laboris impendendum mortificandis & moderandis affectib. & passionibus, quã expoliendis & aptandis durissimis lapidibus: quia præterquam quod in lapidibus nulla sit resistentia & cõtradictio, contra artificem, vt in nobis est; nõ redit ad formam priorem. Nostri vero affectus & passiones sæpissime mutantur, & reuiuiscunt & reuirescunt; ideoque necesse eas iterum aggredi. S. Hieronymus in illud Prophetæ: *Psallite Domino in cithara*: dicit, quod sicut testudo non reddit bonum sonum, nisi fides conueniant musica proportione, etsi vel vna sola rumpatur vel discordet, fit discors sonus; sic etiã, si vel vna sola passio in nobis discors & nõ mortificata sit, concentum Deo gratũ reddere non potest, ideo necesse omnes passiones concordes esse: *In psalterio decem chordarũ psallite illi.* Vt eo tandem perueniatur, facile animaduertere est, quam necessariũ sit semper huic exercitio intentum esse. Hinc patres, etiã illi qui perfecti erãt, idẽ probabant, & sese multis mortificationis generibus exercebant, vt refert. S. Ioann. Climachus. Huiusq; bonã reddebant rationem, sæpius enim qui vidẽtur profecti & in laboribus patientes, si Prælati omittant eos probare & exercere, ob opinionẽ quæ de illis habetur, quod sint in virtute consummati, tandẽ perdũt & diminuunt solitã illam modestiam & patientiã. Quãtumuis enim terra sit bona, pinguis & fertilis, si desit cultura & irrigatio, fit siluestris & sterilis, & profert carduos & spinas. Similiter quãtumuis homo profecerit & sit perfectus, si eum deficiat cultura & irrigatio, quæ est mortificatio & exercitium patientiæ, fiet terra siluestris & sterilis, & producet spinas prauarum & inhonestarum cogitationum, & falsæ & fraudulẽtæ securitatis. Sic vt omnes mortificatione egeamus, non solum malæ, sed etiam bonæ conditionis homines, non solum imperfecti & incipientes sed etiã antiqui & perfecti, & nõ solũ ii; qui peccarũt, sed ẽt qui Deũ non offenderunt, illi ad virtutẽ parandum, hi ad conseruandum. Qui iumento vel bestiæ insidet, frænum & calcaria habet, quia semper bestia est.

Ephrem exhortat ad pietatem tom. 1. pag. 7.

Necessaria mortificatio semper.

Hieron. lib. 6. super Isaiam. c. 16.

Psal. 97. 5.

In omnibus.

Psal. 32. 2.

Climacus c. 4.

Omnibus.

Quotidie. Ad verba illa, quæ dicebat Christus Seruator noster: *Si quis vult venire post me abneget semetipsum & tollat crucem suã*: addit Euangelista S. Lucas: *Et tollat crucem suã quotidie.* *Luc. 9. 23.* Nullus dies abeat, in quo voluntatem propriã non frangis & coerceas in aliqua re: sin trãseat (dicit S. Ioan Clima.) crede hanc tibi perditum esse, & cogita te eo non fuisse Religiosum. *Climachus c. 4 Sueton. c. 8. in Tito.* Vt solitus dicere Imperator ille Romanus, quo die nemini beneficium contulisset: *Amici diem perdidi.* hodie non regnauimus, hodie nõ fuimus Reges & Imperatores, quia nulli beneficium impẽsum est. Magis ergo proprium est religioso se mortificare & voluntatem abnegare, quam Regibus & Imperatoribus beneficia conferre, hoc enim est religiosum esse, facere quod non vis & omittere quod vis.

Lib. 4. c. 5. vitæ P. Francisci de Borgia. Bonum hic, vt alibi, nobis reliquit exemplum Pater noster Franciscus de Borgia, qui amarum & insipidum sibi victum fore dicebat eo die, quo corpus bona aliqua pœnitentia & mortificatione nõ castigasset. Et addebat, quod sine cõsolatione viueret si sciret mortẽ illi appetendã eo die, quo aliquam pænitentiam non fecisset & sensus suos non mortificasset: *Nil sapit Francisc sine mortificatione.* Sic vt nullus dies ei abiret, quo se non mortificaret, rogabatque Dominum vt deliciæ & commoditates ipsi tormenta & cruces essent, & labores deliciæ. *Idem iuratus sibi hostis.* Qui est tertius & perfectissimus gradus mortificationis, & ideo volebat ne quid ei cõmoditatis fieret donec id à Deo impetrasset. In perpetuis erat excubiis, semper corpori bellũ inferebat, & semp inueniebat in quo se mortificaret & cruciaret: vocabat amicos quęcunque adiuuabant ad illum affligendum. Si quando per solẽ æstate ambulãs, æstu terrebatur: aiebat: Quã nos iuuat amicus ille. Idẽ de gelu, aere, vento, pluuia in rigore hyemis, dolore podagrę vel cordis, & de illis, qui illũ persequebantur & murmurabant, dicebat, & nominabat amicos, quia illũ iuuabant vt superaret & subiiceret corpus, quod capitalẽ hostẽ suum dicebat. Neq; contentus erat mortificationibus & afflictionibus, quæ se spõte offerebant, sed nouos ad se mortificandũ inuentiones excogitabat. Subinde arenã & lapillos calceis imponebat, vt inter eũdum pedes læderent: in æstate sæpius per feruorem solis ibat & hyeme per niuem & gelu & pilis nuda habebat tẽpora, eo crines extrahi iussisset quando disciplinam capere non poterat, corpus punctionibus & aliis modis affligebat: imo in ipsis morbis rationes quærebat, quibus dolorem dolori, cruciatum cruciatui adderet, potiones enim, quam amaræ essent, sorbendo bibebat, quasi dulcẽ aliquã sorbitionem pilulas amaras mandebat dentibus, & multo tempore seruabat in ore, & hoc pacto sensus mortificabat & cruciabat & carnem crucifigebat, & sic studebat ad perfectionem & sanctitatem peruenire, ad quam peruenit.

CAPVT XIX.

De duobus mediis, quæ facile & suaue reddent mortificationis exercitium, quæ sunt Dei gratia & sanctus amor.

RESTAT agamus de aliquibus mediis, quæ nos iuuent, vt tam nobis necessarium exercitiũ hoc mortificationis fiat non solũ facile & tolerabile, sed etiã suaue & sapidum. Primũ & præcipuũ ad hoc remediũ esse debet Dei gratia, qua omnia facilia & leuia fiunt. Sanctus Apostolus multum affligebatur tentatione, & Deũ instanter rogabat, vt auferret eam? *Propter quod Dominũ rogaui vt discederet à me.* *2. Cor. 12. 8.* Et respondit ei Dominus: *Sufficit tibi gratia mea.* *Philip. 4. 13.* Eademq; se sic confortatum sensit, vt diceret: *Omnia possum in eo, qui me confortat: Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* *1. Cor. 15. 10.* Non solos nos Deus in hoc mortificationis labore relinquit, ipse nobis adest, & eleuat onus: ideoq; legem suam iugum nominat, quod à duobus fertur, Christus se nobis iungit vt portet quis ergo animũ despondeat cũ tali cõsortio & auxilio? *Gratia sub eodem iugo tecum, Quid trepidas?* ne videatur tibi difficile, minorem enim oneris partem feres. Ideoque quamuis iugum

gum dicat, addit suaue, & quamuis onus nominet, dicit leue esse. *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Quamuis enim respectu nostræ naturæ & imbecillitatis graue sit, idque nomine iugi & oneris indicatur; tamen Dei gratia fit facile & suaue, idem enim Dominus & leue reddit, vt per prophetam Oseam promittit: *Et ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum.* Et per Isaiam dicit: *Computrescet iugum à facie olei.* Mortificatis videtur iugum & graue onus, sed tantus est fauor & gratia Dei significata per oleum, quod iugum computrescet & tam suaue fiet, vt humeros non lædat, nec quidem sentiatur.

Matt. 11.30. *Osea 11.4.* *Isa 10.27.*

S. Bernardus sermone primo de Dedicatione Ecclesiæ dicit, quemadmodum dum consecrantur Ecclesiȩ, talis cerimonia in vsu est, vt cruces oleo sancto vngãtur: idem Deus facit in cordibus Religiosorũ, spirituali enim vnctione gratiæ suæ vngit & suauiores in eis reddit cruces pœnitentiæ & mortificationis, vt ipsis sint faciles & suaues. Hincque est, quod multi hoc exercitium fugiant, quia crucem vident & non vnctionem; sed vos experti (loquens Religiosis) *Ecce vero scitis, quia crux nostra inuncta est,* & hac vnctione nõ solum facilis est & leuis: *sed vt ita dicam, amaritudo nostra dulcissima*, quod enim mundanis videtur amarum & insipidum, nobis Dei gratia valde dulce & sapidum est. Idcirco dicebat Sanctus Augustinus, quod nondum intellecto nomine castitatis videbatur nullus ei eandem seruare posse, donec intellexisset Dei gratiã, qua recte dicere nobis licet illud S. Ioannes: *Et mandata eius grauia non sunt*: plenitudo enim gratiæ, quam Deus dat ad illa complenda, reddit illa facilia & suauia. S. Gregorius in illud Isaiæ: *Qui sperant in Domino, mutabant fortitudinem*: ponit duo fortitudinis genera, alterum iustorum, ad se amore Dei mortificandum & patiendum, alterum malorum, ad tolerandũ magnos labores pro mundo, & consulendũ honori, bonis, appetitui & desiderio satisfaciẽdũ, & dicit eos, qui gratiæ Dei fidunt hãc fortitudinem mutaturos in illam iustorũ.

Bernardus. *Vngit.* *1. Ioan. 5.3.* *Greg. lib. 7. Mor. c. 8.* *Isa. 40.31.*

Secundum, quod mortificationis exercitiũ facile & suaue reddit, est Dei amor. S. Augustinus ait nihil tam efficax esse, nec quemcumq; laborem faciliorẽ & suauiorem reddere, quam amorẽ: *Qui amat, non laborat*: amor enim facit, vt labor non sentiatur: *Omnis labor non amantib. grauis est, solus amor est, qui nomen difficultatis erubescit,* labor amantibus non est grauis, sed eo potius delectantur, vt videre est in piscantibus & venantibus, quibus hic labor non est grauis, sed potius recreationẽ putãt, eo quod multo amore & affectu id faciãt. Quid facit matrẽ non sentire educationis filii laborẽ continuũ, nisi amor? Quid facit vxorem nocte dieq; mariti ægroto curã habere, nisi amor? Quid facit ad vsq; bestias & aues tã sollicitas esse in educatione pullorũ, & sibi substrahere quod edunt, & laborare ne illi fatigẽtur, & tãto animo illos defendere, nisi amor? Quid fecit Iacob breues videri labores septẽ & postea 14. annorũ causa Rachel, nisi amor? *Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Dicit S. Bernardus super illud Spõsæ: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Propterea non fascem sed fasciculum dilectũ dicit, quod leue præ amore ipsius ducat, quicquid laboris immineat & doloris.* Notandum similiter, non absolute dixisse: Fasciculus myrrhæ dilectus meus, sed addit: mihi, & facit eum, quem amat fasciculum: si tibi fascis grauis & magnus, id fit, quia non amas, defectus amoris est, & ideo hoc tibi sit signum nõ multum aut parum amoris Dei habes. Non magni virtutis labores sunt, nisi exiguus sit noster amor, & ideo magni fiant: multum ama, & non solum non laborem, sed saporem senties. *Vbi autẽ amor est, labor non est, sed sapor,* dicit S. Bern. Aiebat Sancta quædam, iam vocata & amore Dei vulnerata, se non amplius sciuisse, quid esset pati, nec intus nec foris, nec à mũdo, nec diabolo, nec carne, nec quopiam alio: purus enim amor nescit quid sit pœna vel tormentũ. Sic vt amor præterquã quod omnia facit eximia, & valde perfecta, addit magnum

Amanti nil durum. *Aug. in Manual & tractat de laudibus charitatis à lib. de bono viduitatis circa finem & ser. 9. de verbis Domini & serm. 48. de tempore.* *Gen. 29.20.* *Bern. ser. 43. super Cantica* *Cantic. 1.12.* *Ber. ser. 85. super Cantica.*

2. Cor. 12. 8. Philip. 4. 13. 1. Cor. 15. 10. Gratia sub eadem iugo tecum, Quid trepidas?

magnum animum & fortitudinem, ad quemuis laborem & mortificationẽ subeundam, & reddit omnia facilia, leuia & sapida. Id declarat S. Chryſ. in illud S. Pauli: *Plenitudo legis dilectio*: quod non ſolummodo dicere velit, totam legem & omnia mandata concluſa eſſe in breui hac voce, Amor, ſed etiam eandem nobis facilem reddere obſeruationem totius legis & omnium mandatorum Dei.

Chryſ. hom. 3. ſuper epiſt. ad Rom.
Ad Ro. 13. 10.

Quod etiam confirmatur dicto illo Sapientis: *Fortis eſt vt mors dilectio*: Inter alias quæ à Sanctis huius ſententiæ propoſito noſtro ſeruiẽtes adferũtur explicationes. S. Greg. alteram adfert, quam S. Aug. dicit optimam eſſe. Scis quid ſibi velit, dũ dicit quod fortis eſt vt mors dilectio? Vt mors ſeparat animam à corpore, ſic etiã amor Dei ſeparat animam à rebus corporeis & ſenſibilib. & vt mors ſeparat hominem à rerum omniũ mundanarũ cõmercio, ſic & Dei amor dominiũ habẽs ſpiritus, ſic illũ fortificat, vt ſe ſeparet à cõmercio & conuerſatione mundana, & affectu, quẽ habet ad carnen & omnia ſenſualia. Hoc eſt dilectionem eſſe fortem vt mortem, vt enim mors occidit corpus, ſic amor Dei occidit & extinguit in nobis affectum ad omnia corporalia & ſenſualia, facit hominem mundo mori & amori proprio, & Chriſti ſolum viuere, vt poſſit cum D. Paulo dicere: *Viuo autem iam non ego, viuit autem in me Chriſtus.*

Morte fortior dilectio.
Cant. 8. 6.
Greg. ho. 11. ſuper Euang.
Augu. epiſt. 29. ad Hieronymum.
Ad Gal 2. 20.

S. Auguſt. aliam valde bonam explicationẽ in verba illa adfert: *Ponite corda veſtra in virtute eius*: & dicit dilectionem vt mortem fortẽ eſſe, vt enim morti aduenienti nullis medicinis nec artificiis reſiſti poteſt, nec prodeſt eſſe Epiſcopũ, Regem vel Papam, aut Imperatorem, mors enim omnia præterit, nec quid ei opponi poteſt ſic etiã dũ quis vero Dei amore captus eſt, nihil ei poteſt opponi, nec omnia, quæ in mundo ſunt, poſſunt eum inde ſeparare, nec honores, nec diuitiæ nec proſpera, nec aduerſa, id quiſque in ſe videat conſiderans gratiam quam Dominus illi impertiuit: vna tantum ſcintilla amoris ſui, quam dedit, nullus ſe oppoſuit aut cogere potuit, vt viam perfectionis & religionis, quam ingreſſus es, deſereres, nec parentes, nec amicos, nec quicquid in mũdo eſt, curaſti, ſed omnia calcaſti & contempſiſti præ eo, quod habes. Diligamus ergo Deum, & nihil ſe nobis opponet, ſed potius cũ Apoſtolo dicemus; *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti, tribulatio an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculũ, an perſecutio, an gladius? Certus ſum, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus, neque virtutes, neq; inſtantia, neq; futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Domino noſtro.*

Aug. ſuper Pſal. 47. 14.
Ad Ro. 8. 35.

CAPVT XX.

De alio medio, quod facile & iucundum reddet mortificationis exercitium, quod eſt remunerationis ſpes.

TERTIVM medium, quod facile & ſuaue reddit mortificationis exercitium eſt remunerationis magnitudo, quã ſperamus. Hac ſpe ſibi animum addebat & ſe conſolabatur S. Iob in medio magnarũ tribulationum dicẽs: *Quis mihi retribuat, vt ſcribantur ſermones mei? quis mihi det, vt exarentur in libro ſtilo ferreo & plumbi lamina, vel culte ſculpantur in ſilice?* Quis mihi det (inquit) vt ſcribantur ſermones, quos volo dicere, vt æternę memoriæ conficientur poſterorum: & adiũngit: Ad longiorum memoriã, quis mihi dabit, vt ſculpantur in libro ſtilo vel puncto ferreo in lamina plũbi? Quare S. Iob ſic petis dicta tua ęternitati ſacrari? vt ſolamen, quod in aduerſis meis habeo, omnes nati & naſcẽdi in ſuis habeant. Et quæ ſunt verba hęc: *Scio enim quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circũdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quẽ viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Dicit ſe ſcire per Dei ſui reuelationem Redempto-

Iob. 19. 23.
Spes præmii anchora.

pto-

ptorem suum viuere, nam loquitur de Filio Dei, & de futuro, vt de præterito aut præsente, & se ex puluere resuscitandum, in quem mutatus erat, & Deum visurum, quæ est merces eorum, qui ei seruiunt, & ipsius qui iam patitur, & ex hac spe vt thesauro sumo consolationem in aduersitatibus meis. Eodem modo addebat Deus animum Abrahæ, dum enim diceret: Domine cœli, qui terram & cognationem meam, quia sic mandasti, quod mihi præmium dabis? respondebat: *Merces tua magna nimis.* S. Paulus dicit, Moysem etiam hac animatum honoribus renuntiasse, & elegisse improperium: *Fide Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi, aspiciebat enim in renuntiationem.* Hac etiam se animabat Dauid, ad seruādam legem & mandata Dei, dum diceret: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.*

Gen.15.1. — *& aliorum Sanctorum.* — *Heb.11.24.* — *Psal.118.112.*

Dicit S. Augustinus: *Dices forsan, grandis labor, semper se mortificare, & cogere voluntatem, sed respice, quod promissum est, omne opus leue fieri solet, cum eius precium cogitatur, & spes præmij solatium est laboris.* Id animaduertere est in laboribus & incommoditatibus mercatorum, agricolarum & militum. Si enim rabies maris, & horribiles vndæ non terrent mercatores & nautas, nec tempestates, pluuiæ, & aeris inclementia agricolas, nec vulnera & mors milites, nec verbera & casus luctatores, quando sibi proponunt spem lucri, quod pro his omnibus intendunt; quomodo tenebitur ille, qui cœlum sperat, se dare labori & mortificationi, quam virtus requirit? *Et illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Si enim illi ob corruptibilem & momentaneam remunerationem tantis se laboribus exponunt, quid non opus nos facere ob præmium tam grande & æternum duraturum? Nihil est quod facimus, si expendatur, quod recipere speramus: quod petitur, nihil est, pro eo quod datur, gratis id datur. Non potest sciri, an quid carum vel vile sit, ex eo, quod petitur, nisi res ipsa inspiciatur, quæ venditur. Quæro, an multum sit dare centum aureos pro re aliqua? talis posset esse, vt sic sit, vt etiam quinquaginta teruncii talem faciant, & etiam talis, vt dando mille ducatos, gratis data dici possit, vt si fuerit pretiosissimus aliquis lapis, vel si mille ducatis detur oppidum, gratis detur. Sic etiam si scire velis, an multum vel parum à te petit Deus, inspice quid emas, inspice præmium, quod datur. *Ego ero merces tua.* Deum dant? hoc dant? gratis dant? nihil à me pro eo petūt, si petant, vt voluntatem negem, & me mortificem: *Pro nihilo saluos facies illos. Qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite, venite, emite absque argento, & absq; vlla commutatione vinū & lac.* Hoc medium etiā multum cōmendat S. Basil. *Semper cor tuū promissa cœlestia meditetur, vt ipsa te ad virtutis viam prouocēt.* Eo ipso S. Abbas Antonius discipulos incitabat, ad continuandū in religionis rigore. Et obstupescens Dei liberalitatem, subsistebat, & dicebat, negotia & contractus hominū vtrinque esse pares, vnus. n. tantū dat, quantū recipit, & venditū tanti est, quanti pretiū, quod datur: sed æternæ vitæ & gloriæ ꝓmissum vilissime emitur, nam scriptū est: *Dies annorū nostrorū in ipsis septuaginta anni: si aūt potentibus octoginta anni, & amplius eorū, labor & dolor.* Vbi ergo seruiuerimus Deo 80. vel 100. annos, & diutius, nō dabuntur ꝓ illis tot anni gloriæ, sed vt pro ijsdē annis æternū in gloria regnemus, quādiu Deus fuerit, in sæcula sæculorū. *In æternū & vltra* (dicebat Sanctus) *ergo filij non vos aut tædium defatiget, aut vana gloria delectet ambitio: Non. n. sunt cōdignæ passiones huius tēporis ad futurā gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Id enim, quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modū in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Pro labore momentaneo æternū & semper duraturum gloriæ pondus datur. S. Bernard. egregiā similitudinē & proposito

Aug.ep.143. ad Demedr. virg. — *2.Cor.9.25.* — *Æterna gloria maior omni pretio.* — *Regnum pro ouo.* — *Psal.55.8.* — *Esa.55.1.* — *Basil. in monit. ad fil. spir.* — *Age, sere; æterna metes.* — *Exod.15.18.* — *Rom.8.18.* — *2.Cor.4.17.*

ſito quadrantem adfert. Nullus agricola tam fatuus eſt, vt longum ipſi videatur tẽpus, quo ſeminat, quãuis in eo multos dies cõſumat, ſcit enim, quo longius erit tempus ſeminationis, tanto maiorem & copioſiorem fore meſſem. Sic etiam dicit, laborem huius vitæ nobis non debere videri longũ (hoc enim ſeminationis tempus eſt) & quo plus ſeminauerimus & laborauerimus, tanto abundantiorẽ & copioſiorem fructum colligemus. Et addit hęc verba Sanctus: *Et certe modicum ſeminis incrementum non modica ſeminis multiplicatio eſt.* Quando agricola meſſem videt, & colligit pro vna menſura tritici, quam ſeminauit, viginti vel triginta, vellet ſeminaſſe plures.

Bern. ep. 341. ad Monachos Eccleſiæ S. Bertini.

Capvt XXI.

Variis exemplis confirmantur dicta capite præcedente.

NARRATVR de quodam patre, qui multum laborabat, & multis pœnitentijs & mortificationib. affligebat. Dicebant ſocij & diſcipuli, vt ceſſaret & ſuperſederet huiuſmodi laboribus & mortificationibus, eo quod tantæ eſſent. Reſpondit: Credite mihi, filij ſi locus & conditio, quam habent ſancti in cœlo, eſſet capax doloris & pœnę, illos ſane multum dolituros, eo quod non plus laboris & mortificationis in hac vita perpeſſi ſunt, animaduertentes magnum præmium, quod pro illo accepturi erãt, & quod tantillo labore & ſumptu gloriæ tantum ſibi parare poterãt. Cum hoc conuenit S. Bonauenturæ dictũ: *Tantam enim gloriam omni hora negligimus, quanta bona interim facere poſſemus, ſi otioſe eam tranſigimus.*

Mercare dũ forum eſt.

Bonau. opuſc. de perf. relig. l. 1. c. 32.

Huic ſimile, quod dicitur de S. virgine Mechtilde, quę ſæpiſſime à Chriſto ſponſo ſuo, cui ſe totam ſacrauerat, viſitata, & ex eo mira intelligens, audiuit quadã vice ſanctos ſibi dicentes: O quam felices & beati vos, q adhuc in terra viuitis, propter magna merita q̃ parare poteſtis: ſi.n. homo ſciret, quãtũ poteſt omni die mereri, ſtatim ab ipſa hora, qua ſtrato ſurgit, cor lætitia & ſuauitate impleretur, & quod dies ille ortus eſſet, in quo Deo Domino noſtro viuere poteſt, & eius gratia ad honorem & gloriã Dei augere ſuũ meritum, & ille daret vires & robur ad omnia faciendum & patiendum ſummo gaudio.

Blo. & refert Tilman. Bredenbach. l. 8. coll. c. 30.

Hora nulla ſine linea.

In Prato ſpirituali compoſito à Ioanne Euirato, vel (vt alij dicunt) à S. Sophronio Patriarcha Hieroſolymitano, & approbato in Concilio Niceno ſecũdo, narratur, q̃ Monachus quidã cellã habitabat ꝓcul ab aqua diſſitã, videlicet circiter 4. miliaria, & vadens quadã vice pro aqua defecit in via valde defatigatus, & dixit apud ſe: Quare neceſſe mihi laboris tantũ ſumere, volo habitationem prope aquam facere, & ibi cellam extruere. Alia vice vadens cũ vaſe ad aquã, deſignabat locũ, in quo cellam cõmode poſſet conſtruere, & qua ratione illã faceret, & quã ibi vitã duceret. Statim audiuit vocem, quaſi hominis, dicentis: Vnum, duo, tria, & miratus reſpexit, quod in ſolitudine quis diſtantias metiretur vel numeraret, & neminem videbat. Ipſe vero perrexit in via cogitãs de eo, quod propoſuerat, & eandem vocem iterũ audiuit, dicentẽ: Vnũ, duo, tria, &c. Et ſecundo reſpexit, & rurſus neminem vidit. Tertio idem accidit, & reſpiciẽs vidit pulchrum & fulgidũ adoleſcentẽ, qui dixit illi: Ne turbare, ſum Angelus Dei, & veni, vt numerẽ paſſus tuos, ne vllus eorũ ſuo præmio & remuneratione careat. Et hoc dicto diſparuit. Monachus hoc vidẽs in ſe reuerſus eſt, & dixit: Quomodo ſic mẽte captus ſum, vt tanto me bono & lucro ſpoliare velim. Et ſtatim decreuit lõgius cellam ponere, quam erat, vt ſic maiorem laborem & laſſitudinem pateretur.

Pratum ſpirituale.

Nullum veſtigium ſine merito.

Narratur in vitis Patrũ de quodã grandæuo Monacho, q habitabat in Thebaide, qui habebat diſcipulũ, quem multum probauerat. Sueuerat ſanctus ſenex ei facere ſingulis noctib. exhortationẽ, & facta oratione eum dimittere cubitũ. Contigit quoſdã ſæculares viſitare Monachũ, motos abſtinentiæ eius fama, & illis ſero dimiſſis, cœpit exhortationẽ ſolitã facere, quæ durauit tantũ, vt ſenex in ſomnũ inci-

In vitis Patr. p. 3. 237.

Tropæum illuſtre de victo ſomno.

incideret. Bonus discipulus expectabat, donec euigilaret, vt simul orationē facerent, & illū dimitteret. Illo vero non euigilante cœpit affligi cogitationib. impatientiæ, quę iubebant, vt cubitum abiret. Resistebat semel, sed aliæ & alię insurgūt, ad septem vsq;, & omnib. magno animo restitit. Media nocte expergiscitur senex, & inueniens eum eodem loco sedentem, quo erat, dum inciperet, exhortationem dixit: Fili, cur me non excitasti? Respōdit: Ne tibi molestus essem. Legūt preces matutinas, quib. absolutis, dedit ei benedictionem, & dimisit. Senex aūt se orationi dans, fuit in extasin raptus, & Angelus quidā ostendit ei locū pulchrū & gloriosum, & sedem splendidam, & supra sedem septē pretiosissimas coronas. Senex quærebat, cuius essent hæ coronæ? Respōdet discipuli esse, & locū & sedem ei à Domino datā pro vita, quam agit, coronas vero eadē nocte promeritū esse. Mane quęsiuit monach⁹ à discipulo, qd illi nocte elapsa cōtigisset, dū ipse dormiret? Bonus discipulus narrat quod illi contigerat, & quod septies cogitationib. restitisset, quæ monebāt, ne ipsum expectaret. Ex quo nouit senex illū 7. has coronas promeritū esse.

I. p. l. 1. c. 52. Chron. de S. Francisco.

Pro momento frigoris gaza immensum pondus.

De S. Francisco dicitur, ꝙ obuius factus quadam vice hyeme fratri carnali qui videns illum male vestitū, & quasi nudum, morientem & frigore tremētem, iussit illi ridendo dici, an vellet illi sudoris guttam vendere. Sanctus multa cū hilaritate respondit: Dicite fratri meo, ꝙ totū iā Deo & Domino meo magno & caro vendidi. Alias & post aliquot annos multū grauibus & continuis dolorib. afflictus, & pręterea nouis & molestis Diaboli tentationibus sic obrutus, vt vix viribus vllis humanis iuuari posse videretur, audiuit vocem è cœlo, quæ illū bono animo esse iuberet, eo ꝙ ob istos labores & tribulationes tantum thesaurum adepturus esset, & quamuis omnis terra verteretur in aurū, & omnia saxa in pretiosissimas margaritas, & omnes aquæ in balsamum, tamen cōparari non possent cū præmio & remuneratione, quā pro iisdem acciperet. Quo promisso sic exhilaratus & recreatus fuit Sanctus, vt post nullos dolores sentiret. Et vocatis religiosis narrauit solamen, quod Deus è cœlo misisset.

CAPVT XXII.

De medio, quo iuuabimur, & quod reddet facile mortificationis exercitium, videlicet Christi Seruatoris exemplo.

Christi exemplum confortat.

QVARTVM medium quod animum addet, & in hoc mortificationis exercitio multum iuuabit, est Christi Seruatoris nostri exemplum. Ideoque id à S. Paulo nobis proponitur ad nobis animum dandum. Armemus nos patientia, & *per patientiam curramus ad propositum nobis certamen,* quod nos manet, *aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio* redemptionis nostræ *sustinet, & crucem confusione contempta. Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis aduersus peccatum repugnantes.* Refert sacra Scriptura, dum filij Israel ibant per desertum, & inueniebant aquas Maran, quæ tam erant amaræ, vt eas bibere non possent, Moysem Deum orasse, qui ostendit illi lignum, quo in aquas iniecto, redditæ sunt dulces & sapidæ. Per lignum hoc intelligitur à sanctis lignum crucis. Quando ergo mortificationis labor amarus & grauis tibi erit, inijce ei sanctum hoc lignum, & recordare crucis & passionis Christi, flagellorum & spinarum, fellis & aceti, quod ei in siti propinatum est, & statim tibi dulcis & sapidus erit.

Hebr. 12. 1.

Exod. 15. 23.

2. p. l. 4. c. 10. Chronic. S. Francisci.

Probatur exemplo.

In Chron. Minoritarum legitur, quod quidā diues, honoratus & delicijs assuetus ordinem intrauerit, & tentator vidēs vitæ eius mutationē, aggressus est illum, & oculis subiecit ordinis austeritatem, & ꝙ pro lautitijs, mollibus vestibus & lecto, quib. in mundo vtebatur, inueniebat fa-

bas, durum vestitum, stramen pro lecto, extremam paupertatem pro diuitijs. Quæ omnia Diabolus ei proponebat, & multū eum vrgebat, vt illa desereret, & ad sæculum rediret. Tantū processit tentatio, vt ꝓponeret exire religionē. Et in hoc proposito transibat per capitulū, & genua flectens ante imaginē Crucifixi, eius se misericordię cōmendauit, & raptus est extra se, & eleuatus in spiritu, & apparuerūt ei Christus & gloriosa eius mater, & interrogabant, quare exiret? Ipse summa cum reuerentia respōdit: Domine, in sæculo nutritus sum in multis delicijs, & ideo austeritatem huius ordinis tolerare nō possum, specialiter in victu & vestitu. Dominus leuās brachium dextrum ostendit illi vulnus lateris sanguine stillans, & ait illi: Extende brachiū, & mitte huc manū, & vnge eam lateris mei cruore, & quando mentē subibit aliqua austeritas vel rigor, riga ea hoc sanguine, & quantūcunq; difficile fuerit, facile & suaue fiet. Et nouicius exequēs, quod Dominꝰ iusserat, quacunq; tentatione adueniente recordabatur Christi passionis, & statim omnia in magnā dulcedinē vertebātur. Quid potest homuncioni & vili vermiculo videri durū aut asperū, dum aspicit Deū spinis coronatū, & in crucē eleuatū ipsius amoris ergo? Quid non tolerabit & patietur pro proprijs peccatis, qui videt Dominum Maiestatis tantum pati pro alienis?

Sanguine Christi condita amara dulcescunt.

Quid sancti omnes exemplo Christi & amore fecerint.

Sancti frequenter hoc medio exempli Seruatoris nostri vtuntur, & desiderij eum imitandi, nam præterquam quod efficacissimum sit, ad nos ad mortificationem & patientiam excitandum, multæ perfectionis medium est, & quod excellentiora reddit opera, eo quod ex amore Dei nascantur. Ideoque legimus de B. Patre nostro Ignatiō, quod initio conuersionis multum pœnitētiæ & mortificationis exercuerit, considerans sua peccata, & intendens pro eisdem satisfacere. Post vero altius ascendit, & corpus austeritatibus & pœnis afflixit, non tam considerans peccata, quā Christi & sanctorū exempla. Attendebant sancti hanc vitā Christum ingressum & amplexum labores & crucem tanto amore & desiderio, vt nec tempus, nec hora esset, in qua vitā & sanguinē pro nobis ꝓfundere dubitaret. Vtq; elephantes vidētes sanguinē maiores in pugna animos sumūt; sic & ipsis magna adueniebat sitis subeundi martyrij, & sanguinem fundēdi eius amore, q ante ꝓ ipsis eā effuderat. Et eo ꝙ desideriū hoc in effectū nō deduceretur, in seipsos crudeles erāt, & fiebant sui ipsius carnifices, & corpora dilacerabant, pœnitentijs affligendo & mortificando, & abnegādo voluntates & appetitus, & sic paulisper respirabant: hic enim ex parte eorū desiderijs fiebat satis, imitantes, quantū poterāt, Christum Seruatorem. Hoc est, quod dicit Apost. Paulus: *Semper mortificationē Iesu in corpore nostro circūferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporib. nostris.* Mortificatio corporis talis esse debet, vt similis sit & exhibeat Iesu Christi vitam. Dicit S. Bernardus: *Non decet sub capite spinoso membrum esse delicatum*, sed vt se mortificet, & carnem crucifigat, vt capiti simile fit.

lib.1.c.3.vitæ D.Ignatij.

Quantopere mortificationem complexi.

2.Cor.4.10.

Bernardus.

Multa ad hæc media adferri possent, omnia enim, quæ sancti dant & adferunt, ad nos ad pœnitentiam exhortādos, pertinere possunt ad nos ad mortificationē mouēdos. In verba illa Apostoli: *Non sunt cōdigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, dicit S. Bernard. passiones & tribulationes non sunt comparandę, nec æquales, neq; gloriæ, quam speramus, neq; pœnę, quam timemus, neq; peccatis, quæ commisimus, neque beneficijs, quæ à Deo accepimus. Aliquid horum beneponderatum poterit nos valde ad hoc exercitium excitare.

Rom.8.18.

Capvt XXIII.

De tribus mortificationis gradibus.

PRo conclusione huius tractatus trademus breuiter tres mortificationis gradus, quos S. Bern. allegat, vt ijsdē tanquam gradibus ad perfectionē ascendamus. Primus est, quem S. Petrus in prima sua Canonica docet: *Charissimi, obsecro vos,*

Primus gradus esse peregrinum.
Bern.serm.7. Quadrages.
1.Pet.2.11.

vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam. Omnes peregrini sumus in hoc mundo, & proficiscimur ad patriam nostram cœlestem, vt dicit S. Paulus Apostolus: *Non enim habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus, & dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino.* Reputemus ergo nos peregrinos. Peregrinus, teste Bernhardo, vadit viam rectam, & vitat ambages, quas potest, etsi in via videt aliquos pugnantes, alios epulantes, non attendit nec curat hæc, sed prosequitur rectam suam viam, quia peregrinus est, & hæc ad illum non pertinent. Totus in eo est, & nihil aliud agit, quam suspirare & accedere patriam, ideoque vnico leui vestitu, & vno pastu, qui sufficiant itineri conficiundo, contentus est, nec onustus non necessarijs vult esse, vt facilius & expeditius vadat. Eodem modo nos habere debemus in nostra peregrinatione. Vtendum rebus mundanis vt transeuntibus, & sicut peregrini viatores, vt sumus, nec sumentes plus, quam egemus ad absoluendum iter. *Habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* Supersedeamus & exoneremus nos eo, quod non valde necessarium, vt sic omnibus expediti melius ambulemus, suspiremus ad patriam, & deploremus exilium nostrum: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Felix & beatus ille (dicit S Bernardus) qui se habet & tractat tanquam peregrinum, & nouit & deplorat suum exilium, dicens cum Propheta: *Quoniam aduena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes Patres mei.*

a Cor.5.6.

1.Tim.6.8.

Psal.119.5.

Psal.38.13.

Valde bonus est hic gradus, & multum fecerimus, si ad illum peruenerimus: sed alius est hoc multo præstantior & perfectior (dicit Sanctus) peregrinus enim licet non se iungit ciuibus & populis, tamen aliquando gaudet se videre & audire, quod per viam contingit, & id alijs narrare, & quamuis his nō omnino viam omittat, tamen detinetur, & serius ad locum destinatum peruenit, & aliquando nunquam peruenit. Quis ergo est maxime alienus, liberrimus, & separatus maxime à rebus huius sæculi, quam peregrinus? Scisne quis? Mortuus. Licet enim peregrinus nil aliud agat, quam quærere & procurare id, quod itineri est necessarium, & eo onustum incedere, tamen in eo se occupare & immorari potest. Mortuus vero non sentit, etiam si ei desit sepultura. Mortuus tam audit vituperãtes quam laudantes, tam adulantes quã detrahentes: potius neminem audit, mortuus enim est. Hic ergo est secundus mortificationis gradus, superiore altior & perfectior. Quem S. Paulus ponit: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo Deo.* Sed non hic subsistendum est, quod peregrini simus super terram, sed procurandum, tanquam mortui simus. Quî hoc fiet? Scis quî? Dicit quidam Doctor, attendendas mortui conditiones: Hic non videt, non loquitur, non sentit, non audit, non *inflatur, non irascitur.* hæ mortui conditiones sunt. Si ergo oculos habes ad videndum & iudicandũ, quod alij faciunt, & forsitan etiam Superior, mortuus nō es. Si in promptu habes responsiones & excusationes in ijs, quæ iubet obedientia, si morositatẽ ostendis, quando ostenduntur tibi defectus & vitia, & reprehẽderis: si sentis, & ægre fers, dum humiliaris & vilipenderis, mortuus non es, sed bene viuus in passionibus, honore & æstimatione: quamuis.n. mortuus reprehendatur & vilipendatur, & nihili fiat, non sentit nec curat. O felicẽ & beatum illum (dicit S. Bernhardus) qui hoc modo mortuus est: mors enim hæc vera vita est, nam in hoc seculo sine macula conseruat, & præterea nos facit à mundo plane alienos.

Secundus esse mortuum.

Col.3.3.

Lansperg.

Magnus omnino gradus est iste, & magnæ perfectionis, *at fortasse poterit aliquid ad huc superius inueniri.* Ast vbi id inueniemus? & in quo reperiemus nisi in eo, qui fuit eleuatus in tertium vsque cœlum, si enim mihi tertium quem altiorem & perfectiorem gradum ostẽderis (dicit S. Bern.) merito tertiũ cœlũ dicere poteris. Potestne

Tertium esse crucifixum.

Philip.2.8.

ergo maius quid fieri, quam mori? Imo maius quid est, quam mori. *Humiliauit se Dominus noster Iesus Christus vsque ad mortem.* An maius quid hoc est? Est, S. Paulus addit, addit & Ecclesia feria quarta hebdomadę sanctæ: *Mortem autem crucis.* Mori crucifixum maius est, quam mori simpliciter, mors enim crucis tūc temporis erat omnium maxime ignominiosa & inhonestissima. Hic ergo est tertius mortificationis gradus, præcedente altior & perfectior, idcirco merito potest tertium cœlum dici, ad quod leuatus etiam fuit Apostolus Paulus: *Mihi mundus crucifixus est & ego mundo.* Non solum dicit se mundo mortuum, sed mundo crucifixum esse, & mundum ipsi crucem, & ipsum mundo esse. Vult dicere, quidquid mundus amat, delicias carnis, honores, diuitias, vanas hominum laudes, sibi crucem & tormentum esse, & omnia vt talia horrere, & quidquid mundus pro cruce, tormento & vituperio habet, in eo sibi mentem fixam esse, seque id amare & amplecti. Hoc est mundo crucifixum esse, & mundum illi, & mundum illi crucem & illum mundo esse. Gradus hic primo & secundo altior & perfectior est, teste D. Bernardo, quamuis enim peregrinus transeat, & non diu moretur in illis, quæ videt, tamen illa videt, & paululum moratur. Mortuus, qui est secundus gradus, fert eodem modo prospera & aduersa, honores & vituperia, & nihil discriminis ei in illis est; hic tamen tertius gradus longius procedit, & non similiter se in his habet; non enim non solum non sentit honores & æstimationem, vt mortuus; sed esse honoratum, & est malum ei, est crux & tormentum, & vt talia hæc horret, & non solum sentit vituperia & contemptus, sed hæc sunt illi voluptates & gloria. *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Per quem quidquid mundus amat, mihi est crux, & quidquid mundo crux est, mihi est gloria & gaudium. Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Hic ergo est tertius mortificationis gradus, quem merito S. Bernard. vocat tertium cœlum propter summam eius perfectionē. Et quamuis hoc per metaphoram hanc dicat, tamen est communis omnium Doctorum & Sanctorum doctrina, quod in eo, quod per cœlum tertium intelligimus, consistit mortificationis perfectio. Hoc siquidem signum est, quod Philosophi ponunt, vt cognoscatur, an quis adeptus sit alicuius virtutis perfectionē, quando illius actiones facit cum gustu & delectatione, vt post dicetur. Si ergo scire velis, an in mortificatione profeceris, an eius perfectionem adeptus sis, vide num gaudes, quando voluntatem tuam frangunt, & tibi negant quod petis: vide num gaudes, dum te contemnunt & vilipendunt: & an tibi dolori sit, dum honoraris & æstimaris, & magnifis: *Pensemus ergo singuli, in quo gradu quisque sit positus, & studeamus proficere de die in diem, quoniam de virtute in virtutem videbitur Deus Deorum in Sion.* Quisque ergo se consulat (dicit S. Bernardus) & videat & examinet cum attentione, ad quem horum graduum pertigeris: & ne subsistamus, nec lassemur, donec ascēderimus tertiū hoc cœlum. Hoc erat, quod Christus S. Francisco dicebat: Si me desideras, cape amara pro dulcibus, & dulcia pro amaris.

Gal.6.14.

Et hic est summus.

Gal.6.14.

Perfecta mortificationis in dex. oblectari ea.

Tract.3.c.10.

Psal.83.8.

Vide tu, qua in gradu sis.

Tende vlterius.

Narrat Cæsar. in monasterio quodam suo ordinis Cistercienfis, quendam religiosum laicum Rudolphum nomine, magnum Dei famulum, cumq; magnæ reuelationes fiebant, manentem quodā tempore matutino in templo in oratione, vidisse Christum Seruatorem nostrum crucifixum, & cū eo 15. sui ordinis religiosos singulos ēt crucifixos, comitantes Christum Seruatorem, & quamuis nox esset, tamē tantus erat splendor & claritas, quę pdibat ex Christi psentia, vt illos clare videre possit, & nosse exacte, & adhuc omnes erant superstites. Et dicit 5. fuisse laicos, & 10. monachos. Et ei de tanto miraculo stupenti dixit Christus ex cruce: Rudolphe nostin' hos, quos mecum crucifixos

Cæsar. lib. 8. dialog. c.18.

Bonus religiosus Christo crucifixus est.

cifixos

cifixos hic cernis? Respondit: Probe noui Domine, qui sint, sed nescio, quid sibi velit, quod video. Tunc ait ad eum Dominus: Hi soli totius huius ordinis mecum crucifixi sunt, conformantes vitam suam cum mea passione.

TRACTATVS SECVNDVS.

DE MODESTIA ET SILENTIO.

CAPVT PRIMVM.

Quam necessaria sit modestia ad proximum ædificandum & ei commodandum.

In quo consistat modestia.

MODESTIA, de qua hic dicendum, in eo consistit, vt talis sit corporis compositio, & ea custodia sensuum, talis gestus & conuersatio, & tales omnes nostri motus & actus, vt gignant ædificationem in ijs, qui nos viderint & nobiscum egerint. In sequentibus comprehendit D. August. id quod de modestia dicendum. *In omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat adspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.* Non mei propositi est, in speciali ad ea descendere, in quibus modestia seruanda est, & ibi annotare, quid esset immodestia. Sufficiet iam regula hæc D. Augustini generalis, quæ est omnibus Sanctis & Magistris vitæ spiritualis communis. Cura omnes actiones & motus ita ordinatos esse, vt nullus offendatur, sed ædificetur: appareat exterius semper humilitas, simulque grauitas & religiosa maturitas, hocq; pacto cõuenienter modestiam seruabis. Tantũ hic explicare volo, quã necessaria sit modestia, specialiter illis, quorum institutum est, non solum intendere suæ saluti, & propriæ animæ saluationi, sed etiam proximorum.

August. in reg.

Eius necessitas & vis ad capiendos animos.

Quod ad primum attinet, inter omnia, quibus multum ædificantur & vincuntur proximi, est gestus exterior religiosus & ædificatiuus. Homines enim nõ interius sed solum exterius vident, idq; est, quod eos mouet & ædificat, & plus apud illos agit, quã murmur & strepitus verborum. Ideoq; dicitur de S. Francisco, quod quadam vice socio dixerit: Eamus prædicatum: exit, & circumit ciuitatẽ, & domum redit. Dicit ei socius: Pater, cur non prædicamus? Iam prędicauimus, ait Sanctus. Docens, illa compositio & modestia, qua plateas obibant, bona concio fuit, quæ populum mouet ad deuotionẽ & mundi contemptum, & peccati cõpunctionem, & ad corda & desideria ad cælestia leuandum. Et concio est operum, quæ multo efficacior est, quam illa verborum.

S. Franciscus concionatur modestia.

Secundo exterior hęc modestia & compositio multũ prodest ad spiritualem nostrum profectum, vt post planius dicetur: tanta enim est vnio & fœdus, quod est inter corpus & spiritum, inter exteriorem & interiorem hominem, vt quod in altero est, statim deriuetur in alterum. Et hinc si spiritus bene sit compositus, statim & corpus tale: & contra si corpus incompositum & inquietum est, etiam spiritus talem fieri necesse est. Idcirco dicitur, exteriorem modestiam & compositionem magnum esse interioris tranquillitatis, virtutis & profectus spiritualis interioris argumentum & signum, vt manus horologij signum motus rotarum.

Seruit deuotioni spiritus.

Hoc ipso clarius fit id, quod pri⁹ dictũ: hæc

Facies speculum animi est.

Hier. epist. ad Furiam viduam.

hæc enim causa ædificandi homines modestia & compositione externa. Hęc enim animaduertunt & intelligunt virtutē interiorem, quæ in anima est, & hinc eam æstimant & magnifaciunt. Inquit S. Hieronymus: *Speculum mentis est facies, & taciti oculi mentis fatentur arcana.* Hoc & Spiritus sancti iudicium est: *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium; sic corda hominum manifesta sunt prudentibus,* per exteriora, quæ vident in illis. Non est inuenire speculum, in quo domus videre licet interiorem virtutem & compositionem, ac in gestu exteriore. *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus, amictus corporis, & risus dentium, & egressus hominis enunciant de illo.* Et describens gestus apostatæ, dicit: *Homo apostata vir inutilis graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur.* Ideo de Iuliano apostata dicit Gregorius Nazianzenus, conditiones eius notas ab aliquibus non fuisse, donec operibus eas declarasset, & potestate Imperatoria aperuisset: sed ego (inquit Nazianz.) probe illam noui, simulatque eum vidi & cum eo Athenis communicaui. Nullum in eo signum vidi, quod bonum videbatur, ceruix erat arrecta, humeri mobiles, oculi leues, omnem in partem volubiles, visus ferox, pedes instabiles, nares habiles ad ridendum & contemnēdum, risus effrenis, facilitas in negando & concedendo quid eodē tēpore, praxis eius sine fundamento & ordine, interrogationes importunæ, respōsiones sine ꝑposito. Sed quare (dicit) cōditiones eius tam exacte enumero? Vt concludam, dico illū mihi ante opera sua notum fuisse, & post eadē exactius illum noui. Et si iam adessent, qui nobis tunc socij erant, testarentur, me talia signa in eo videntem dixisse: Quam venenatum serpentem alit Respublica Romana. Et vellem me tunc mendacem fuisse, melius enim fuisset, quam tanta in orbe excitari incendia, qualia nunquam antea visa erant. Vt ergo exterior inordinatio & discompositio signum est vitij interioris, sic etiam modestia & bona cōpositio signum

Prou. 27. 19.

Eccle. 19. 26.

Prou. 6. 12.

Greg. Naz. Refertur in hist. eccl. p. 2. l. 4. in fine.

Immodestia signum animi incompositi.

Idq; probatur in Iuliano apostata.

est interioris virtutis: & ideo tantum homines ædificat & mouet.

Hinc est, quod eadem nobis magna sollicitudine paranda sit, quod finis & institutum nostrum sit prodesse proximis ministerijs nostris, prædicando, confessiones audiendo, legendo, docendo, amicitias conferendo, carceres visitando, & xenodochia, &c. Et quæ maiores vires & robur addat his ministerijs, vt recipiantur, & fructum faciant in hominum cordibus, est modestia, & bona exterior compositio. Hæc enim magna authoritas apud proximos paratur, propter interiorem virtutem & sanctitatē, quam concipiunt. Et tunc, quod dicitur, quasi cœlitus lapsum accipiunt, & cordibus imprimunt. Refert Surius, quod Innocentius II. visitauerit monasterium Clareuallense cum Cardinalibus: omnes Monachi cum S. Bernardo exierant ei obuiam, & refert historia, illud Monachorum spectaculum illos mouisse, vt & Pontifici & Cardinalibus lachrymas excuteret, eo quod Monachorum modestiam solummodo viderent. Omnes mirabantur videntes grauitatem sanctæ huius congregationis, & quod in festo & gaudio tam solenni & insolito, quale erat Pontificem & Cardinales in domo illa videre, omnes oculos humi defixos tenebant, nec aliquam in partem vertebant, & cum ab omnibus aspicerentur, ipsi nullum aspiciebant.

Modestia parit authoritatem.

Sur. l. 2. c. 1. vita S. Bernardi.

Probatur id exemplo.

Hęc modestia nō solū & religiosa compositio prodest ad mouēdum & ædificandum externos, sed etiam domesticos. Vt enim sæcularis multum ædificaturus, si videat Religiosum Missæ seruientem, & toto illius tempore non vertentem oculos nec in hanc nec illam partem: dumq; per plateas vadit, non eos leuantem, nec quidem aspicientem, qui eum transeunt, vnde se confundunt & compunguntur, & magni Religiosum faciunt. Inter nos etiam multū ædificat ille, qui cū modestia, collectione & silentio incedit, & alios ad deuotionem & compunctionem mouet. Ideo inter alios fructus, qui ex modestia

Ædificat & domesticos.

& ex-

& exteriore cõpositione oriũtur, D. Hier. hunc ponit: *Vt loquacibus compunctionem ingerant, & intrandi ad societatem vestram sancta desideria incitent, & affectus ad cœlestia moueantur.* Scis quid faciat (ait) religiosus huiusmodi suo silẽtio & modestia? vehemens & efficax est reprehẽsio loquaci, & ei, qui parum habet modestię & collectionis, vidẽs se talem non esse. Hi sunt (dicit) qui domos religiosas replent, & eas sustentant, & in virtute & sanctitate conseruant: suo. n. exemplo alios mouent & excitant ad deuotionem & cœlestia desideria. Hoc est, quod Pater noster à nobis exigit, vt hic sic ꝓcedamus, quo vnus alterum considerãtes omnes in deuotione crescant, & Dominũ Deum laudent. Dicitur S. Bernardin. tantæ modestiæ fuisse & cõpositionis, vt omnes socios sola pręsentia cõponeret: & non opus esset alio q̃ dicere: Bernardinꝰ venit, vt omnes se cõponerẽt. Et de S. Luciano martyre narrãt Metaphrastes & Surius in eius vita, quod gentiles solo eius aspectu cõuertebantur & mouebantur, vt se Christianos facerẽt. Hi boni sunt concionatores, S. Ioannis imitatores, de quo dicit Euangeliũ: *Erat lucerna ardens & lucens:* ardebat. n. magno Dei amore, & multã lucem proximis impertiebat mirabilis vitæ suæ exẽplo. Hoc nobis magnũ incitamentũ esse debet, vt summa in omnibus modestia vtamur, ad ædificandũ proximos, & ex ijs dictũ fructum ferendũ. Sin minus, vbi est zelus & maioris glorię & diuini honoris desiderium, ad animas lucrandum, quid instituto nostro tam proprium est? nisi in id incumbamus, quo ipsi tam ædificantur & vincuntur, quod tam facile nobis factu est.

Hiero. in reg. monac. c. 22. — *Ideo eam ab socijs requirebat S. P. Ignatius.* — *Reg. 29. Summarij.* — *Exempla modestiæ ædificatiuæ.* — *Lucianus martyr.* — *Ioan. 5. 35.*

Capvt II.

Quam necessaria modestia etiam proprio nostro profectui.

Modestia portis sensuum aduigilat.

COMMVNIS Sanctorum doctrina est, modestiam & sensuum custodiã singulare esse mediũ, ad spirituale ꝓfectum nostrum necessarium, multum. n. prodest ad cordis custodiã & interiorẽ collectionem, & deuotionis conseruationem, eo quod hæc ostia sunt, per quæ omne malũ in cor intrat. S. Hier. in illud Iob: *Nũquid apertæ sunt tibi portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti?* dicit in sensu tropologico mortis portas sensus nostros esse, per hos enim intrat mors peccati in animam, vt & bene dicit Propheta Ieremias: *Adscendit mors per fenestras nostras.* Dicit vocari ostia tenebrosa, quia dant ingressum tenebris peccatorum. Idem dicit S. Gregorius, vt & est communis loquendi modus Sanctorum, sumptus ex Philosophia: *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.* Dũ ergo in aliqua domo ostia sunt clausa & bene custodita, omnia secura & sine metu sunt; sin aperta & sine custodia sunt, vt quisq; intret & exeat vt vult, non secura erit domus, saltem non erit quies & tranquillitas in illo tot hominum introitu & egressu. Idem & hic contingit; qui enim bene custodierint sensuum portas, erunt collecti & deuoti; sed qui eorum curam non gerunt, non habebunt pacem & quietem in corde.

Hieronymus. Iob. 38. 17. — *Ierem. 9. 21.* — *Greg. 21. moral. c. 7.*

Hinc nos monet Sapiens: *Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit.* Omni custodia dicit, vt indicet magnum huius momentũ, portis enim bene custoditis, custoditur & cor. Dicit S. Gregor. *Vnde nobis ad custodiendum cordis munditiam, exteriorũ quoq; sensuũ disciplina seruanda est.* Et S. Doroth. ait: *Assuesce oculos non circumferre ad alienas & vanas res, hoc enim labores omnes monasticos deperire facit.* Quidquid multo tẽpore lucratus es multo labore, facile peribit per has sensuum portas, nisi labores illas bene custodire, & inanis & vacuus eris. Quam recte dixit Sanctus quidã: Breui negligentia perditur, quod multo labore & difficultate per gratiã paratur. Alio loco dicit S. Dorotheus: *Caue à multiloquio, hoc enim sanctas ac rationabiles & à cœlo aduenientes cogitationes penitus extinguit.* Et contra dicit S. Bernard. *Iuge silentium, & ab omni strepitu sæcularium perpetua quies cogit cœlestia meditari.* Et de oculorum modestia agẽs, ait: Oculi in terram demissi iuuant ad

Custodi cor. Prou. 4. 23. — *Greg. lib. 21. mor. c. 2.* — *Oculos. Doroth. ser. 21.* — *Tho. à Kemp.* — *Doroth. serm. 20. Linguam.* — *Bern. ep. 78.*

cor semper cœlo leuandum. Id re ipsa discimus, dum enim oculos modeste demittimus, sumus collecti & deuoti.

Cassian. l. 4. de inst. renun. c. 41.
Esto in multis sine auribus, oculis, lingua.

Hæc causa est, ob quam dicebant sancti Patres Ægypti (vt refert Cassian.) illum, qui vellet parare perfectam cordis munditiam & puritatẽ, & habere deuotionem & collectionem, debere esse surdum, cœcum & mutum. Hoc enim modo sensuum portis occlusis anima pura esset, & imaginatio non vaga, & disposita ad agendum & conuersandum cum Deo. Sed dicet aliquis, quomodo posset quis esse cœcus, surdus & mutus, qui toties cum proximo agit, & necesse est ei videre, & multa audire, quæ nollet? Remedium hic est illa audire, quasi non audirentur, & illis introitum dare altera aure, egressum verò altera, nec permittere menti inhærere, sed illa statim missa facere & floccipendere. Narrat Ephrẽ, quod proposito optime conuenit, de quodã monacho, qui à sene quodam patre petebat: Quid faciam? Abbas iubet, vt pistorem in pistrino iuuem, & ibi sunt iuuenes externi, quæ multa impertinentia tractant, quæ me audire non decet: quomodo me geram? Respondit Senex: Nunqd vidisti in schola pueros multo cum murmure & strepitu discentes & legentes lectionẽ, quã magistro recitare debent, & vnusquisq; suæ lectioni intẽtus est, & nõ aliorũ, qa scit se suę rationẽ dare debere magistro, & non aliorũ. Tu fac similiter & non attende ijs, quę alij dicũt vel faciunt, sed tuo solũ officio, hoc enim est, cuius Deo ratio reddenda est. Dicitur S. Bernardus cor tam in Deo fixum habuisse, vt videns non videret, & audiens non audiret, & suis sensibus vti nõ videretur. Exierat annũ nouitiatus, & adhuc ignorabat, ex quo factũ esset tectum cellæ, an esset cameratũ an ex ligno, erant in templo tres fenestrę vitreę, & ipse nunquã nisi vnã viderat. Profectus erat fere toto die per ripã lacus, & loquentes post socios de lacu interrogabat, vbi lacum illum vidissent, ille non viderat. Similiter dicitur de Abbate Palladio, quod viginti annos in cella habitauerit, & nunquam leuauerit oculos in tectum. Hoc modo, quãuis in mundo cũ proximis agamus, surdi, cœci & muti erimus, & strepitus, quẽ audimus & videmus, nõ impediet profectũ nostrum.

Ephrem to. 2. c. 73. de varia doctri. p. 234.
Idque disce à pueris abecedariis.
Talis erat S. Bernardus.
Palla. in Prato spirit.

CAPVT III.

De aliquorum deceptione, qui exteriora hæc parui faciunt, dicentes in his perfectionem non esse sitam.

De modestia & silentio.

EX dictis facile colligere est, quam fallantur, qui exteriora hæc parui faciũt, dicentes in his perfectionem non esse sitam, sed in cordis interioribus & veris & solidis virtutibus. Lipomanus huic materiæ optime quadrans exemplum sumptum ex Prato spirituali adfert: Dicitur de quodam sene vno ex his, qui morabãtur in deserto Scythię, iuerat quodam die Alexandriam, vt sportas venderet, quas fecerat, & vidit ibi monachum iuniorem, qui intrauerat tabernam, vnde senex hic multum tristabatur: & proposuit expectare, donec exiret, & illi mentẽ suã aperiret, & exeuntẽ duxit seorsum, & dixit: Frater, non vides, quod sis iuuenis, & quod inimici nostri laquei multi sint? nescis quãtum damni accipit monachus, dũ in vrbibus est, a figuris & repsentationibus, quas oculis & auribus percipit? quomodo ergo audes intrare tabernam, vbi tot mala virorum & mulierum consortia sunt, & vbi forsan tibi mala audienda & videnda quę nolles? ne, fili mi, amore Dei sic facias, sed fuge in desertum, vbi Deo iuuante saluus & securus esse poteris. Respondit iunior: Vade pater, nõ in eo sita est perfectio, sed in cordis munditia. Cor mundũ habeo, quod Deus requirit. Tunc senex ad cœlũ leuauit manus, dicẽs: Benedictus sis Domine, 55 annos desertum Scithiæ inhabito cum maxima, quod potui, collectione, & adhuc cor mundum non habeo, & hic agens & conuersans in tabernas parauit cordis munditiam. Hoc ergo sit responsum tuum: Fateor essentialem perfectionem in cordis puritate & munditia sitam esse,

Pratum spiritual. c. 194.
Immemor doctrinæ Frater fallitur.

esse, & in Dei charitate & amore, & non in his exterioribus. Tu tamen hanc perfectionem non habebis nec assequeris, nisi bene custodias sensus per modestiam & exteriorem compositionem.

Hoc recte notat S. Bonauent. & reddit rationem, nam his exteriorib. acquiritur & conseruatur interius, & hæc sunt propugnacula & defensiones cordis. Vt hic videre est, naturã arborẽ nõ pducere sine folijs & cortice, nec fructũ sine putamine, sed omnia facere cum suis defensiuis ad conseruationẽ & eorum ornatũ, sic etiam gratiã, q̃ secundũ naturã operatur, & perfectius illa, non operatur interiorẽ virtutem, nisi per exterius mediũ: hoc cortex & putamen est, quo cõseruatur virtus & interior collectio, & cordis puritas & munditiês. Et eo deficiente, deficiet & alterũ, vt.n. corporalis sanitas vel infirmitas non in exteriore colore bono vel malo consistit, sed in temperie vel intẽperie humorũ interiorũ; nihilominus videntes aliquem malo colore esse, statim dicitur: hic ægrotat non est sanus, videsne quo colore est, flauó colore suffusus est, q̃ malos oculos habet? idem in vita spirituali accidit.

Nucleus spiritus cortice modestiæ tegitur & seruatur.

S. Basil. insigni similitudine idẽ declarat, quam cum ipse adferat & nos adferre possumus. Præsupponit & allegat doctrinam & communem illam sanctorum allegoriam, sensus exteriores esse fenestras, quibus anima vtitur ad videndum, quid foris fiat. Et dicit, inter animã collectam eam esse differentiam, quæ est inter mulierem honestam & impudicam. Mulierem honestam vix vnquam viderit in fenestra, impudicam vero toto die in fenestra & ostio videre est, videntem quidquid transit, & vocantem vnum, & loquentem alij, & garrientem cum alio. Eadem est differentia (dicit S. Basilius) inter collectum & distractum Religiosum: collectum enim vix vnquam videbis affixum sensus fenestris, intus est in secreto cordis. Alterum vero videbis quotidie ad fenestras videntem quid transeat, audientem quid dicatur, loquentem, & tempus transigentẽ cum hoc & illo. Honestas vel impudicitia mulieris non consistit in eo, quod fenestræ affixa sit, vel non, sed mulier leuis & vaga, & amica colloquij & garrulitatis, magnum leuitatis & vanitatis suæ signum dat, & hoc solum sufficeret, vt pro impudica haberetur, etiãsi non esset. Idem hic iudicium est: perfectio nõ consistit in linguæ & sensuum custodia, sed tamen anima vaga, garrula, & amans consortium & colloquium non acquiret perfectionem, & cordis puritatem.

Basil. tract. de vera virg. c. 2.

Quæ differentia sit inter collectum & distractum.

Et hic notãdum alterũ punctũ principale, quod vt exterius iuuat ad cõponendum & conseruandũ interius, sic etiã interius promouet statim & cõponit exterius: vbi Christus est, modestia quoq; est, dicit Greg. Nazianz. Dum interius solida & perfecta virtus est, statim grauitas & pondus est in oculis, in lingua, & magna in passu maturitas, & in omni nostro motu. Interior grauitas & constantia addit grauitatem & constantiã exteriorem. Hæcq; modestia est, quam Pater noster à nobis exigit, quæ nascatur à pace & vera animæ humilitate, non modestia ficta, & artificio simulata, hæc enim nõ durat, sed meliori tempore deficit, sed est quasi suppositum quid: sed huiusmodi modestia ex seipsa tanquam effectus ex causa sua orta, videlicet ex corde composito, mortificato & humili.

Exterior modestia interioris fructus est.

Vnde facile colligere est signum valde manifestũ ex quo cognoscitur, an homo sit spiritualis, nec ne, an in spiritu proficiat, nec ne. Id S. Augustin. hac comparatione declarat: Vt nos cum adulti non delectamur ludis & iocis, quib. delectabamur pueri, quæ si nobis subtracta tunc fuissent, procul dubio magnæ tristitiæ & doloris causa fuissent, quod nunc adulti non sentimus, eo quod ludi puerorum & recreationes sint, & non adultorum & virorum: Id & euenit (dicit) in vita spirituali, quando aliquis incipit delectationem habere in Deo & exercitio virtutis, & euadit in spiritualem hominem, & virum perfectum, non sentit nec angitur, si ei carendum sit delicijs & delectationibus sensualibus, quib. oblectabatur puer

Et inde simul.

August. l. 83. q. 70.

& imperfectus in virtute: hæc enim puerorũ & imperfectorũ oblectamenta sunt,

1.Cor.13.11.

ipse vero iam vir factus est. *Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebã vt paruulus, quando aũt factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Vis ergo scire, an vir sis, & an ꝓficias & crescas in perfectione, vel num adhuc puer sis, vide an reliqueris & oblitus sis, quæ sunt pueri, si.n. adhuc delectaris crepundijs & ludis puerorũ, puer es, si puerilibus oblectaris; si sensus profundis, & pascis oculos videndo vana & curiosa, & audiendo quicquid fit, & loquendo futilia, & nihil ad rem facientia, puer & imperfectus es, quandoquidem puerilibus oblectationibus & nugis recrearis. Homo autem spiritualis, qui adolescit, & euadit in virum perfectum, his non capitur, sed illa potius ridet, vt vir adultus de crepundijs & ludis puerorum, & erubesceret illa tractare.

Capvt IV.

De silentio, deq́; bono & vtilitate in eo sita.

Silentiũ magnum spiritus adiumẽtum, & contra.

INTER omnia media, quæ multũ faciunt ad in virtute proficiẽdum, & perfectionem parandã, erit cõpescere & mortificare linguã: & contra inter omnia, quę nos damnabũt, & profectũ impedient, est vel illud vnũ, si hęc negligamus. Vtrumq; docet S. Iacob. in Epist. sua Canonica: pro vno enim dicit: *Si quis in verbo nõ offendit, hic perfectus est vir:* & pro altero: *Si quis putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* S. Hier. ad commendãdam silentij custodiã affert hanc authoritatẽ, & dicit, sanctos illos Patres eremi se fundãtes super hac sententia & doctrina Apostoli Iacobi summo studio illud seruasse. Ait se multos horũ Patrũ reperisse, qui toto septennio nemini locuti erãt verbũ. Hincque, teste Dionysio Carthusiano, omnes religiosi ordines pro regula sua principali statuerunt illam de silentio, idque tanto cum rigore, vt statuerent & decernerent, eum publica disciplina puniendum, qui silentium transgressus esset.

Iacob.3.2.

Iacob.1.26.

Hiero. in reg. monachor. c. 22.

Dionys. Carthusian.

Silentij damnum opinione maius.

Sed inquiramus, quid causæ sit, quod tam nobis id commendetur. Tantumne peccatũ, verbũ otiosum loqui? an plus sit, quã aliquid tẽporis in eo proferẽdo consumere? nunquid plus q̃ peccatũ veniale, quod aqua benedicta abluitur? Plus sane in eo situm esse debet, quam aliquid temporis perdere, & maioris ponderis hoc negotium, quam videtur, quãdoquidem S. Scriptura tam id commendat & exaggerat. S. enim Spiritus non solet quid exaggerare, nec alio pondere metiri, quam habet. Sancti & Ecclesiæ Doctores, quibus à Deo singularis lux ad intendendum & declarãdum S. Scripturæ mysteria concessa est, valde ample magna commoda, quę silentij custodiam consequuntur, exponunt, similiterque ingentia damna, quæ ex contrario proueniunt.

Basil. in reg. fusius disput. 13.

Tiro spiritualis à silentio incipiat.

S. Basilius, valde vtile esse, dicit, præcipue incipiẽtibus, exercere se silentio: primo, vt discant loqui, vt conuenit, multæ enim ad hoc requiruntur circumstantiæ, & res est ardua & magnæ difficultatis. Et quandoquidem nobis persuademus multorum annorum, tempus optime impendi in alijs scientijs & artib. discẽdis, dummodo illas discamus, ratio etiã dictat, vt annos aliquot in sciẽtia hac bene loquẽdi impendamus, si enim te facias discipulum, & discere labores, nunquam magister eris. Dices forsitan: Multum loquendo, loqui discemus, vt aliæ scientiæ & disciplinę multo vsu & exercitatione discũtur. Dicit S. Basilius, scientiam hanc bene loquendi non posse doceri, nisi tacendo, & se diu & multum silentio exercendo; & subiũgit rationẽ: Vt enim bene loqui dependet à multis circũstantijs, & nos male assueuimus ijsdem loqui, sed id, quod in buccã venit, & dum videtur, & tali tono, vt volumus, & sine ordine & regula; silentium duo dat, eaque magna ad scientiam loquendi: prius quod longo silentio obliuiscamur priorẽ peruersum nostrũ modum loquendi, quẽ nobiscum mundo intulimus, quod multũ facit, vt quis bene loqui condiscat, & vt quis male loqui obliuiscatur. Posterius est, quod silẽtio tempus

Silentium dedocet idioma Ægypti.

pus

Docet recte loqui.

pus & spatium detur, vt discamus bene loqui: dat enim id perample, vt interim inspiciamus veteres Religiosos, qui hac in sciētia perdocti nouerūt loqui, vt conueniebat, vt ab ijs id discamus, & nobis imprimatur maturitas illa, qua ipsi loquuntur, & illa tranquillitas & pondus verborum, quo vsi sunt. Vt tiro intuetur, quo modo magister opus facit, vt ipse eodem modo id imitetur, & sic discit, & fit magister. Sic & nobis intuendi, qui hac in parte excelluerūt, vt ab ipsis discamus. Intuere seniorē fratrē, & alterū patrē, quam exactū loquēdi modū habet. quāta gratia expedit, & satisfacit omnib. cū eo loquētibus & agētibus, quantūuis valde occupatus sit, sic vt nihil illi aliud negotij videatur esse, q̄ vt tecū agat. Semper eū eodem vultu, eadē dispositione inuenies; nō vt tu es, qui multū occupatus respondes aspere & morose. Intuere alterū, quando quid ex obedientia iniungitur, q̄ bene respondet: Placet, lubens faciā, nec se excusat, nec quærit, quis iubeat. Aliū intuere, q nunquā potest dicere verbū tædiosum, nec fratrē molestia afficere, nec se recreādo, nec alias, nec ridendo, nec facetias ꝓferēdo, nec præsens, nec absens, cū omnibus & de omnib. cū respectu & honore loquitur, & te sic loqui discit. Attende aliū, cui dum verbū diceretur, quo poterat offendi, nō simili respōdit, quāta gratia dissimularit, quasi nō intellexisset, secūdum illud Prophetæ: *Factus sum sicut homo non audiēs.* Quā nouerit & se & fratrē lucrifacere: & hinc disce te similiter in similibus habere. Ob hæc duo dicit S. Basilius multum prodesse longum silentium: Quippe cum taciturnitas simul & obliuionem ex dissuetudine pariat, & ad ea, quæ recta sunt, discenda otium suppeditet.

Disce loqui à veteranis.

Basil. in reg. fusius disput. 13.

Tiro spiritualis à silentio incipiat.

Psal. 37. 15.

S. Ambros. & S. Hier. in illud Ecclesiastæ: *Tempus tacendi, & tēpus loquendi* idem cōfirmant & dicunt hāc causam fuisse, ob quā Pythagoras vetustiss. Philosophus ꝓ prima regula daret discipulis, vt quinquennium silerent, vt longo hoc silentio obliuiscerentur suum malum loquendi modum, & eum audientes discerēt, quid esset loquendū, & sic in magistros euaderent. Ideoq; sic concludit S. Hieron. *Discamus itaq; & nos prius non loqui, vt postea ad loquendū os reserem⁹. Sileamus certo tempore, vt præceptorum eloquia pendeamus, nihil nobis videatur rectum esse, nisi quod discimus, vt post multum silentium de discipulis efficiamur magistri.*

Ambro. li. 1. offic. c. 10. Hier. Eccles. 3. 7.

Silentium dedocet idioma Ægypti.

Et licet Sancti incipientibus loquātur, tamen ad nos omnes dicta pertinent. Vel enim es senior, vel nouitius, vel in linguæ custodia te vis habere vt nouitium, vel vt seniorem & prouectum: elige quod vis: si nouitius es, vel te vt nouitium habere vis, prima regula debet esse silentium, donec noris bene loqui, vt dictū est. Si senior es, vel te vis vt seniorē haberi, exemplum & speculū esse debes, quod nouitius intueri debet, & à quo discēdum incipienti. Pluris facio, te vt seniorem quam nouitium haberi; magis enim obligat seniorem esse, ideo nouitius fuisti, tantoque tempore siluisti, vt loqui disceres. Et nunc fas erit, vt scias loqui post tantū tempus, sin nunquam fuisti nouitius, nec loqui didicisti, debes te in hoc nouitium facere, vt sic discas cōuenienter loqui, dū & sicut decet.

Caput V.

Silentium magni momenti medium esse ad discendum orare.

Non solum silētium medium est, quo discunt homines loqui, verum etiam multum prodest, & necessarium, vt discāt loqui & cum Deo agere. Hoc D. Hieron. affirmat, hancq; rationem fuisse dicit, ob quam S. Patres tanti silentium fecerunt. Ex hoc enim in eremo sancti Patres edocti summa cum diligentia obseruant sancta silentia, tanquam sanctæ contemplationis causam. Et S. Diadocus agens de silentio dicit: Præclara ergo res est silentium, nihilq; aliud, quam mater sapientissimorum cogitatuum. Si ergo spiritualis esse vis, & homo aptus ad orandum; si cum Deo agere & conuersari, custodi silentiū. Si bonas semper cogitationes habere, & inspirationes diuinas audire vis,

Docet orare.

Hiero. in reg. monachor. c. 22.

D. Diadoc. l. de perf. spirit. c. 70. in Bibliothec. SS. Patr. tom. 3.

serua silētium & collectionē. Sicut.n.aliqui surdi sunt, quia impedimētum in auditus organo habent, alij vero ob magnū murmur & tinnitū non audiūt; sic ēt strepitus & murmur verborū & mundi negotiorum impedit, & nos surdos reddit, ad diuinas inspirationes audiēdas, & curanda nobis necessaria. Vult Deus solitudinem, vt cū anima agat: *Ducā eam in solitudinē, & loquar ad cor eius*, dicit Oseas Propheta: ibi consolationes & deliciæ erunt. *Ecce ego lactabo eam.* Vt indicet fauorem & gratiā, quam impertit animę, dum se colligit. Docet S. Bernar. Deus spiritus est, & non corpus, & ideo spiritualē & non corporalem solitudinem petit. Et S. Gregor. dicit: *Quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis?* Quod Deus requirit, est, vt intus in corde facias habitationem & cellā, vt ibi cū Deo agas, & vt diuina Maiestas delectetur tecum agere & cōuersari. Et sic faciens, dicere poteris cum Propheta: *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Nec ad id opus est, vt Anachoreta fias, & fugias commercium & consortium proximorum. Sin semper vis esse deuotus, dispositus & paratus, ad facile te dandū orationi, serua silentium. Optime dicit S. Diadoc. Dum balnei ostiū sæpius aperitur, facile illac exit calor; sic ēt dum quis sæpe loquitur, per os egreditur calor deuotionis; statim cor diffunditur, & à bonis cogitationibus deseritur. Facile videre est, quā facile euanescat succus deuotionis, simulatq; aperitur os ad multiloquium; cor enim per os euaporatur. Si vero multo tēpore re occupari vis, & multa seponere, & seruare ad orationi incumbendum; serua silentium, & videbis tibi tempus superesse, vt cum Deo & tecum agas. Quam recte dixit Sanctus quidam; Si te subtraheres superfluis sermonibus, & otiosis circuitionibus, nec non & nouitatibus & rumoribus audiendis, sufficiens & aptum pro bonis meditationibus insistendis. Sin amicus colloquij es, & per sensus diffunderis, noli mirari, si semper tempus tibi desit ad exercitia ordinaria. Vt legitur de filijs Israel, qui, quia ibant dispersi per Ægyptum, vt paleas quærerent, non poterant perficere opera ordinaria, ideoque puniebantur.

[Marg.: Solitario corde Deus gaudet. — Bern. ser. 40. in Cant. — Greg. lib. 30. mor. c. 12. — Psal. 54. 8. — D. Diadocus vbi supra. — Multiloquio extinguitur spiritus. — Th. de Kemp. — Exod. 5. 12.]

Aliud punctū principale hic obseruandum, quod vt silentium causa est cōtemplationis, sic & oratio, contemplatio & cōuersatio cum Deo causa est silentij. Dicebat Moyses Deo: *Ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.* Et Propheta Ieremias incipiens cum Deo loqui, dicit se infantem factū, & loqui nescire. Aduertit hic S. Gregor. homines spirituales, & qui cum Deo agunt & conuersationē habent, statim mutos fieri in rebus mundanis, & fastidire de illis loqui & agere, non enim audire, nec de alio agere velle, quā de eo, quod amant, & in corde habent, & omnia alia illis tædio & fastidio esse. *Valde enim insolens & intolerabile æstimant, quod illud non sonat, quod intus amant.* Idq; hic re ipsa experimur, & vt id aduertas, quādo Deus aliqua te gratia in oratione dignatur, & ex ea cum deuotione venis, nulla tibi est cupido cum aliquo loquendi, nec oculos circumflectere, nec noua audire, sed tibi videntur os & sensus quasi sera conclusi. Quid huius causa est? nulla alia, nisi quod intus sis occupatus, & cum Deo agas, hinc nullo desiderio afficeris quærendi exteriores delectationes & cōsolationes: & contra, dum quis distractus & foras effusus est, intus nihil habet conuersationis & recreationis. Hinc ille Sanctus ait: Quid causæ est, nos tam libenter loqui & disserere cum alijs, videntes, quam raro sine conscientiæ damno ad silentium redeatur? Dicit, hanc esse causam, quod per colloquia consolationem à nobis mutuo expetamus, & cor multis cogitationibus aggrauatum leuari, & recreemur loquentes & cogitantes quæ amamus, vel quæ nobis contraria sunt. Viuere sine delectatione & recreatione aliqua nō possumus, & quia intus cum Deo id non habemus, in exterioribus quærimus. Hæc ratio est, quod in Religione tanti faciamus & tam reprehēdamus hos & similes defectus exteriores, quamuis ex se minuta videātur,

[Marg.: Exod. 4. 10. — Ierem. 1. 6. — Greg. lib. 7. mor. c. 6. — Oratio parit fastidiū multiloquij. — Th. de Kemp. — En tibi causam, cur tam stricte silentium à Religioso requiratur.]

vt sunt, rumpere silentium, tempus consumere, & similia; quæ signa exigui profectus sunt, & virtutis interioris. Hoc ipso ostendit quis, quod cum spiritu non agat, nec cœpit cum Deo recreari, & cum se solo in cello. Dum arca hæc seram non habet, facile aduertere est, ibi thesaurum repositum non esse, nec quid pretiosum seruari. Dum nux auellana leuis est, & pondus nō habet, signum est vacuum esse, & nihil substantiæ continere. Hoc his in rebus maxime attendendum, & ideo tanti facimus.

Caput VI.

Silentium singulare medium esse, vt quis proficiat, & ad perfectionem perueniat.

P. N. Natal. Dicit quidam spiritualis & doctus Pater, quid bene notandum de silentio, quod eius pondus exacte declarat, & quamuis id hyperbolice & ex abundanti cuiquam dictum videatur, tamen veritas ipsa & nuda est & re ipsa comprobata. Dicebat, ad totam domū, imo Religionem reformādam nihil aliud requiri, quam vt reformetur silentium, si silētium in domo sit, iam illa pro reformata habebitur. Non videtur maiore silentio laus tribui posse, hac enim omnes aliæ continentur. Ratio huius est, quod vigente in domo silentio, quisq; negotiū suum curat, ob quod religionem intrauit, quod est piritualiprofectu studere. Exulante vero silentio, statim videre est oriri querelas, discursus, murmurationes, priuatas amicitias, quæ his conuersationibus & familiaritatibus aluntur: tunc tempus inutiliter consumitur, & causa alijs cōsumendi præbetur, & multa inconuenientia, hinc orientia. Ideoq; videmus, dum in monasterio silentium non est nō videtur religiosa domus sed sæcularis: & contra, dum silentiū est, religiosa domus videtur, & paradisus, & quicunq; portam intrat, statim sentit omnia sanctitatem olere, solitudo & silentium spiritum leuant, & ad deuotionem intrantes excitant: *Vere Dominus est in loco isto. Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.* Idem dico de vnoquoq; in particulari, si se reformet in silentio, eum ego reformatum duco. Id vsu discimus, dum enim multū loquimur, in examine reperimus nos multorum reos. *Vbi verba sunt plurima, ibi frequenter egesitas*, miseria & planctus. Dum vero bene silētium custodiuimus, vix inuenire est, quod examinetur. *Qui custodit os suum, custodit animam suam:* dicit Sapiens. Imo Saulus vir grauis & doctus inter Lacedæmonios rogatus, cur Lycurgus tam paucas leges Lacedæmonijs dedisset, respondet, ijs qui parum loquuntur, vt Lacedæmonij, vix legibus opus esse. Sic vt silentiū particulari & toti domui, imo toti religioni reformādę sufficiat. Hæcq; causa est, quod veteres Sancti tanti silentiū faciebant & exercebant, & inter leges suas silentiū, tanquā præcipuam religionis fundamentum ponebāt. Hincq; dicit Dionys. Carthus. S. Apostolum Iacobum dixisse: Qui non peccat in lingua sua, vir est pfectus & si quis putat, se religiosum esse, nō refrænans linguam suam, fallitur, & huius vana est religio. *Iacob. 5. 26.*

Gen. 28. 16.

Silentiū religiosi cura ad multa prodest.

Silentium est medium perfectionis.

Consideret ergo hic quisq; q̄ parū sit, quod petitur, vt pfectus sit, & q̄ facile ad id consequēdum mediū detur. Si multū in virtute pficere vis, & ad perfectionē ptingere, serua silentium, & hoc ipso (teste Ap. Iacobo) cōsequeris. Si homo spiritualis & ad orationē aptus esse vis: dicūt Sancti hoc vnicū esse mediū id parādi. Et cōtra, si silentiū tibi non est curę, nunq̄ orationi aptus eris, nunquā ad pfectionē venies, nec spiritualis eris. Dic mihi an vnq̄ loquacē & garrulū videris contemplatiuū & spiritualē? nec quidē profecisse vidisti: *Nunquā vir verbosus iustificabitur?* dicit S. Iob. In quæ verba dicit S. Greg. certū esse loquacem nunquam iustificandum, nec multū profecturū. Ad quod probandū allegat multas Scripturæ autoritates, & inter alias illā Prophetæ: *Vir linguosus nō dirigetur in terra*, non progredietur, non crescet, & subiacebit maledictioni illi Iacob: *Effusus es sicut aqua, non crescas*, cor effudisti vt aquam per os & sensus, petijsti.

Iob. 11. 2. Greg. lib. 10. mor. c. 2.

Psal. 139. 12.

Neglecti silentij mala.

petijsti vanas recreationes in exterioribus, non cresces, nec progredieris.

Num 19.1.

Recte æquiparãt Sancti eũ, qui os non custodit & claudit, vasi sine tegumento, quod Deus iubet ꝓ immũdo haberi: *Vas, quod non habuerit operculum nec ligaturam desuper, immundũ erit:* quia aptum erit ad quamcunq; immunditiã recipiendam, & statim impletur puluere & sordibus; sic ẽt dũ quis os nõ occludit, statim imꝑfectionibus & peccatis repletur. Idẽ S. Spiritus per Sapientẽ sæpius inculcat: *Qui multis vtitur verbis, lædet animam suam.* Et alibi: *In multiloquio non deerit peccatum.* Et alio loco: *In multis sermonib. inuenietur stultitia.* Vtinam hoc toties nõ experiemur, vt experimur. Dicit S. Greg. Incipies à bonis verbis, & peruenies ad otiosa, & inde ad alia iocosa, inde ad molesta, & paulatim lingua incalescet, & crescet desiderium augendi, & curandi, vt dicta quid esse videantur, & dum non aduertis, vagatus eris in mendacia, mala & perniciosa, incipies à paruis, & desines in magnis; sic enim solet fieri, vt si quis incipiat ridendo, desinat murmurando.

Silentium negligere, imperfectiones & tentationes generat.
Eccles. 20.8.
Prou. 10.19.
Eccles. 5.2.
Greg. lib. 7. mor. c. 17. & 3. p. Past. admon. 3.

Præterea dicit Albertus Magnus: *Vbi non est taciturnitas, ibi homo de facili ab aduersario superatur.* Ad quod docendum adducit illud Prouerbiorum: *Sicut vrbs patens & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* In quæ verba dicit S. Hieronymus, quod sicut vrbs aperta, & muris non munita facilis est expugnatu & spoliatu ab hostibus; sic & ille, qui hoc muro silentij munitus non est, in magno versatur discrimine, vt à Diaboli tentationibus expugnetur. Et huius mage specialis ratio reddi potest: sicut homo, qui varijs occupationibus distinetur, sæpe fallitur, sed qui sui compos est, difficillime; sic etiam, qui non seruat silentium, facile à Diabolo decipitur, eo quod distractus, & negotijs varijs & vanis occupatus sit, sed qui silentij & collectionis studiosus est, semper apud se est, & non facile à Diabolo falletur & seducetur.

Alb. Mag. l. de virt. c. 31.
Prou 25.28.
Hieronymus.
Idem Greg. 3. p. Past. c. 13. & l. 7. mor. c. 25.

CAPVT VII.

Non tristem & melancholicam, sed valde hilarem vitam ei esse, qui in modestia, silentio & solitudine agit.

EX dictis res consideratione digna in hoc negotio oritur: Vitam hanc collectam, & quod quis oculis immissis indemissis incedat, non velit loqui, nec audire, nisi quod necesse, & se simul & surdum, cœcum, & mutum amore Dei, non esse tristẽ & melancholicã, sed potis hilarem & iucundã, & tanto iucundiorẽ altera vita cõmuni, quanto consortiũ & conuersatio cũ Deo dulcior est consortio humano, ad quod nos inuitat hęc solitudo. Ait S. Hier. *Viderint alij quid sentiãt, vnusquisq; n. suo sensu ducitur, mihi oppidũ carcer, & solitudo paradisus est.* S. Bern dicebat, *Nunquã minus solus, quã cum solus.* Tunc maiori cum consortio sum, & maxime hilaris: quod enim cor maxime exhilarat, & contentum reddit, est, agere & conuersari cum Deo. Illi vero, qui non norunt interius hoc commercium, nec spiritum, nec orationem, nec in spiritualibus delectationem inueniunt, vitam agunt tristem, & melancholicam; quod tamen bono Religioso non sic videtur.

Vita in silentio acta iucunda est.
Hier. ep. 4. ad Rust. mon. de viuendi forma.
Bern. epi. seu tract. ad Fratres de Monte Dei.

Hinc alia fraus patefit, vt enim fur omnes suæ naturæ esse putat: sic aliqui videntes quem deuotũ, & solitariũ, oculis demissis, & non loquentẽ, vt se, quibusuis obuijs, statim autumãt illum tentatũ, vel tristẽ & melancholicum, & subinde illi id dicunt. Et huius timore aliqui non audẽt hac incedere cũ modestia & silentio, quo vellent & deberẽt. Quod bene aduertendum, ne quis sua mala discretione & timiditate sibi damnum inferat: quia enim tu hilaritatẽ & delectationẽ in silẽtio habere nescis, credis & alium habere nõ posse. Vel forsitan tibi molesta est alterius modestia, eo ꝙ tacita & assidua immodestiæ tuæ reprehensio sit, & ideo tibi intolerabilis. Sine alterum in suo exercitio progredi,

Tract. 1. c. 15.

gredi, maiore enim hilaritate & recreatione perfunditur quam tu, ipsius enim hilaritas spiritualis & vera est, de qua loquitur S. Paulus: *Quasi testes, semper autem gaudentes.* De quo & Seneca amicum suũ Lucilium certiorem reddit: Vera lætitia in exterioribus (dicit) nõn est sita, sed intus & in animo. Vt aurum & purius metallum non in terræ superficie, sed in venis & visceribus inuenitur; sic & vera hilaritas & delectatio non in eo consistit, vt quis eam exterius loquendo & ridendo demonstret, & conuersando cum aliis, hæc enim non satiat nec satisfacit animæ, sed illa quæ, vt purum putum aurum, sita est in venis & cordis visceribus. Verum gaudium & iucunditas in eo est, vt quis bonam habeat conscientiam, & generoso animo despiciat terrena, & omnibus maiorem & superiorem se ostendat.

2. ad Cor. 6. 10.
Senec. l. 3. ep. 23. ad Lucilium de solido & inani gaudio.

CAPVT VIII.

De circumstantiis in loquendo obseruandis.

Psal. 140. 3.
Ambr. l. 1. offi. c. 3. Greg. l. 7. moral. c. 17. & 3. p. pasto. admonit. 15.

POne Dom. custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.

Sancti & beati Ecclesiæ Doctores Ambrosius & Gregorius de multis malis & incõmodis agentes, quæ à lingua proueniunt, de quibus ample S. Scriptura, præsertim in Sapientiæ libro, & nobis sæpe commendantes silentii obseruantiam, vt tanta mala & pericula euitemus; dicant: *Quid igitur mutos nos esse oportet: Minime* id volumus dicunt sancti illi, silentii enim virtus in non loquendo sita est. Quẽadmodum temperantiæ virtus non in nõ comedendo, nisi dum & quod non necesse est, consistit, & in abstinendo: sic etiam silentii virtus non in non loquendo sita est, sed in eo quodq uis possit silere tempore & loco, & eisdem loqui. Et ad id probandũ allegat id Ecclesiastæ: *Tempus tacendi & tempus loquendi.* Hincque magno iudicio opus, vt quis vtroque suo tempore vti sciat, vt enim error loqui dum non est loquendam, sic etiam est silere, dum loquendum est. Duo hæc sunt dicunt Sancti illi quæ Propheta in dictis verbis indicat: *Pone Domine custodiam ori meo.* Quam custodiam petis sancte Propheta? *Ostium circumstantiæ labiis meis*: ostium, quo labia mea claudantur. Bene notat S. Greg. Dauid non petere, vt parietem ponat Deus, vt nunquam aperiatur, sed ostium, quod suo tempore aperiatur & claudatur: ad indicandum, suo tempore silendum & os claudendum, & iterum suo tempore aperiendũ, & in hoc discretionem & virtutem silentii sitam esse. Idẽ est quod petit Sapiens, dum ait: *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, vt non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me?* Tot opus circumstantiis & conditionibus, vt quis sine errore loquatur, vt merito Sapiens timeat, ne per linguam perdatur, ideoque discretionem hanc petit, vt norit dum conuenit, aperire & claudere os, vna enim sola circumstantia deficiente, facile errare erit. Et vt certe & bene loquamur, opus est omnes circumstantias concurrere, ita vt ne vna quidem desit: *Quia bonum consurgit ex integra causa,* sic vt nec vna possit deesse, *malum autem ex singularibus defectib.* hæc est differentia virtutis & vitij.

Tace & loquere discrete.
Eccles. 3. 7.
Eccles. 22. 23. & c. 28.

Circumstantiæ in loquendo necessariæ fere describuntur à SS. Basilio, Ambrosio, Bernardo & aliis. Prima eaq; præcipua est; bene attendere quod sit dicendum, & ipsa natura circumspectionem magnam in loquendo obseruandam nobis demonstrat, quandoquidem sic linguam custodiuit & abscondit, non vno tantummodo ostio & claustro, sed duob. priore labiis, & posteriore dentibus, vt murum & antemurali dentes circumsepsit, nulla posita aurib. custodia. Vt hinc sciamus quanta difficultate & circumspectione in loquendo opus sit, & facilitate & promptitudine in audiendo, secundum quod dicit S. Apostolus Iacobus: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendam.* Idem docet factura & harmonia linguæ, sunt enim in ea duæ venæ, altera ad cor, altera ad cerebrum

Basil. in reg. breue. 208. & in constit. monast. c. 12. Ambr. l. 1. offic. c. 10. Bern. de ordine vitæ & morum inst. cap. 6.
Loquere circumspecte.
Iacob. 1. 19.

tendens, vbi sedē intellectus locant Philosophi, vt indicetur, id quod dicendum, à corde procedere debere, & pro regula rationem habere. Hocque primum consilium, quod ad recte loquendum dat S.

Augustinus.

Aug. *Omne verbum prius veniat ad limam quam ad linguam.* Prius cordi inscribendum, & ratione limandum, quam ore exeat. Hoc est discrimen, quod Ecclesiasticus ponit inter sapientem & stultum: *In ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientium os illorum.* Fatui enim cor in lingua habent, linguæ cor subiecerunt, & inordinate loquendi appetitui, & ideo dicunt quidquid in buccam venit, cor enim statim consentit, quasi cor & lingua vnum quid essent. Sapientes autem & prudentes linguam in corde habent, quicquid enim loquuntur, inde procedit, & consilio rationis linguam cordi subiugarunt, & non vt fatui, linguæ cor.

Ecclef.21.29.

Cyprianus.

S. Cyprianus ait: sicut homo sobrius & temperatus nihil in stomachum demittit quod prius non mandat; sic & homo prudens & discretus verbum nullum emittit ore, quod prius in corde non bene ruminauerit. Ex verbis enim nō bene expensis & ponderatis nasci solent contentiones.

Vincentius.

Alius sanctus ait, tanta difficultate nobis ad loquendum aperiendum os, quanta aperimus crumenam ad soluendum. Quāta mora & cogitatione aperit quis crumenam, ante bene exanimans si & quantum debeat. Eodem modo & difficultate os ad loquendum tibi aperiendum est, animaduertens si debeas loqui, & quid, & ne loquare plus quam debes, vt alter, qui non plus soluit, quam debet. Cum his conuenit S. Bonauentura, dicens hominē tam cautum & parcum in verbis esse debere, quam auarum in pecuniis.

Bonauentura to 2. opusc. li. 2. de profectu religios. c. 10.

S. Bern. hoc adhuc contentus non est, sed dicit: *Antequam verba proferat, bis ad limam veniant, quam semel ad linguam.* Idem ait S. Bonauent. & S. Ephrem citat, quod habet ex Ammonio Abbate: Antequā loquaris, cōmunica cum Deo quod loquēdum est, & similiter rationē & causam loquendi expende, & tunc loquere, vt voluntatem Dei exequens, qui te vult loqui. Hæc prima & præcipua circumstātia ad bene loquendum, & si hanc seruauerimus, aliæ obseruatu faciles erunt.

Bern. in speculo monach. Bonau. in speculi disciplin. c. 5. Ephrem to. 2. p. 281. c. 18.

Secunda in loquendo obseruanda circumstantia est finis & intentio, quæ nos ad loquendum mouet. Non enim sufficit verba esse bona, sed etiam necesse finem bonum esse, aliqui n. bona loquuntur, vt spirituales videantur, alii vt se venditent pro acutis & disertis: quorū prius est hypocrisis & simulatio, posterius vanitas & stultitia. Tertiū, quod requiritur, dicit S. Basil. esse, cōsiderandū quis sit qui loquitur, & cui, & corā quo loquitur: & dat hic bona documenta, vt qui iuuenes se corā senioribus & sacerdotib. habere debeant qui tales nō sunt. Omnia S. Scripturæ testimoniis confirmans: *Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum.* Bonæ educationis & reuerentiæ signum est tacere coram senioribus & sacerdotibus. S. Bern. dicit iuniores tacendo honorare seniores hic enim reuerentiæ & obseruantiæ modus est, quo ipsis ceditur. Et bonam rationem addit: *Silentium est maximus actus verecundiæ*, quæ valde decet iuniores. S. Bonauentura clarius hoc explanans dicit, vt timor Dei componit & ordinat hominem in interiori, & eum Deo amicum reddit, sic & verecundia hominem exterius cōponit & ordinat, & reddit eū verecundū, modestū & taciturnū coram maioribus.

Ex recta intentione.

Basilius.

Verecunda.

Eccl. 7. 15.

Bern. de ord. vitæ & morum instit.

Quartam circumstantiam dicit S. Ambrosius esse, intueri tempus, quo loquendum. Prudentię enim munus præcipuum est scire loqui tempore & loco. *Homo sapiens tacebit vsq; ad tempus, lasciuus autem & imprudens non seruabunt tempus.* De hoc qui hanc circumstantiā tempore & loco loquendi obseruat, dicit S. Spiritus: *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbū in tempore suo.* Hic valde decens est, & aridet multum. Et contra, si quis etiā bona loquatur, sed non suo tempore displicet: *Ex ore fatui reprobabitur parabola, non enim illam dicit in tempore suo.* Ad hanc circumstantiam pertinet, non interrumpere alicuius sermonem, quod impudentiæ &

Ambrosius. Accommodate tempori & loco.

Eccl. 26. 7.

Prou. 25. 11.

Eccl. 20. 32.

paruæ

Eccles. 11. 8. paruæ humilitatis. Non est oportunū loquendi tempus, dū alius loquitur. *Prou. 18. 13.* *In medio sermonē ne adiicias loqui*: dicit Sapiens. Exspecta, donec alius sermonē absoluat, & post tuū allegabis. Huic adiicitur, quod ibi addit: *Priusquam audias, ne respondeas verbum.* Et alibi dicit: *Qui prius respondet, quam audiat, stultū se esse demonstrat, & confusione dignū.* Quare ad rē non respondebat, putabat ꝙ hoc ipsi dicerent, & aliud ei dicebatur, quia nimis acute respōdebat. Aliud consiliū de respondēdo dat. S. Basil. *Basilius.* si ab alio quæratur, tu tace: & dum multi sunt, & petitur vt opinionē suam dicant, nisi à te in particulari quæratur, tace, *Verecunda.* paruæ enim humilitatis, si te principalem ostendere vis, & aliis maior videri. Tace, *Regula 38. communium.* donec in particulari iuberis loqui.

Quinta in bene loquendo circumstantia, quā docent Sancti, est *modus loquendi* *Demisse.* & vocis sonus. Hoc est quod nos docet regula, vt omnes voce demissa loquantur, vt religiosos decet. Hæc vna ex præcipuis silentii circumstantiis est, & potius magna eius pars. *Augustinus tract. 49. super Ioan.* S. Aug in verba illa Marthę, quæ sorori dicebat, quando Christus venit, vt suscitaret à mortuis Lazarū: *Ioan. 11. 28.* *& vocauit Mariam sororem suam silentio dicens: Magister adest & vocat te*, quærat quare dicat in silētio dicens: Magister adest & vocat te. Et respondet, vocem demissam vocari silentiū. Idē & hic fit dū alter alteri in officio demissa voce loquitur, dicimus in domo esse silentiū. Idē & hic fit, dū alter alteri in officia demissa voce loquitur, dicimus in domo esse silentium, *Bonauent. in speculo disciplinæ p. 4. cap. 5.* sed dū alta voce loquitur quāquam sit in necessariis, dicim⁹ nō esse silentiū. Sic vt in omni loco & officina sit silentiū, & videatur domus religiosa, & nos religiosi, oportet nos voce demissa loqui. S. Bonau. dicit magnum religiosi defectū esse, alta voce loqui, sufficit sic loqui, & vicini te possint intelligere Et si quid dicere vis, vt intelligat is, qui procul à te abest, accede illum, & dic, non enim decet religiosam modestiā clamare, etiamsi procul fiat. Et animaduertit S. Bonau. n noctē & tempus quietis & collectionis magis & in speciali exigere, vt vox demissior sit, ne alios tunc turbemus: idemq; exigunt loca particularia, vt sunt sacrarium, porta & refectorium.

Ad hanc circumstantiam de loquendi modo, dicit S. Boneuentura referri loqui *Bonauentura.* cum oris serenitate, nec gestus ore facere, *Decore.* leuando & multum ostendēdo labia, nec in oculis signa, nec in fronte, nec naso rugas, nec motus in capite exhibendo, nec multum manibus loquendo, quod tam in regulis modestiæ. Pater noster cōmendat. Ad hanc quoq; circumstantiam pertinere dicunt SS. Ambrosius & Bernardus: *Ambros. l. 1. offic. c. 19. Bern. de ord. vitæ & mor. instit.* *vt vox ipsa non sit remissa, non fracta, nihil fœmineum sonans, sed formam quandam, regulam ac succum virilem reseruans.* *Grauiter.* Et tamen, quantumuis vox esse debeat, nō fracta & feminina, dicunt non esse debere asperam, rusticā nec fastidiosam. *Sed vt molliculum, aut infractum vocis sonum aut gestum corporis non probo, ita neque agrestem aut rusticum.* Sermo ergo religiosi ita grauis esse debet, vt ei suauitas misceatur. *Suauiter in correptione.* Et quamuis semper necesse sit in loquendo seruare modum, id tamen maxime necessariū, dum volumus monere vel arguere; *Bonau. de Informatione nouitiorum.* si enim hoc non fiat, peribit plane diuus fructus. Et ideo bene dicit. S Bonauentura, quod ille, qui turbatus aut iratus alium corripit aut monet, videtur id potius iracundia & ad improperandū, quam caritate & zelo profectus facere. *Virtus cum vitio non docetur*: nec impatientia patientia, nec superbia humilitas: Alius vero patientiæ tuæ exemplo, & sermonū mansuetudine ædificaretur & proficeret. *Ambr. lib. 1. offic. cap. 2.* Ideoque dicit S. Ambrosius: *Monitio sine asperitate, & hortatio sine offensione.* *1. ad Timot. 5. 1.* Ad quod ostendendum adferunt illud Apost. Pauli: *Seniorē ne increpaueris, sed obsecra vt patrē.* *Sine affectatione.* Hic ēt vitio vertitur cū affectatione reprehendere, vt quis prudens & loquens esse videatur. Ideo valde reprehenduntur concionatores, qui in eo toti sunt, vt curiose & ornate dicant, & in id præcipue incumbunt. Hoc enim spiritus & fructus concionum, quarum sermo aquæ similis esse debet, perit, quæ vt bona sit, nullum saporem habere debet.

Tot denique sunt bene loquendi circumstantiæ, vt mirū sit, si aliquis in earū

Tutißimum silere. aliqua non erat, ideoq; nihil tutius quam sese in silentii portum conferre, vbi solo silentio quis multa incommoda & pericula euadit, quæ in loquendo occurrunt, secundum illud Sapientis: *Qui custodit os suum & linguam suam, custodit ab angustiis animam suam.* *Prou. 21. 23.* Hincque senior quidam pater dicebat: *In omni loco si taciturnus fueris, requiem habebis.* Et ad idem Seneca: *Nihil æque prodest quam quiescere, & minimum cum aliis loqui, secum plurimum.* Vulgata est illa S. Abbatis Arsenii sententia, *Seneca epist. 107.* *Arsenius.* quam vt refert Surius, sæpe solitus erat repetere, & etiam cantare: *Me sæpe pœnituit dixisse, nunquam autem tacuisse.* Idem de Socrate dicitur. Huius & rationem dat Seneca, quod tacetur, post dici potest, quod autem dictum, non dictum esse non potest. *Et semel emissum volat irreuocabile verbum:* dicit Poeta. *Horatius ep. 19. lib. 1.* Et S. Hieronymus: *Lapis emissus est sermo prolatus:* *Hieron. epist. de virgin. seruanda.* Lapis enim manu emissus retineri non potest, ne noceat. Hinc dicit S. Hieron. diligentissime considerandum, quod dicendum est, antequam ore emittatur, post enim non dictum esse nequit: *Quapropter diu antequam sermo proferatur, cogitandus est.* Quod primum à nobis datum consilium est.

Concludamus ergo linguam bene custodire, dicentes cum Propheta: *Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* *Psal. 38. 1.* *Ambr. li. 1. off. c. 2.* In hæc verba ait S. Ambrosius: aliquæ viæ nobis sequendæ aliæ custodiendæ sunt, viæ Dei sequendæ, nostræ custodiendæ, ne nos in præcipitia deturbemus & perdamur cadentes in peccatum: & eas dicit nos custodituros, si silere sciamus. In Ecclesiastica historia refertur, monachum quendam Pambũ nomine, hominem idiotam & indoctum alterum sapiẽtem & doctum adiisse vt ab eo instrueretur, *Histor. eccl. q. 2. 6. 6. c. 1.* *Docilis silentii Pambus.* & audientem hunc versiculum: Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea, noluisse vt magister plura allegaret, sed dixisse sibi sufficere solam hanc lectionem, si illam opere complere potest. Post sex menses à magistro repræhensus, quod ad secundam lectionem audiendam non rediisset: respondit se nondum priorem compleuisse. Post multos annos quærebat ab eo notus quidam, si versum hunc didicisset, & aiebat, iam 49. anni sunt, quod illum audiuerim, & vix illam complere potui: & si compleat, tamen ipse propter humilitatem dubitabat. Palladius. n. de eo refert, quod tam lectionem didicerit, & in praxim deduxerit, quod antequam loqueretur & responderet ad interrogata, semper cor ad Deum leuauerit, & ante cum illo communicarit & egerit. Secundum consilium à nobis datum. Diciturque ideo tam à Deo adiutus, vt iam morti proximus dixerit, se non meminisse vnquam verbum dixisse, cuius eum pœniteret. Refert Surius de quadam sancta virgine, quæ à festo Exaltationis S. Crucis vsque ad Christi natalem diem silentium seruauit, vt toto hoc tempore ne verbum quidem loqueretur. *De S. Maria de Orignies.* Quod dicit Deo tam fuisse gratum, vt ei fuerit reuelatum, isto opere & linguæ mortificatione merita fuerit, vt purgatorium non subiret post mortem.

CAPVT IX.

De murmurationis & detractionis vitio.

Nolite detrahere alter alterutrum fratres: dicit S. Apostolus Iacobus. *Iacob. 4. 11.* S. Apost. Paulus dicit, *detractores odibiles Deo,* *Ad Rom 2. 30.* & Sapiens etiam hominibus. *Abominatio hominum detractor.* *Prou 24. 9.* Et. *Susurratori odium & inimicitia & contumelia.* *Eccle. 5. 17.* *Vitium hoc Diuis æque atque hominibus inuisum.* Et quamuis exterius rideant, & delectari videantur, tamen intus oderunt, & illos cauent, verentur enim, & merito, ne quod aliis in ipsorum præsentia faciunt, in aliorũ præsentia post sibi faciant. Hoc sufficeret ad odio habendum & fugiendum hoc vitiũ, quid enim peius esse potest, quam Deo & hominibus odibilem esse? Sed hoc omisso, decreui solum breuiter grauitatem & prauitatem huius vitii exponere, & quam facile in eo quis mortaliter peccare potest, vt nos tanto longius hinc remoueamus,

mus, & tanto discrimini nõ subiiciamus. Eius grauitas, & prauitas in eo sita sit,

Famam alienam subhastat.

quod proximi famam bonam, quæ de eo habetur, opinionem & æstimationem obscuret & plane tollat, quæ maioris precii sunt, quam opes & diuitiæ temporales, vt

Eccles. 22. 1. Eccl. 41. 15.

docet Sapiens: *Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ.* Et. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri preciosi & magni.* Ideoque dicunt Doctores, maius esse hoc detractionis, quam furti vitium, quanto præciosior est fama & nomen bonum quã diuitiæ. Et ad particularia magis descendendo, & sciatur quando detractio est tantum veniale, & quando mortale peccatum; dicunt quod dici solet de omnibus aliis peccatis, quod in sua specie sunt mortalia. Ideo quamuis factum ex se sit peccatum mortale, tamen ratione paruæ materiæ potest veniale esse, vt furari pomum, vel vnum aut alterum teruncium. Sic & detractio in se est mortale peccatum, sed tam parui momenti res esse potest, quæ de alio dicitur, vt veniale esse possit.

Detractio etiam in minimis fugienda.

Sed hic animaduertunt, quod multum ad rem facit, vt intelligatur periculum, quod hic est, & custodia habenda etiam in his, quæ parua videntur, & est, quod sæpe parua & leuia non sunt, quæ aliquibus talia videntur. Dicunt Theologi, quãuis de aliquo dicere peccatũ aliquod veniale, vt quod quis mendacium dixerit in sæculari non esset mortale peccatum, eo quod minutum sit, & famam & nomen bonum non tollat; tamen de religioso dicere veniale peccatum & imperfectionẽ aliquam, posset esse mortale, maior enim ignominia & infamia hoc esse poterat in religioso, quam mortale peccatum in sæculari. Certum est, si dicam de Religioso, quod sit mendax, plus deperderetur de eius bono nomine & æstimatione, quam sæcularis perderet ob vitam perditam & inordinatam, & quãuis de eo diceretur, quod totã Quadragesimam nõ ieiunet, aut nocte domo exeat & vagetur. Vnde aduertendum, quod vt quis in detractione & murmuratione de aliquo dicatur mortaliter peccare non ex eo metiendum, quod mortale sit id, quod dicitur, sed ex bona fama aut nomine, quod ei aufertur. Semper huic fundamẽto innitendum, & hoc tenendum pro primo principio in hac materia. Liquido enim constat non esse peccatum vllum, si quis sit ex Maurorũm aut Iudæorum genere; tamen propterea aliquem infamare, Doctores dicunt esse peccatum mortale. Similiter si de religioso dixero, quod sit læuis & nullius iudicii (quod expresse ponunt Doctores exemplũ) plus de suo bono nomine & æstimatione perdit religiosus, quã si de sæculari dixero quid, quod mortale peccatum est: & idcirco in hoc plus periculi situm est, quã creditur. Habeo aliquem pro bono Religioso, & homine sedato & prudẽte; tu vero dicis, ille talis est, manũ vertens, & indicans quod parum sibi constet, multũ ei hoc ipso incõmodasti, & multũ illi apud me de bona opinione decessit, quã ante de illo habebam. Alias foras venit, & si ibi quid inuenit, quod non ædificat, hoc primũ narrat, & vnum quidem incipit dicere arrogantem, alterum superbum & morosum, alium inquietum & seditiosum. Hæc non leuia sunt, sed huiusmodi, quæ religioso dedecori merito esse possint. Quisque suo se metiatur pede si quis similia de te diceret, & causa esset, vt pro tali habereris, aduerte quo id animo ferres. Hæc tamen charitatis lex est, quam erga proximum seruare debemus, præcipue qui de perfectione agimus, & procul nos ab istis anxietatibus, & periculis semouere debemus. si proximus per id, quod dixi, notabiliter nomen & bonam æstimationem perdidit, quam alius de illo habebat, etsi negocium ad peccatum mortale peruenit vel non, vt dicimus in voto paupertatis. Estne mihi hic dubitandum, num id, quod accepi, ad tantam quantitatẽ peruenerit, vt sufficiat, quo sit peccatũ mortale? Sæpius enim discernere nequimus, an eo peruenerit necne. Satis tamẽ laboratur, vt quis huic se periculo exponat,

Augetur ex dignitate.

Nõ dic de aliis quod de te dici nolles.

h 3 nec

nec quis ob omnia, quæ in mundo ſunt, huic dubio ſe inuoluere deberet. Neceſſe eſt hoc magna ſollicitudine & cuſtodia in paruis verſari, ſi enim non fiat, breui nos ſcrupulis & conſcientiæ morſibus repletos inueniemus, & vexatos grauioris peccati anxietatib. Et in murmurando & detrahendo magis hæc ſollicitudo neceſſaria, valde enim natura in hoc propendemus, & facilitas & volubilitas linguæ permagna eſt. Hoc diſcrimen eſt inter eos, qui perfectioni ſtudent, & qui nõ quod illi maioris paruos defectus faciant, quam hi paruos. Et hoc vnum eorum eſt, ex quibus elicitur, an quis profectui ſuo inuigilet, necne.

Lib. 5. c. 6. de vita P. Ignatii.
B. P. Ignatii in hoc vitio cautela.

Legitur de Patre noſtro Ignatio, quod domus defectus ſemper miro tegebat ſilentio, ſi enim quis faceret, quid non magnæ ædificationis, nemini aperiebat, niſi ei, qui emendare id poterat, & hoc tanto reſpectu & cuſtodia nominis boni eius, qui peccauerat, vt ſi ſufficeret id vni declarari, duobus non diceret. Hinc nobis diſcendum, quomodo cum proximis agendum. Si pater noſter, qui ſuperiori poterat dicere & repræhendere domeſticorum defectus in omnium præſentia, vt ſic in illos animaduerteretur; hac reſtrictione vtebatur, & hoc in paruis & minutis defectibus; quanto magis ea nobis ratione progrediendum eſt?

Bonau. in ſpeculo diſcipl. p. 3. c. 3. & de informat. nouitiorum. p. 3. c. 23.
De abſente, vt præſente, loquere.

Hanc regulam loquendi de abſentib. dictat S. Bonauentura: *Erubeſcant dicere de abſente, quod cum charitate non poſſent dicere coram ipſo.* De abſente ita loquendum, ac ſi præſens eſſet, & quod de illo præſente & audiente dicere non auderes, non in eius abſentia dicendum. Intelligunt omnes, ſe etiam abſentes à te ſecuros eſſe. Hæc bona regula eſt, quæ complectitur tam grauia, quam quæ leuia videntur; quæ ſæpius ſolent nos decipere, nam ſæpe tã leuia non ſunt, vt apparent, ſicut dictum eſt. Ideoque nos hic excuſare non licet, nec dicere, quod ab aliis parui fiant, vel quod vulgata ſunt; profeſſio enim, quam profitemur, has excuſationes non admittit. Sic nos docet pater no-

Lib. 5. ca. 6. vitæ P. Ignatii.

ſter B. Ignatius, qui nunquam in conuerſatione ſua de aliorum vitiis loquebatur, quamuis & publica eſſent & in compitis diuulgarentur, & volebat noſtros idem facere. Sint ergo omnes homines in ore noſtro boni, virtute præditi & honorati, & omnes intelligant, quod ob noſtra verba nihil quis perdet, nec minoris habebitur.

Eccleſ. 19. 10.
Defectus proximi tace.

Si forſitan peccatũ aliquod de proximo noſti vel audiſti, ſerua ſapientis dictũ: *Audiſti verbum aduerſus proximum tuum? commoriatur in te: fidens quoniam te non diſrumpet.* Sepeli in te, deficiat ibi & non exeat. Alludit S. ſpiritus ad eos, qui venena biberũt, qui multa in anxietate & nauſea verſantur, vt eiiciant, & nihil agunt, quam pharmaca & olea recipere, putantes ſe crepituros niſi euomant. Alias duas ſimilitudines ad idem probandum adfert ſapiens: *A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis. Sagitta infixa femori carnis, ſic verbum in corde ſtulti.* Sic & ſtultus non ceſſat nec quieſcit, donec dicat & in lucem proferat defectum, quẽ nouit de proximo, ſicut mulier in magna anxietate eſt, donec pariat infantem. Ex horum nos numero ne ſimus, ſed prudẽtium & ſapientium, qui anguſtum vas & cor habent, ad hæc includenda & ſepelienda, vt ibi moriantur & intereant.

Claudius Aqua viua.
Confitere de lapſum in hoc vitium ante cubitum.

D. noſter Claudius Aqua viua in libello de induſtriis, quẽ ſcripſit, *ad curandos animæ morbos*, caput ſubſtantiale ponit de detractione, quod inter alia eſt decimũ ſeptimum, & dat conſiliũ ei, qui hac in parte defecit & errauit, vt non cubitum eat, antequã id confeſſus ſit. Partim ſi forſitan ſit in re graui, quod facile euenire poteſt, non decebat cũ eo ſe quieti dare, nã ſemper ita cubandũ, vt moriendũ eſt. Partim, ſi eo non peruenerit, hoc remediũ & quaſi preſeruatura medicina fuerit, vt alias in ſimili non peccemus. Hocque conſilium valde vtile erit, maxime quod à Patre noſtro emanarit non ſolum in hoc, ſed & ſimilibus negotiis, quæ ſecum dubia & conſcientiæ morſus ferunt.

CAP.

CAPVT X.

Detractiones non audiendas esse.

Bern. de ord. vita & mor. instit.

S. Bernardus ait: *Non solum nihil ipsi indecorum loqui, sed neque aurem quidem huiusmodi præbere dictis, quia quem delectat audire, alterum loqui prouocat: audire quoq; quod turpe sit, pudori maxime est.* S. Basilius de pœna detrahenti infligenda, & detractionem audienti infligenda, dicit vtrique communione interdicendum. Parem pœnam vtrique statuit, si enim alter non lubens audiret, alter detrahere non delectaretur: *Nemo inuito auditore libenter loquitur.*

Basil. in reg. breui. 26.

Par detrahentis & audientis culpa.

Detractionẽ audiens an mortaliter peccet?

Theologi in detractionis materia hãc quæstionem tractant: si detractionẽ audiens & non resistens, peccat mortaliter? & aliquos casus ponunt, in quibus dicunt illum mortaliter peccare, vt quando vnus de proximo malum dicit, ab eo prouocatus & interrogatus super eo: vel dum non bene ad alium affectus est, & ideo gaudet, quod de illo detrahatur, vel dum videt detractionem illam in notabile proximi damnum tendere, & potest illam impedire, & non impedit, charitates enim obligatur proximum hac in necessitate iuuare. vt enim nõ solum malefacit, qui domũ aliquam incendit, sed & ille qui se calefacit ad ignem per alium accensam, eo quod teneatur aquam adferre ad restinguendum incendium. Sic etiam non tantum peccat ille, qui detrahit, sed & ille, qui potest detractiones impedire, & non impedit, sed potius applausu & approbatione, quam exhibet, ipsi occasionem dat vlterius progrediendi. In aliis casibus dicunt solum fore peccatum veniale, si non resistat, vt dum verecundia ductus, & quod alicuius authoritatis personæ sunt, quæ hoc negocium tractãt, nihil his dicere audet, nec se miscere. Et hoc vnum aduertendum, quod multũ ad religiosos pertinet, & est, quod ille, qui detractionem audit, est alicuius authoritatis in eos, qui loquuntur, plus huiusmodi tenetur resistere, & honori proximi consulere, & hoc tanto magis, quanto plus authoritatis habet. Hoc docent Theologi.

Cautela in conuersatione ab hoc vitio.

Hinc facile nobis colligendũ est, quomodo nos in similibus conuersationibus gerere oporteat, & periculũ vitare, quod in simulando & tacendo, & per hæc transeundo nostra mortificatione, & pusillanimitate. Et quia ob peccata nostra hodie tam in vsu est detractio, vt vix vlla sit conuersatio, vbi de aliorum vita non agatur, & nos sæpissime cum eis versemur; non possunt non multi se in hac materia scrupuli offerre. Si poteram impedire, & non impediui: si occasio fuerim vt sermo ille procederet, vel aliquid interrogauerim, vel si ostenderim me gaudere, bonum vultum dictos exhibens, & iis consentiens. Sed scrupulos omittamus (hic enim quis dicere posset, se satis scire quo vsque progrediendum, & quando peccatum est necne) & prosequamur hic fundamentum, quod cum Religiosis, & iis qui virtuti student & perfectioni loquamur, & cum eos qui non solum cauere vult mortale & veniale peccatum, sed & semper intendit quod optimum, & aptissimum proximorum ædificationi & profectui.

Hoc ergo supposito, si quando sumus in aliquo colloquio, vbi de proximo detrahitur, & ex pura immortificatione, verecundia & pusillaminitate tacemus, & id transimus & consentimus, non tacere est consentire, & *Qui tacet consentire videtur:* quomodo tales possunt ædificari, sed potius in eo, quod faciunt, confirmari, videntes Religiosum doctum & Deo seruientem, & qui in illis authoritatem habet, id tolerare & nihil dicere. Dicent, hoc peccatum esse non potest, quandoquidem pater tacet. Et si putant peccatum esse, & in tua præsentia committunt; te vilipendunt & simul religionem, quandoquidem coram te malum dicere audent, & tu non audes eis resistere, & contradicere, nec vires & virtus tibi ad id suppetunt. Sanctus Augustinus, vt ma-

Tacens ad detractionem consentire videtur.

Damma ex Silentio.

vt malo hoc & peſti detractionis occurreret, & in cœnaculo hos verſus deſcriptos habebat:

Refert Hiero. to. 7. aut Beda, ſi eius eſt ille tractatus.

Quiſquis amat dictis abſentem rodere vitam,
Hanc menſam indignam nouerit eſſe ſibi.

Auguſt. correptor detractorum.

Narratur cum eo quodã tempore quoſdam comediſſe Epiſcopos amicos, & quia incipiebant linguas diſſoluere & proximis detrahere, ſtatim eos arguit, dicens, ſe vel verſus hos deleturum, vel menſa abiturum. Hic fortis animus eſt, dicere; niſi ceſſes malum dicere, abibo. Idque mandat S. Hieronymus fieri: *Si quem alicui detrahentem audieritis, procul fugientes dimittite vt ſerpentem.* Quid faciet, qui verecundatur! Ideoque dicit S. Hieronymus: *vt verecundia victus diſcat de factis aliorum ſilere.* Hinc cum verbo in ore deferendus, vt erubeſcat, & ſic diſcat, quomodo alias ei loquendum. Hoc medium nos multum decet, vel eis indicandum ne detrahant, vel eorum conſortitum relinquendum.

Hiero. in reg. monach. cap. 22.

Conſiliũ aureum pro audiente detractiones.

Aliud.

Dum vero hoc remedio vti non licet, vel quia inciuile & durum eſt, & maior perſonas obſeruantia decet; dant ſancti aliud facilius & ſuauius, quod eſt oſtendere duriorem vultum detrahenti, vt animaduertat, quod non à te probetur, nec delecteris talia audire. Hoc remedium dat S. Spiritus per Sapientem: *Ventus Aquilo diſſipat pluuias, & facies triſtis linguã detrahentem.* Et alibi: *Sepi aures tuas ſpinis, linguam nequam noli audire.* Hæ ſpinæ ſunt, quibus aures ſepiendæ, durior ille vultus, triſtitia & moleſtia, quæ in facie exhibetur, dum alius detrahit, ſunt ſpinæ quæ illum pungant, & compungant, vt animaduertat ſe male facere, dum iudicat vitam alienam. Non ſat eſt Sapienti, ſi aures goſipio vel molli aliqua materia obtures; ſed ſpinis ſepiri vult, vt non ſolum non eas intrent verba mala, dum gaudes te illa audire, ſed vt & pungant cor detrahentis, & ſe corrigat & emendet. *Per triſtitiam vultus corrigitur animus delinquentis,* hac enim reminiſcitur & aduertit ſe male facere. De beato patre noſtro Ignatio legitur, quod ſæpius hoc remedio vſus ſit. Contigit cuidam è noſtris cum ipſo loquenti excidere inconſiderate verbum aliquod, non tam exacte dictum, vt decebat, vt patri videbatur, quare grauitate vſus, & vultum ſeueriorem induens, facile aliis cognoſcendum dedit, erratum ibi eſſe, & ſic certior ille factus & correctus, qui deliquerat. Idque ſæpius in leuib. & minutis faciebat, quorum error, eo quod leuior eſſet, ab aliis non aduertebatur, ſed in aerem euaneſcebant, ipſe enim non ſolum ſemper apud ſe erat, ſed & ſuos eſſe volebat.

Prou. 25. 23.

Eccleſiaſt. 28. 28.

Eccleſ. 7. 4.

Lib. 5. cap. 5. S. Ignatius.

Aliud.

Expediens præterea medium eſt ſermonem mutare, & alium cum gratia interponere, vt prior interrumpatur. Et ad hoc non opus multas commoditates captare, & occaſiones quærere, vt propoſitum ſic requirat. Sed optima occaſio eſt, vt propoſitum ſic non exigat: hoc enim modo alter & præſentes facilius intelligent, non æquum fuiſſe de eo agi, de quo agebatur, & quod honor ei habitus ſit, quod manifeſte reprehenſus non fuerit, & ei erubeſcendum coram omnibus. Et ſi diu occaſionem captaris, vt propoſitum requirat, & donec ſermo finiatur, alter negocium non intelliget, & damno tu non medeberis. Vt enim dum taurus hominem inſequitur, pallium ei in vultum coniicitur, vt illo occupetur, & hominem inſequi deſiſtat. Sic & dum quis aliquem detractione inſequitur, bonum eſt ei pallium, hoc eſt, diuerſum ſermonem obiici, quo occupetur & detrahere ceſſet. Et vt ille, quem taurus inſequitur, vitam ei acceptam fert, qui pallium tauro obiecit, ita & famam, & honorem ei accepta ferat neceſſe qui ſermonem mutauit, & detractionem ſuſpendit, & pro illo ſtetit.

CAPVT XI.

Omne mendacii genus nobis fugiendum eſſe.

Eccle. 37. 20.

ANte omnia opera Verbum verax præcedat te, nunquam vero mendacium.

Non

Non videtur hoc multum religioso commendandum, sat enim per se commendatum est. Imo & in mũdo magno vitio vertitur esse mendacẽ, & si cui dicatur, quod sit mendax, magno id sibi dedecori & ignominię ducit: quid ergo in religione erat, vbi alicui plus de bona opinione & æstimatione decedit, quam in mundo? Facile videre est, quã turpe, abiectum & religioso indignum hoc sit, & ideo procul ab eius ore esse debet mendaciũ, nec quidem ad se excusandum & errores celandum. Multum à mortificatione & humilitate abest, qui mendacium dicit, vt nesciatur eius vitium, nec minoris fiat. Quærendæ nobis essent humiliandi & mortificandi occasiones; & fugis tu eas, quæ se offerunt, & quas sine peccato vitare non potes? Talis multum contradicit perfectioni, quam profitetur. Theologi dicunt, & Sancti etiam pro totius mundi salute vnum mendacium dicere non licere; aduerte ergo an liceat, in re minimi momenti, & vt tibi erubescendum non sit, ideoque inter septem illa, quæ Deo exosa, secundum ponit sapiens, *Linguam mendacem*.

Quam turpe religiose mentiri.

Bonau. in spe. Fugienda Hyperbola.

Alius modus est mendacia dicendi, quamuis id fiat non tam deliberata voluntate, & fit, quod dictis vel factis plus quid additur. Veritas in indiuisibili consistit, ideoque quicquid additur amplius quam est aut scitur, mendacium erit. Et in hoc solet sæpissime magnum esse periculũ, lubentes enim curamus, vt id, quod dicimus, alicuius precii esse videatur, & ideo id extollere conamur, quapropter hic magna prudentia & circumspectione vtendum.

Bonauent in speculo disci. p.3.c.3.

Addit S. Bonauentura fugiendas esse exaggerationes & amplificationes, non enim religiosæ grauitatis & modestiæ est multis amplificationibus vti. Veritas & grauitas tua talis esse debet, vt authoritatem dictis addat, non verba superflua & amplificatio: hæc enim authoritatem dictis non addunt, sed potius eam quã habes, substrahunt. Ratio quare authoritas auferatur his hyperbolicis & amplificationibus, hæc est, quod sæpius plus æquo sæpe res augeantur, & ideo in his mendacium est, quod tantum non est vt dicitur.

Minuunt enim authoritatem.

Ideoque qui sua augent, pro veracibus non habentur, & authoritatem & fidem perdunt. Dicitur de Patre nostro B. Ignatio, quod raro & vix vnquam vsus sit nominibus superlatiuis, his enim plus iusto res augeri solent, sed sua sincere & simpliciter narrabat, sine amplificationibus & superiectionibus: & tam aberat ab his, vt de illo dicatur, quod non multum affirmabat id, quod sciebat.

Lib.5.c.6. vita S. Ignatii.

Hoc etiam vtile documẽtum est, quod ponunt Sancti. S. Bernardus ait: *Nunquam pertinaciter aliquid affirmes vel neges, sed sint tuæ affirmationes & negationes dubitationis sale conditæ*: quasi dicens: puta sic se rem habere, vel, ni fallor, sic est: videor sic audiuisse. Si hoc cum discretione fiat, modestus, humilis & religiosus loquendi modus est, & hominis, qui sibi non fidit nec propriæ opinionis, vt & humilis esse non debet. Idcircoque Sancti sic loquebantur, quod humiles essent & sibi non fiderent. Refert Surius de sancto Dominico Loricato, quod interrogatus, quota hora esset, nunquam absolute responderit, octaua vel nona est, sed est circiter octauam, vel circiter nonam. Et rogatus, cur sic responderet, dicebat, se sic loquendo securum esse, quod non mentiretur, eo quod vel hora sonuisset, vel paulo post sonaret. Hæc alia ratio est, nam religiosa prudentia & modestia est, non nimis quid affirmare, nisi aliqua cum dubitationis sale & gratia; vt S. Bernardus docet. Sic enim quis se mendacii periculo non exponit, etiamsi post contingit rem se ita non habere. Sin absolute, resolute & certo quid affirmetur, & post contrarium reperiatur, vt subinde accidit, erubescendum erit, eo quod mendacium retulerimus, & pro certo affirmauerimus, & præterea causa erit, quod alius scandalizetur, qui post aliter rem se habere inuenit. Et idem dico in iis, quæ pro certis habemus, si enim certus non sim,

Bern. in formula honestæ vitæ. Fug. pertinaciam in asserendo.

Hæc in re cem tela S. Dominici Loricati.

ſim, ſed de aliquo dubitem, & id abſolute affirmem, hoc etiam mentiri eſt, quantumuis tamen ſic ſit, dico enim quod neſcio. Et ad minimum me manifeſto diſcrimini expono, & mendacium ſit quod dico, quod idem peccatum eſt.

Bonauentura abſtine te a quiuocationibus.

Dicit S. Bonauentura: *Sermo veridicus & purus ſit:* non enim ſemper ſolum vere ſed & ſincere & ſimpliciter loquendum, non cum duplicitate, & vocibus æquiuocis, quæ plures ſenſus habent, hoc enim valde à religioſa ſinceritate & ſimplicitate alienum eſt. Et S. ipſe Auguſt. affirmat huiuſmodi loquendi modum mẽdacium eſſe: *Omnis ſimulatio & omnis duplicitas mendacium eſt.* Aliqui ſunt, qui ex vna parte nolunt loqui mendacium & ex altera nolunt verum fateri, ſed ambagibus & æquiuocationibus vtuntur, vt tu vnum, ipſi alterum intelligant. Aliquo in caſu licet verbis æquiuocis loqui, ad quid celandum, quod celari conuenit, quod tamen in ordinariis & communibus colloquiis licitum non eſt, ſed ſimulatorum & duplicium potius vitium eſt, ideoque non ſolum ſinceritati & ſimplicitati religioſi, ſed & Chriſtianæ politiæ contrarium. Impedit enim fidelitatem, commercium & communicationem mutuam, non minus quam clarum & apertum mendacium. Certum enim eſt ſi iſte loquendi modus licitus foret, non auderent homines ſibi inuicem fidere: Id re ipſa diſcimus, dum ſcitur aliquos hoc laborare vitio, quamuis in aliis homines probi ſint, nullus, qui eos nouit, iis fidere audet, ſed cum iis timore quodam agit ne forte decipiatur. Ideoq; dicit Sapiens: *Qui Sophiſtice loquitur, odibilis eſt*, hoc eſt, qui dupliciter & æquiuoce ſua dicit, odio eſt, & habetur homo duplex, falſus & ſimulatus. Idcirco valde hic loquendi fugiendus, ne de te dicatur, quod de quibuſdam dici ſolet: Hic mendacium non dicit: attamen nec verum quidem dicit.

Auguſtinus.

Quando iis vti liceat.

Earũ diſpendia.

Eccl. 17. 23.

CAPVT XII.

Nobis cauendum, ne ioco ſa, ridicula & faceta loquamur.

S. Baſilius ait: *Neque in modum paruuli iocari velis aſſidue, quia non conuenit, ei qui ad perfectionem nititur, iocari & par uu lus:* ſed vt vir ſit. Additque ibi Sanctus, ꝙ ioci & recreationes huiuſmodi reddunt hominẽ languidum, & negligentẽ in Dei ſeruitio, & à corde tollunt deuotionem, & compunctionem Præcipue dicit, quod debeat quis abſtinere facetiis, his enim quis ſe ſcurram facit, quod multũ ad perfectionem anhelantem dedecet.

Baſil. in exhort. ad filium ſpiritualem.

Baſil. in conſtit monaſt. c. 13.

Damnoſa Ioca.

Punctum hoc grauiter tractat S. Bernardus: *Inter ſeculares nugæ, nugæ ſunt, in ore Sacerdotis blaſphemiæ. Conſecraſti os tuũ Euangelio, talibus iam aperire illicitum, aſſueſcere ſacrilegium eſt.* vt eſt templum cultui diuino conſecratum vſibus profanis applicare. *Labia ſacerdotis, ait Malachias, cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius non nugas profecto vel fabulas, verbum ſcurrile, quod faceti vrbaniue nomine colorant, non ſufficit peregrinari ab ore, procul & aure relegandum eſt.* Dicitque dum quis huiuſmodi coram nobis dicit, nos ſic habere conuenit, vt in detractionibus ſatagentes illo interrumpere, & ſermonẽ aliqua re ſeria & vtili diuertere; & ſeueriorem vultum oſtendere. Si ergo nobis erubeſcendum, ſi illa audiamus & coram nobis dicantur, quid fiet, ſi illa ipſi dicamus. *Fœde ad cachinnos moueris, fœdius moues.* Dicit turpe eſſe his applaudere ridendo & monſtrando illa nobis placere, ſed turpius ea dicendo alios nos ad riſum mouere.

Fuge.

Bern. l. 2. de conſ. ad Eugen.

Cap. 10.

Nec applaude.

Clemens Alexandrinus Origenis magiſter dicit, & eſt Sanctorum doctrina, vt SS Baſi. Bern. & Bonau. *Cum verba omnia à cogitatione & morib. emanent fieri non poteſt, vt verba aliqua mittãtur ridicula, quæ non procedant à moribus ridiculis.* ex corde verba procedunt. *Ex abundantia cordis os loquitur,* Et ſic qui vana & leuia verba loquitur,

Clem. Alex. 2. de pæd. c. 5.

Baſil. in conſt. monaſt. c. 13.

Bern. in modo bene viuendi ad ſoror. ſer. 30.

Bonau. i[n] pe. diſcipl. p. 4. c. 5.

Mat. 12. 24.

Luc. 6. 45.

quitur, ostendit se vanum & leue habere cor. Et sicut ex sono cognoscitur, num cãpana sit integra vel rupta, vel si plenũ aut vacuum, sic in verborum sono facile cognoscitur qui plenus intus vel vacuus, integer vel ruptus est. Qui huiusmodi verba profert, sonat vt vacuum vas. S. Chrys in illa Apost. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat*; dicit: *Quale cor vnusquisque habet, talia verba loquitur, & talia opera facit.* S. Ignatius Martyr inter tormenta sæpius proferebat nomẽ IESVS; & causam rogatus respõdit: Quia cordi meo inscriptum est, & ideo non possum, nõ proferre: & mortuo cor extractũ, quod diuisum inuentum fuit habere in vtraq; parte aureo charactere inscriptum nomen IESVS. Qui nugas & iocos profert nõ habet cordi inscriptũ nomen IESVS, sed mundum & eius vanitatem, & hæc ore egerit. Hincq; videre est, ꝙ homines, qui se iactant facetias & iocos posse dicere, & iisdẽ alios ad risum mouere, nõ solũ nõ esse spirituales sed ne quidẽ bonos religiosos. P. M. Auila ad propositum declarat illud Apost. *Scurrilitas, quæ ad rem non pertinet*, & exponit quod verba faceta & iocosa non solũ non deceant modestiam religiosi, sed ne quidem grauitatem instituti vitæ Christianę. Et de ipso legitur, quod nunquã ex eius ore auditum sit verbum iocosum. Et de S. Chrysost. scribit Metaphrastes, quod nũquam iocos dixerit, nec alios dicere permiserit. Hoc tanti fecerunt patres antiqui, vt pœnitentia, quã S. Basil. iubet iniungi ei, qui huiusmodi verba protulerit, sit, vt integra hebdomade à communitate secludatur: Quod erat genus quoddam excommunicationis, quo monachi vtebantur, separando tales à consortio & conuersatione aliorum monachorum, vt hos non inficiant, & scabiem non adferant, vt & ipsi intelligant, & se confundant, vt sciant illum religiosorum consortio indignum esse, qui non agit & loquitur vt religiosus.

Chrysostom. Ad Ephes. 4.29.

Nomen Iesu iocos corde proscribit.

M. Auila. Ad Ephes. 5.4.

Dedecent etiam Christianũ quemque.

Exemplum Chrysostom.

Metaphrast. in vita S. Chrysost.

Basil. in animaduers. aduersus canonicas delinquentes.

Pœna in iocosos statutæ.

Narrat Surius in vita S. Hugonis Abbatis Cluniacensis de quodam Archiepiscopo Tolosano nomine Durano, qui multum delectabatur audiendo & dicendo iocos & verba ociosa. S. Hugo, qui tunc tẽporis erat Abbas monasterii Cluniacensis, reprehendebat hunc sæpius, eo quod ãte in dicto monasterio monachus fuerat, dicens nisi se emẽdaret, quod hac de causa singulare haberet purgatorium. Aliquot post diebus moritur Archiepisc. & apparuit cuidam sancto monacho Sigunio nomine, & ostendit illi os tumidũ & labia vulneribus plena. Cum lacrymis petebat, vt Hugonem rogaret, vt pro ipso oraret, quod enim sæuum illud tormentum pateretur in purgatorio, in pœnam iocorum & verborum ociosorum, de quibus se non correxerat. Sigunius id refert S. Hugoni, qui iubet septem monachos septem dies tacere in satisfactionem huius delicti, quorum vnus Silentium rupit. Hinc Archiepiscopus Segunio rursus apparet, & de monacho illo quæritur, quod inobedientia liberationẽ suam distulisset. Segunius hæc ad Abbatem retulit, qui rem ita se habere ostendit, & alii monachi septem dierum silentium iniungit, post quorum finem Archiepiscopus tantum apparet Abbati & monachis gratias agens, ostendens se pontificialibus vestitum, & os sanum & valde lætum, & subito euanuit ex oculis.

Surius. Graui purgatorio ioci expiantur.

Hic specialiter notandum, nobis maxime cauendum esse à pungentib. illis facetiis, vt sunt verbula quædam, quæ cum gratia quidem dicuntur, & pro argutiis habentur & alios lædunt, nam tecte eis notam aliquam inurunt, vel in conditione vel intellectu vel non tã acri ingenio, vel alio defectu. Hæ facetiæ molestiores & prioribus piores sunt, eo quod noxiæ & tanto plus quanto maiore cum gratia dicuntur, quia audientibus & eorum memoriæ firmius inhærent. In mundo dum illi, quos gratiosos vocant, hæc dicere norunt sine alicuius damno vel nominis diminutione, facile toleratur, & sunt hæc oblectamenta secularium, & dicunt talem gratiosum esse, sed fiat sine alterius damno. Sed dum suis iocis alios lædunt, odio sunt, & solet grauiter &

Fuge magis mordacitatem petulantem.

molestè ferri; non enim desunt, qui illos pro merito excipiant. Sed quia de huiusmodi & similibus loquendi modis, qui caritati & mutuæ vnioni aduersantur, in prima parte egimus, supersedebimus hic de iis loqui.

Capvt XIII.

Conuersationes & colloquia nostra de Deo esse debere: Et de aliquibus mediis ad hoc vtilibus.

Ad Ephes. 4. 29.

Colloquii de reb. piis proprium esto sociorum Iesu.

Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus*, quo illos inflāment & incendant Dei amore & virtutis & perfectionis desiderio. Hæc res nobis maxime necessaria est, finis enim & institutum nostrum est, non solū proprio profectui, sed & proximorum studere & vnum ex his, quib. multum ædificantur, qui nobiscum agunt, & quo multus in iis fructus colligitur, in his conuersationib. & colloquiis situm est. Præter enim profectum, quem colloquia hęc secum ferunt; videntes seculares, colloquia nostra semper de his rebus esse, existimationem & magnum respectum concipiunt, intelligentes Deo plenum esse debere, qui de nulla alia re quam Deo agit: quod facit efficacia esse ministeria, quæ cū illis exercentur. In vita B. P. Francisci Xauerij legitur, plus illum fructus fecisse sermonib. specialib. quam concionib. Et Pater noster agendo in Constitutionib. de mediis, quibus societas iuuare debet proximos, ponit hoc pro principali. Hocque pro generali ponit, vt omnes qui sunt societatis etiam fratres laici, id procurent.

Franciscus Xauier.

7. p. const. 4. § 8.

Medium I. assuescere piis sermonibus in conuersatione domestica.

Vt autem id commodius & melius agere queamus, multum iuuerit primū, vt inter nos assuescamus de bonis & spiritualibus rebus loqui. De S. Francisco legitur quod sæpius fratres suos sedere iusserit, ad colloquendum inter se de rebus diuinis, vt in hoc loquendi genere instructi essent, dum cum secularib. ipsis loquendum erat. Et dicitur quod quadā vice illis in hac sancta conuersatione sedentibus Christus apparuerit in formosissimi adolescentis forma, & iis benedixerit, vt intelligeretur, quam grata ei huiusmodi essent colloquia. Et in societate idem in vsu est ab ipso nouitiatu, conuenientib. sæpe nouitiis, vt inter se de spiritualib. tractent, & postea toto vitæ curriculo nobis in vsu est, inter nos habere sæpius spiritualia colloquia, vt in hoc loquendi genere expeditiores simus. Et præterea nobis valde commendatur vt eo vtamur in ordinariis conuersationibus & colloquiis.

Ociosa colloquia carpit S. Bern. in apolog. ad Guielm. Abbatem.

S. Bernar. grauiter & bene reprehendit de hoc certos religiosos sui æui, iis declarans id, quod aureo illo seculo in vsu erat *O quantū distamus ab his, qui diebus Antonij extitere monachi*, vt etiam S. Pauli primi Anachoretæ, hi enim dum conueniebant & sese visebant, erat omnis eorum cōuersatio in cœlis, & tanto desiderio & fame cibum capiebant animæ loquētes & tractantes de reb. diuinis & animæ suæ salute, vt obliuiscerentur cibum corporeū sumere, & totum diem ieiuni transfigerent, hoc solo occupati. *Et hic erat totus ordo, dū digniori parti prius inseruiebatur:* quæ est anima. *Nobis autem conuenientib. in vnum, vt verbis Apostoli vtar, iam non est Dominicam cœnam manducare. Panem quippe cœlestē nemo est qui requirat, nemo qui tribuat, nihil de scripturis, nihil de salute agitur animarum: sed nugæ & risus & verba proferuntur in ventum.* Et quod omnium pessimū dicit Sanctus ille, aliquē hoc modo posse detinere, vocatur affabilitas & discretio, etiam charitas, & contrariū dicitur siccitas, inurbanitas & rusticitas; & qui de Deo loquuntur melancholici habentur, & eorum conuersatio vitatur. *Ista charitas destruit charitatem, hæc discretio discretionem confundit. Quæ enim charitas est carnem diligere, & spiritum negligere? quæue discretio totum dare corpori & animæ nihil?* corpus exsaturare & animam fame necare, nō est discretio neq; charitas, sed crudelitas & inordinatio. Narrat quidā Doctor Christum quodam tempore cuidā suo magno famulo

1. ad Cor. 11. 20.

Nota.

Taulerus in instit. c. 28.

Sex querelæ Christi de seruis suis. Medium 2.

famulo apparuisse, & magno dolore ei sex querelas deposuisse de famulis suis, quarũ secunda erat, quod in congregationib. & colloquiis vana & inutilia tractarent, & ipsius mentio nulla fieret. Curemus ergo, ne de nobis Dom. noster hanc quærelam faciat, ne nos de hoc redarguat.

Bern. in formula honestæ suæ. Bonau. in spe. discip. p. 3. c. 3. Reg. 11. sacerdotum.

S. S. Bernard. & Bonauentura aliud vtile medium dant, id semper de rebus ædificaturus agendum, vt quando eximus vt tractemus cum proximis, præuideamus aliqua bona & vtilia, vt ipsis dicuntur. Et dum ipsi futilia & vana loquentur, nos in promptu habeamus quę ædificent, ad interrumpendum & mutandum colloquiũ. Quod & nos suadent regulæ nostræ. Et non multum est, nos religiosos hoc medio vti ad colloquia & cõuersationes diuinas sustinẽdas, cum videamus id secularibus in vsu esse ad sustinendas suas cõfabulationes & conuersationes. In hoc quis ostendere deberet ingenium & iudicium, & dexteritatem, ad coercenda & breuianda futilia colloquia, & miscenda & ingerenda diuina.

3. Bene affectũ esse erga diuina.

Tertio multũ hic proderit Deum valde diligere, & affectum esse rebus diuinis hic enim modo non defatigabimur, nec de Deo loqui & audire fastidimus, sed potius delectabimur. Nõ enim fastidium sed delectatio est de eo, quod quis amat, & quod in corde latet, loqui. Attendite, quam lubens mercator de negotiis & cõmerciis loquatur in mensa, extra mensam & semper delectetur audire vbi emitur & care venditur Agricola de semẽte & messe, & pastor de vitulis & agnis lubens audit. *Qui tenet aratrum, & qui gloriatur in iaculo, stimulo boues agitat, & conuersatur in operib. eorum, & enarratio eius in filiis taurorum, ea suum dabit ad versandum sulcos.* Quisque lubens de eo tractat, quod muneris sui est. Ergo quia nos mundum reliquimus & perfectioni studemus, si Deum multũ amamus & spiritualia cogitamus, omnis nostra oblectatio & voluptas fit de his agere, & nunquam deerit, quod tractetur: ideoque bonum signum est, quando quis delectatur loqui & tractare cum Dei, & malum, quando non, secundum quod dicit S. Ioan. *Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur.* *1. Ioan. 4. 5.*

August. li. 1. ad Inquis. Ianuarii c. 3. & ser. retr. c. 16. 20. Sap. 16. 20. Manna quẽuis cibum sapiebat bonis, non improbis.

S. August. in verba illa Sapientiæ: *Angelorũ esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de corde præstitisti illa sine labore, omne delectamentũ in se habentem & omnis saporis suauitatem*, dicit manna, quo Deus filios Israel in deserto nutriuit, sapiebat cuique quod ipse volebat, vt verba hæc indicant. Sed hoc intelligendum dicit de bonis tantum, sed non malis sapiebat quod cupiebat; si hoc enim fuisset, nõ petiissent alium cibum, dum dicebant: *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones porrique & cepa & alia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciant oculi nostræ, nisi manna.* *Num. 11. 4.* Hi non solum in manna non inueniebant omniũ eduliorum saporẽ, sed potius illud fastidiebant & erat illis nauseæ, & optabant carnes, & recordabantur ollas Ægypti, cucumeres pepones porros, cœpas & alia, quæ illic comedebant; & illa cupiebant & optabant. Sed boni valde manna contenti erant, & alium cibum non expetebant nec reminiscebantur in eo enim omnes sapores reperiebant, quos optabant. Hæc ergo differentia est inter bonos & perfectos tepidos & imperfectos, quod boni valde spiritualib. delectemur, vt & Deo & colloquiis & conuersationibus diuinis, & in hoc manna omnes bonos sapores inueniunt: Deum in omni re sapiunt, & cum S. S. August. & Fransc. dicunt: *Deus meus & omnia.* Omnia ipsis Deus sunt, & in eo quidquid petunt, inueniunt. Sed diuinũ hoc manna omnia tepidis & imperfectis non sapit, sed potius ipsis est fastidio & nauseæ, & maiori ipsis est delectationi fabulam quam exemplum audire. Hoc bonum signum non est: *Felix lingua, quæ non nouit nisi de diuinis texere sermonem:* dicit S. Hieron. Et S. Basil. *Futilesque habeantur sermones, tu magnopere ne attẽdito, sed si qua ex diuinis literis ad salutem animi pertinentia memorare audieris, acerba gustatu* tibi

Cui Deus sapit, pii etiam sapiunt sermones.

Hieronymus. Basil. de renuntiat. seculi ipsius & spirituali perfect.

tibi ea ſunto, quæcunque de mundanis rebus memorentur, contraq; fauis mellis aſſimilia quæ à pietatis viris narrentur. Vana & futilia colloquia diſplicent vero Dei ſeruo, & diuinæ conuerſationes & colloquia ſunt ei melle dulciora & ſapidiora. Hinc eſt, quod anima Deo valde deuota non neceſſe habet pro honeſta ſui recreatione & laborum & ægritudinũ leuamine ſe dare vanis & ridiculis colloquiis & conuerſationibus, vt enim has non diligit, ſic ei maiorem dolorem & laborem adferunt. Nihil illi ſolatio, quam de Deo loqui, & audire de eo quod amat & deſiderat. Ideoque de Catharina Senenſi legitur, quod nunquam ſe laſſauerit loquendo de Deo, ſed potius erat ei oblectamento, & maioris ſanitatis & vigoris cauſa, & quies & ægritudinum leuamen. Quod & de multis aliis ſanctis legitur.

Reliqua autem deſipiũt.

S. Catharina Senenſis.

Capvt XIV.

De alia valde prægnante ratione ob quam colloquia & conuerſationes noſtras cum proximis de Deo eſſe conuenit.

Non ſolum ad proximorum ædificationem & vtilitatẽ opus noſtra colloquia & conuerſationes de Deo eſſe, ſed & ad proprium commodum & conſeruationem. De Deo enim loquentes plus inflammabimur & incendemur eius amore quod talibus colloquiis valde proprium eſt, vt videre eſt in diſcipulis in Emaus euntibus & de his loquentib. *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis?* Quod & nos ſæpius re ipſa experimur, dum plus commoti & deuoti huiuſmodi conuerſationes eximus, quam conciones.

Vtilis inprimis eſt tibi ipſi ſermo pius.

Luc. 24. 32.

De S. Thoma Aquinate refert Surius, omnia eius colloquia & cum aliis cõmunicationes fuiſſe de ſanctis & animorum ſaluti vtilibus rebus, idque in cauſa fuiſſe vt poſt hominum cõmercia & colloquia facilius ſe orationi & rerum diuinarum meditationi dare poſſet, vt cũ colloquia fuerant de Deo & cum conſideratione facta non illum diſtrahebant, nec orationẽ impediebant. Et de P. Franciſco Xauerio inter omnia admiratione digna narratur, quod tam noſſet cõmunicationem & colloquia cum proximis iungere orationi. Quamuis enim tot ſe negotiis implicabat & deſtinebatur, & fere ſemper terra vel mari proficiſcebatur & tot laborib. & periculis expoſitus eſſet, & cum omnib. tam vrbane & comiter ageret, nihilominus interius collectus & Deus vnit⁹ erat: ideoq; cum exteriora negotia relinqueret & cũ proximis cõmunicaret, multa cũ facilitate & oblectatione ad orationẽ & familiarem cum ſponſo ſuo cœleſti conuerſationem redibat. Cuius & ratio in promptu eſt, quod in occupatione ab his non ſe diſtraxerat, & facile ei erat ad id redire, quod non reliquerat.

Surius in vita S. Thomæ de Aquino. Quod expertus Tho. Aq.

& Fr. Xauerius. Lib. 6. cap. 5. vitæ P. Fr. Xauerii.

Contra vero, ſi conuerſatio & verba noſtra & cõmunicatio non ſunt de Deo, magno nos periculo exponimus Dicebat B noſter Pater Ignatius, & conuerſatio & familiaritas cũ proximis magnũ ipſis fructum & ædificationẽ adfert, ſi fiat vt conuenit: Sic & contra magno erit ipſis ſcandalo & nobis periculo, ſi non agamus vt opus eſt. Dicit S. Bern. *Vanus ſermo cito polluit mentem, & facile agitur, quod libenter auditur.* Verum quidem eſt, in conuerſationib. & colloquiis cum proximis opus aliquãdo ſua illos interponere ſed id vult pater noſter ita fieri, vt noſtris abſoluam⁹: Non ergo trahãt illi nos ad ſe, & ſuis colloquiis intrent, & etiã exeant: ſed nos noſtris potius, trahentes illos ad nos & Deũ vtilib. & ædificatiuis ſermonib Et ad hoc non neceſſe tot tempora, & circũſtantias & oportunitates obſeruari; ſi n. tot obſecuaris nunquã tuum aſſequeris tu finẽ, & illi ſuũ obtinebunt. Intelligant omnes nos religioſos eſſe, & hoc officium noſtrũ eſſe, & nobis tempus cum illis inutiliter non tranſigendũ, nec de futilib & nullius ponderis reb. tractandum: & ſi ſic nolint, conuerſatione noſtra abſtineant. Ideoq; de P. noſtro legimus, quod ſi quis homo ocioſus, cum quo multum temporis ſine fructu tranſigendum eſſet, illũ accederet, poſt-

Serm. infructuoſus pericula authori parit & ſcandala proximo. Lib. 5. c. 11. vitæ B. P. Ignatius.

Bern. in modo viuendi ad ſoror. ſerm. 20.

Lib. 5. c. 11. B. P. Ignatii.

B. P. Ignatius otiosiores collocutores fugiebat.

postquã semel atq; iterum cum eo blande egisset & ille post sæpius illam adiret sine fructu, incipiebat cũ eo de morte, iudicio vel inferno loqui. Dicebat enim si nõ delectaretur similia audire, illum lassandũ, & post non rediturum; & si illis caperetur aliquem spiritualem fructum animæ suæ inde relaturum.

Aug. lib. 83. quæst. 71.

Ad quod confirmandum dicit S. Aug. verum esse, quod nos omnib. accommodare debeamus, vt omnes lucremur, vt faciebat S. A. Paulus: *Omnibus omnia factus sum*, cum tristi tristis, multum enim tristẽ consolatur, si videat alium secum tristari, & cum læto lætus: tamen aduertendũ ita nos accõmodare debere proximis, & pro ipsis stare, vt id fiat adiuuandũ & leuandũ tribulatum, & è miseria liberandũ, in qua versatur, & non vt nos in eandẽ miseriam præcipitemus. *Sic tamen vt ad auxiliũ non ad æqualitatẽ miseriæ valeat.* Idq; eleganti similitudine exponit, vt ille, qui manum iacenti porrigere vult, vt illũ leuet, non se humi deiicit, nec cadit, vt alter occidit; sed potius pedẽ firmat & stabilit, vt alter illum ad se non trahat, sed parum se inclinat, quantum necesse ad alterum erigendum. Hoc modo nos secularib. accõmodare debemus, & ab illis stare, nos parum inclinantes & eorum humorib. seruientes vt eos lucremur, sed semper firmi & stabiles esse debemus, ne nos ad se trahant, sed nos voti nostri compotes simus. Hocque verum esse nobis persuademus, quod inter ea quæ multũ ædificant eos, cum quibus agimus, est quod conuersatio & colloquium semper est de bonis & vtilib. Et quamuis initio videatur, aliquos nõ capi tamen post ædificantur, & magni faciunt & nos & ea quæ audierunt, & tandẽ aduertunt, id esse, quod ad rem facit. Et cõtra si aduertunt eis nõ obsequi & probare sæcularia & profana eorũ colloquia, & iis vt ipsi delectemur, nos vt aliquem secularem, amicos habebant, sed nõ vt spiritualem: & sic peribit authoritas & energia, ad fructum animarũ referendum. Caueamus ergo nomen nostrũ bonum dilatare & patrum antiquorum exemplum.

1. ad Cor. 9. 22.

Aliis accommoda sermonem, sed sine periculo tuo.

Elegans simile.

Lib. 4. c. 4. vitæ P. Fr. Boria.

De P. nostro Francisc. Boria legitur, si quis secularis illum adiret, quem corpore fugere non posset, & ille futilia colloquia adferret in medium: non attendebat, nec dicentem auscultabat, sed mentem & spiritũ in Deum leuabat. Et dum aliqui Patres illũ monerent, quod erraret, & quod responsum cum alterius dictis non quadraret, respondit se malle pro ignorante & stupido haberi, quam tempus inutiliter cõsumere: sibi enim persuadebat tempus illud perire, quod in Deo & propter Deũ non impẽditur. Cui concordat, quod esset Cassianus de Abbate Machette, qui longa oratione à Deo hanc gratiam nuptiauerat, quod nec diu nec noctu in colloquiis spiritualibus dormiret, nec somnus obreperet, sed si quid ociosum vel futile occurreret, statim dormiret.

Fr. Boria ab otio se colloquentore mentem abducebat.

Cassian. li. 5. de renunt. c. 29.

Bern. in spec. monachi.

Consilium aureum S. Bern.

Concludamus ergo hunc tractatũ quodam consilio, quod dat S. Bern. religioso. Sic in cunctis se habeat, vt ędificet videntes, & nemo dubitet, cum viderit eum vel audierit, quin vere sit monachus. Quod idem est cũ eo, quod dicit Apost. scribens discipulo suo Tito: *In omnib. teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum sanum, irreprehensibile, vt is, qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens dicere de vobis.* Procuremus ergo in omnib. dare tale exemplum & ædificationem, vt non solũ amici non inueniant, quo offendantur, sed vt & æmuli nostri confundantur & erubescant, videntes se nihil habere, quód contra nos dicant, vel nobis impingant.

Ad Tit. 2. 7.

Nihil sit in conuersatione tua scandalosum.

Dicitur de quodam Philosopho, quod dum ei referretur quod ipsi aliqui detraherent, respondisse: Sic viuam, vt detrahentibus de me non credatur. Hoc modo & nobis viuendum, id agentes, vt non solũ in dictis & factis nostris nihil sit repræhensione dignum, sed vt & vita nostra & conuersatio huiusmodi sit, vt iis, qui nobis detrahunt, non credatur. Hic optima ratio satisfaciendi detractionibus; tacite ore, & operibus respondere.

TRA-

TRACTATVS TERTIVS
De Humilitate.

CAPVT I.

De humilitatis excellentia & necessitate.

Matth. 11. 29.

ISCITE *à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* dicebat CHRISTVS Seruator noster: S. August. ait: *Tota vita Christi in terris per hominem, quem suscipere dignatus est disciplina morum fuit, sed præcipue humilitatem suam proposuit, dicens: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* quam virtutem voluit ab ipso disceremus. Quod sufficiebat, vt virtutis huius excellentia & necessitas, quam eiusdem habemus, intelligeretur, quandoquidem filius Dei in terram è cœlo descendit, vt illam nos doceret, & in speciali eius magister esse voluit, non solum verbo, sed maxime opere, tota enim eius vita viuum humilitatis exemplum & speculum fuit. Percurrit S. Basilius totam Christi vitam ab ipsa natiuitate, demonstrans & ponderans omnia eius opera nos maxime hanc virtuté docere.

August. lib. de vera religione.

Vita Christi, propria humilitatis officina fuit.

Illam ergo meditare Sedulo.

Basil. serm. de humilitate.

Voluit (dicit) à paupere matre in vili stabulo & præsepi nasci, & vilibus pannis inuolui, voluit vt peccator circumcidi, vt debilis in Ægyptum fugere, & inter peccatores, & publicanos, vt vnus illorum baptizari: & in vitę progressu volunt illum in Regem eligere & eleuare, & abscondit se, & dum illum volunt contumeliis & dedecore afficere, offert se: homines exaltant illum, imo à diabolis obsessi, iubet illos tacere, & dum illum vituperant, & iniurias dicunt, ne verbũ quidem loquitur. Et in vitæ fine, vt magis hanc nobis cõmendaret virtutem, vt testamentum & vltimã voluntaté, cum mirando illo confirmat exemplo, dum discipulorum pedes lauat, & ignominiosa illa Crucis morte. Dicit S. Bern. *Exinaniuit semetipsum, vt prius præstaret exemplo, quod erat dicturus verbo:* mirus sane docendi modus Quare tantæ Maiestatis Dominus tam se humiliat? *vt non apponat vltra magnificare se homo super terram. Intolerabilis enim impudẽtia est, vt vbi exinaniuit Maiestas, vermiculus infletur & intumescat* Magna. n. semper stultitia & temeritas est, hominẽ superbire, maxime vero postquam diuina Maiestas se demisit & humiliauit. Filius Dei Patri æqualis formã serui accipit, & vult humiliari & vituperari, & puluis & cinis vult æstimari & magni fieri. Merito dicit Seruator mundi se virtutis Magistrũ esse, & nos eandẽ ab illo discere oportere; Socrates enim, Plato, nec Arist. non poterant hanc virtutẽ docere Philos. gentiles agentes de moralibus virtutibus, de fortitudine, temperantia & iustitia, tam obsuerunt ab humilitate, vt in iisdem libris & suis virtutibus vellent magni fieri & sui memoriam relinquere. Erant quidem Diogenes & alii similes, qui ostendebant se mundũ contemnere, & seipsos per viles vestitus, paupertatem, abstinentiam contẽnere, sed hoc ipso facto superbi erant, & ideo volebant suspici & æstimari,

Exempla humilis Christi.

Bern. serm. 1. de Natiuitate Domini.

Erubescenda res superbia humana.

In Vet. Philosophorum scholis desiderata semper fuit Humilitas.

mari, & alios spernebant, vt Plato prudẽter sane notauit in Diogene. Inuitauerat Plato quodam tempore quosdam philosophos, & inter illos Diogenẽ, & domum suam splendide adornauerat, & tapetibus strauerat, vt tales conuiuas decebat. Diogenes in ingressu cœpit sordidis pedibus tapetes calcare & à Platone rogatus, cur sic faceret? respondit: Calco Platonis fastum. Cui Plato recte respondit: Calcas, sed alio fastu. In eo maiorem fastum notans calcante tapetes, quam ille haberet in eorum possessione. Nunquam acquisiuerũt philosophi verum sui contemptũ, in quo vera & Christiana humilitas consistit, nec eam quidem nomine tenus cognouerunt, hoc enim propria nobis virtus est à Christo docta. Et bene notat D. Augustinus, ab hac excellentem illum sermonem in monte incepisse. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Per pauperes spiritu dicunt SS. Augustin. Hieronymus, Gregorius & alii intelligi humiles: Ab his seruator mundi sermonẽ auspicatur, his progreditur, & his absoluit hanc virtutẽ tota eius nos vita docet, hãc vult nos ab eo discere. Discite à me non mundum fabricare, non cuncta visibilia & inuisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere & mortuos suscitare, sed quoniam mitis sum & humilis corde Potentior est enim & tutior solidissima humilitas, quam ventosissima celsitudo. Melior est humilis Deo seruiens, quam qui miracula facit. Hæc est plana & secura via: alia plena est salebris & periculis.

Tertul. in Apolog. 582.

Prima Christi prælectio de Humilitate fuit.

August. l. de sancta Virgi. c. 32.
Matth. 5. 3.
Augustin. de verb. Domini in Euangel. secund. Matt. ser. 18. & l. de sancta virgi. c. 34. & l. 8. de Trin. c. 7.
Hieronymus Daniel. 3.
Greg. 6. mor. c. 16.

Necessitas huius virtutis tanta est, vt sine illa nobis cogitandum non sit, nos ne passum quidem vnum in via spirituali progredi posse. Dicit Sanctus Augustinus: *Nisi humilitas omnia, quæcunque facimus, & præcesserit, & comitetur & sequuta fuerit, iam nobis de aliquo bene facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia.* Necesse omnes virtutes nostras instructas & coniunctas esse cum humilitate, in principio, in medio & fine, si enim vel tantillam neglexerimus, & vanam complacentiam sinimus intrare, omnia secum auferet superbiæ ventus: & parum proderit opus ex se bonum esse, sed maxime ibi nobis timendum superbiæ & vanę gloriæ vitium. *Vitia quippe cætera in peccatis, superbia vero etiam in recte factis timenda est, ne illa, quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.* Alia vitia (vt dicit S. Augustinus, sunt in peccatis, vt inuidia, ira, luxuria, & statim de nomine cognoscũtur, vt illa caueamus, sed superbia in bonis est, vt illa destruat: *superbia bonis operibus insidiatur, vt pereant.* Nauigabat homo prospere, dirigens cor in cœlum, Deo enim initio consecrauerat quod faciebat, & repente ventus vanitatis oritur, & illum in scopulos fert, volens hominibus placere, & ab illis æstimari & magni haberi, & vanam satisfactionem capere, qua omnia pessum ierunt. Ideoque recte Sanctus Gregorius & Bernardus: *Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum puluerem portat*, qui illum dispergit, & in aerem diffundit.

Sine ea nullus profectus est.

August. epi. 56. ad Dioscorum.

Omnia vastat superbia.

Greg. sup. ps. 3. poem. Bern. de ordine vitæ & mor. instit. c. 7. & serm. de donis spiritus sancti qui est vltimus ex paruis c. 2.

Capvt II.

Humilitatem cæterarum virtutum esse fundamentum.

Sanctus Cyprianus dicit: Humilitas est sanctitatis fundamentum, S. Hieronymus: Prima virtus Christianorum est humilitas. S. Bernardus: Humilitas est fundamentum custosque virtutum. Hi omnes dicunt humilitatem esse sanctitatis & omnium virtutum fundamentum. Et Sanctus Gregorius quodam loco vocat illam magistram & matrem omnium virtutum, & alibi dicit esse virtutum radicem & originem. Metaphora hæc & cõparatio à radice sumpta valde propria est, & valde humilitatis proprietates & conditiones declarat. Quod ad primum attinet, dicit S. Gregorius quod vt flos à radice sustentatus qua refecta siccatur; sic & omnis virtus, quæcumque illa sit, nisi in humi-

Cyprian. ser. de natiuit. Christi.
Hieron. epist. ad Eustoch.
Bern. ser. 1. de natiuit.

Greg. l. 23. mor. c. 13. & l. 27. c. vlt.

Flos, à sua radice, & virtus ab humilitate seiuncta, exarescunt.

humilitatis radice perstet, siccatur & statim perit. Præterea vt radix in terra est, & pedibus teritur & calcatur, & in se nullā habet pulchritudinem nec odorem; sed ab ea arbor vitam accipit. Sic & humilis sub terra est, calcatur & proteritur & parui fit, videtur nec speciem nec splendorē habere, sed reiectus & contemptus, sed hoc illud ipsum est, quod illum conseruat & crescere facit. Ad hæc, vt necesse est, vt arbor crescat & duret & multum fructum adferat, radicem late & profunde se extendere, & quo profundius se in terrā dispersit, tanto plures arbor fructus proferet & diutius durabit, secundum quod dicit Esaias propheta: *Mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum.* Sic fructum adferre in omni virtute, & in iis cōseruari in eo situm est, vt quis altas in humilitate radices agat. Quo humilior fueris, tanto plus augeberis & cresces in virtute & perfectione. Denique vt superbia radix & principium omnis peccati est, teste Sapiente: *Initium omnis peccati est superbia;* sic Sancti dicunt humilitatem esse omnis virtutis radicem & fundamentum.

4. Reg. 19. 30.

Quod radix arbori hoc humilitas perfectioni.

Eccl. 50. 15.

Sed dicet quis, quomodo dicis humilitatem esse omnium virtutum & ædificii spiritualis fundamentum cum sancti dicant fidē esse, secundum quod dicit S. Apost. Paulus: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Huic bene respōdet D. Thomas: Duo requirūtur, vt recte fundetur domus, prius est, vt aperiantur bene fundamēta, & egeratur omnis terra, quæ mobilis est, donec ad solidū & firmū perueniatur, vt ei inædificetur, & perductis fundamentis ad iustam profunditatem, & egesta omni terra mobili, ponenda prima petra, quæ cum aliis ponendis est: præcipuum ædificii fundamentum. Eodē modo se habent (dicit S. Thomas) humilitas & fides in hoc spirituali ędificio & virtutū fabricæ humilitas est, quæ fodit & aperit fundamentū, & egerit quicquid mobile est, quod est humanarū virium debilitas. Nō est tuis virib. superponēdū fundamētū totum id arena est, totū hoc egerendū est, & fodiendū, donec ad rupē viuā & firmam petrā perueniatur, quæ est Christus: *Petra autem erat Christus.* Hoc principale fundamentnm est, sed quia & alterum necessarium est, quod humilitate fit, ideo & humilitas fundamentū vocatur. Ideoq; quicunq; humilitate bene fundamenta aperit, & illa suiipsius cognitione foderit, & egerit quicquid mobile suæ propriæ fiduciæ & æstimationis, donec ad verum fundamentum, quod Christus est, perueniat, hic bonum ædificiū exstruet. & quāuis pugnent venti, & crescant maria, non deiiciēt, quia fundatum est supra firmam petram. Sin sine humilitate ædificauerit, statim corruet ædificium, quia super arenam fundatum est.

1. Cor. 3. 11.

S. Thomas 2. 2. q. 161. art. 5. ad 2.

Spiritalis fabricæ duplex fundamentū 1. profunda fovea, Humilitas. 2. & principale, est petra, Christi fides & ipse Christus.

1. Cor. 10. 4.

Non sunt veræ, sed apparentes & falsæ virtutes, quæ in humilitate fundatæ non sunt. Hincq; S. Aug. in Romanis & veteribus philosophis veras virtutes non fuisse non solū, quia deerat ipsis charitas, quæ est forma, quæ vitā & esse omnib. dat, & sine qua nulla vera & perfecta virtus est; sed etiā deerat humilitatis fundamētū. In sua fortitudine, in sua tēperantia volebāt laudari & sui memoriā relinquere, & inanes erāt virtutes & sine substātia, & potius virtutū vmbræ, & quandoquidē imo vmbrę perfectę & verę sed solū apparētes virtutes erāt, dicit illas à Deo bonis tēporalib. Romanis cōpensatas & remuneratas fuisse, quæ ēt apparētia bona sunt. Si ergo veras in anima tua virtutes ędificare velis cura prius solidū humilitatis fundamētū iaci. *Magnus esse vis, à minimo incipe, cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis.* dicit S. Aug. *Et quantam quisq; vult & disponit superimponere molē ædificii, tanto altius fodit fundamētū.* Alterū enim sine profundo in vsu nō est, & secundū ꝓportionē illā, qua profunde humilitatis fundamenta iacies etiā educere poteris hāc perfectionis Euangelicæ turrē, quā cœpisti. Inter alias D. Thomæ Aquinatis sententias graues, refertur & hęc: Qui capitur honoris desiderio, qui nō vult parui pēdi, & dolet se despici,

Aug. l. 5. de Ciuit. c. 15. & in psal. 31.

Absq; humilitate virtutes sunt laruæ.

Virtutes Ethnicorum non veras, fortunæ bonis, non veris, remunerat Deus.

Aug. serm. 10. de verbis Domini.

1. p. l. 3. c. 37. historia Prædicatorum.

ſpici, quanquam mira faciat, tamen procul à perfectione abeſt; eſt enim virtus ſine fundamento.

CAPVT III.

In quo ſpecialius exponitur, omnium virtutum humilitatem eſſe fundamentum, enumeratis præcipuis.

Opus humilitate ad Fidem VT clarius intelligatur, quã vera ſit hęc Sanctorũ opinio, humilitatẽ omniũ virtutũ eſſe fundamentũ, & quã id in omnib. neceſſariũ ſit, exponemus & id oſtẽdemus enumerãs pręcipuis. Vt à Theologicis incipiamus: ad fidem neceſſaria eſt humilitas. Non de infantibus loquor, quibus fides ſine actu proprio in baptiſmo infunditur, ſed de adultis, qui iam *Recipiendam. 2. Cor. 10. 5.* habẽt vſum rationis. Fides intellectũ humilem & reſignatum exigit: *In captiuitatẽ in obſequium Chriſti*, dicit S. Apoſt. Paulus, & ſuperbus intellectus impedimento eſt, quo min⁹ fides recipiatur, ideoq; dicebat *Ioann. 5. 44.* Chriſtus Phariſæis: *Quomodo vos poteſtis credere qui gloriam ab inuicẽ accipitis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, nõ quæritis?* Et non ſolũ ad recipiendã, ſed & conſeruandã fidẽ neceſſaria eſt humilitas. *Conſeruandã.* Cõmunis eſt omniũ Doctorũ & Sanctorũ doctrina, ſuperbiã omniũ hæreſeôn eſſe principiũ: nã aliquis tanti facit opinionẽ propriã, vt eã omniũ SS. & Eccleſię iudicio anteponat, & ideo in hæreſes labitur. Hinc dicit Apo- *2. Tim. 3.* ſtolus: *Hoc aũt ſcitote, quod in nouiſſimis diebus inſtabũt tẽpora periculoſa, & erũt homines ſeipſos amãtes, rapidi, elati, ſuperbi.* Elationi & ſuperbiæ attribuũtur errores & hæ- *Auguſtinus.* reſes, vt & rectè S. Aug. ꝓſequitur. Humilitate ſpes fouetur, humilis. n. neceſſitatẽ ſuã ſentit, & ſcit ſe ex ſe nihil poſſe ideoq; maiori cũ affectu ad Deũ cõfugit, & omnẽ *Ad ſpem. Ad Caritatem.* ſpẽ in illo ponit. Charitas & Dei amor humilitate reuiuiſcit & incẽditur, humilis n. nouit omnia, quæcũq; habet, à Dei manu prouenire, & ꝙ ipſe nõ mereatur, ideoq; multo Dei amore inflãmatur & incẽditur. *Iob. 7. 17.* *Quid eſt homo, quia magnificas eũ? aut quid apponis erga eũ cor tuũ?* dicebat S. Iob. Ego tibi tã malus, tu vero mihi tã bonus; ego conor te offendere quotidie, & tu quotidie mihi gratias impertiri. Hæc vna & maxima cauſa ex multis qua Sãcti vtũtur, vt ſe incendãt Dei amore; quo. n. magis propriã indignitatẽ & miſeriã conſiderabãt, tanto ſe magis deuinctos inueniebant ad Deum amandum, qui tã humilia reſpexit. *Magnificat anima mea Dominum*: dicebat Angelorum Regina: *quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* *Luc. 1. 46.*

Facile videre eſt, quã neceſſaria ſit humilitas in charitate erga proximos, nihil *Ad amorem Proximi.* enim æque ſolet extinguere & diminuere proximorum charitatẽ quã defectus eius iudicare, & pro imperfectis habere: humilis autem procul hinc abeſt, proprios nãque defectus animaduertit, & in aliis nihil niſi virtutes conſiderat, ideoq; omnes bonos autumat, & ſe ſolum malum & imperfectum, & indignũ vt inter proximos verſetur: hincq; naſcitur magna illa æſtimatio & amor omnium. Præterea humilem non male habet, quod omnibus poſtponatur, & alii pluris fiant, & nulla ipſius ſit mentio. Vt nec etiam, quod aliis iniũgantur maiora negocia, ipſi vero minuta & humilia, nulla inter humiles inuidia eſt, quæ ex ſuperbia naſcitur: & propterea ſi humilitas ſit, non erit inuidia nec diſſidiũ, nec quid, quod proximi charitatem tepefaciat.

Ex humilitate etiam naſcitur patientia *Ad Patientiam.* tam in hac vita neceſſaria, humilis enim culpam & peccatum ſuum agnoſcit, ideoq; omnem pœnam ſe mereri, & nulla ei punitio aduenit, quã culpa ſua minorẽ non fateatur, hincque ſilet, nec queritur, ſed potius cum Propheta ait: *Iram* *Mich. 7. 9.* *Domini portabo quoniam peccaui ei.* Et ſicut ſuperbus in omni re queritur, & putat ſe iniuſte plecti, quamuis verum non ſit, & non habetur, vt meretur; ſic humilis non oſtendit, quamuis ſine cauſa ei contingat, nec tale iudicat. In nullo ſentit ſe læſum nec iniuria affectum, ſed omnia iudicat ſibi iure contigiſſe, & qualicunque ratione tractetur, credit ſibi factum ſatis, & melius habitum, quam mere-

 batur.

batur. Magnum sane medium est humilitas, vt ad patientiam perueniatur. Hinc sapiens suadens ei, qui vult seruire Deo, vt præparet animam suam ad tentationem, & se armet patientia, medium quod adfert dicit esse, vt se humiliet: *Deprime cor tuum & sustine omne, quod tibi adplicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine.* Qui hoc ergo fiet? quæ arma me induis, vt non sentiam, vel si sentiam, vt æquo animo feram? *In humilitate tua patientiam habe.* Et humilitate etiam nascitur pax, tā ab omnibus expetita, & tam religioso necessaria, vt clare satis Christus noster dicit: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Humilis esto, & magnam pacem tecum & cum proximo habebis. Sicut *inter superbos semper* rixæ, contentiones & *iurgia sunt*, vt dicit Sapiens; sic inter humiles rixæ esse non possunt, nisi sanctæ illę dissensio, quis humilior sit, & alterum sibi prępонat. Qualis fuit illa gratiosa cōtentio inter SS. Paulum & Antoniū super panis diuisione, dū alterū alter importat armis viget, quia hospes erat, & alter quia senior, nihil intentatum relinquentes vt alterum sibi præferrent. Et hæ sanctæ & bonæ rixæ & contentiones sunt, quę vt ex vera humilitate nascuntur, sic & non solum fraternæ paci & charitati non aduersantur, sed eandem potius confirmant & conseruant.

Eccl.2.2.& 4. — *Ad Pacem animi.* — *Matt.11.29.* — *Prou.31.10.*

Ad tria Religionis vota. Ad Paupertatem.

Veniamus ad tres illas proprias religioso & essentiales virtutes, ad quas per tria paupertatis, castitatis & obedientiæ vota nos obligamus. Paupertas tantam habet cum humilitate connexionem & affectionem, vt germanæ sorores esse videantur. Hancque per spiritus paupertatem, quam Christus primo loco inter Euangelicas beatitudines posuit, intelligāt pleriq; Sancti humilitatem, alii voluntariam paupertatem, quæ illa est, quam religiosi profitentur. Et necesse est vt paupertas semper comitem habeat humilitatem, vna enim sine alia periculosa est. Etiam habitus vilis & abiectus facile paret vanæ gloriæ & superbiæ spiritum, vnde aliorum contemptus nascitur. Ideoque S. Augustinus valde abiectum vestitum fugiebat, & volebat religiosos suos honeste & decenter vestiri, vt hoc periculum vitaretur. Et ex altera parte necessaria est humilitas, ne velimus valde cōmode vestiri, vt nihil nobis desit, sed eo contenti simus, eo quod datur, & vilissimo quādoquidem pauperes sumus & paupertatem profitemur.

Ad Castimoniam.

Ad castitatem necessariam esse humilitatem, docent multa Sanctorum patrum eremi exempla, & eorum, qui turpiter ceciderunt, postquam multos annos in pœnitentia & vita solitaria trāsegissent, quod inde ortum quod humilitatis esset defectus & præsumptio & sui fiducia, quæ Deus similibus ruinis & excessibus punire solet. Humilitas tantum est virginalis puritatis & castitatis ornamentum, vt S. Bernardus dicat. *Sine humilitate audeo dicere, nec virginitas Mariæ Deo placuisset.*

Sine humilitate castitas Deo non placet. — *Bern. hom super missus est.*

Ad obedientiam.

Ad obedientiam veniamus, in qua Pater noster vult, suos è Societate excellere. Manifestum est obedientem esse non posse, qui humilis non fuerit, nec in obediētē esse posse, qui talis fuerit. Humili quiduis imperari potest, nō illi, qui nō fuerit. Humilis contrarium iudicium nō habet, in omnibus cum superiore conuenit, tam in opere, quam voluntate & intellectu, nulla ei est cōtradictio nec oppositio. Sic ad orationem, cui religiosi & spiritualis hominis vita innititur necessaria est si humilitatem comitem non habeat nullius valoris est: & humilitate comitata oratio cœlos penetrat: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec altissimus aspiciat.* Sancta & humilis illa Iudith oratorio suo inclusa, cilicio induta, & cinere tecta, humi prostrata dicit & clamat: *Humilium & mansuetorum semper tibi placuerit deprecatio. Respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum. Ne auertatur humilis factus confusus,* sed quod petit, obtinebit. Aduerte quam grata Deo fuerit humilis illa Euangelici publicū oratio qui

Ad orationē. Humilis oratio penetrat cælos. — *Eccl.35.25.* — *Iudith.9.16.* — *Psal.101.18.* — *Psal.37.21.*

qui non audebat oculos ad cœlum leuare, nec vicinior altari fieri, ſed procul in templi aliquo angulo tundens pectus humili ſui cognitione dicebat: *Deus propitius eſto mihi peccatori. Dico vobis deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo.* dicit Chriſtus Seruator noſter, & Phariſæus ſuperbus, qui ſe iuſtum reputabit, reprobatus & damnatus eſt. Hoc modo licebat per alia virtutum genera diſcurrere, & ſic ſi compendium aliquod ad omnes acquirendum petis, & breue aliquod documentum & regulam, vt cito ad perfectionem pertingas: humilis eſto.

Luc.18.13.

Compendioſa via ad omnẽ virtutem, eſto Humilis.

Capvt IIII.

De particulari neceſſitate huius virtutis, iis qui profitentur ſe promouere & iuuare proximorum ſalutem.

Eccleſ. 3.10.

Q*Vanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Dicit Sapiens. Magnum officium obeunt illi, qui profitentur ſe aniamas Deo lucrifacere quod ad confuſionem noſtram nobis dicere licet. Ad ſublimem hunc ſtatum Deus nos vocauit; inſtituti enim noſtri eſt, ſanctæ Eccleſiæ in magno & ſublimi miniſterio ſeruire (ad quod Deus Apoſtolos elegit) quod eſt Euangelium prædicare & Sacramenta adminiſtrare: ſic vt cum S. Paulo dicere liceat: *Dedit nobis miniſterium reconciliationis.* Miniſteriũ reconciliationis gratiam & Euangelii prædicationem & Sacramenta nominat, quibus gratia communicatur. *Et poſuit in nobis verbum reconciliationis, pro Chriſto ergo legatione fungimur.* Fecit nos Deus miniſtros ſuos, legatos ſuos, quaſi Apoſtolos ſuos, vicarii Ieſu Chriſti legatos, Spiritus ſancti linguas & inſtrumenta: *Tanquam Deo exhortante per nos.* Placant Deo per nos animabus loqui, carneis his linguis vult hominum corda Deus mouere. Ob duas ergo cauſas magis nobis neceſſaria humilitas: prior eſt, quod quanto ſublimius eſt inſtitutum & vocatio noſtra, tanto maius nobis imminet periculum, & maior cum ſuperbia & vanitate pugna. Altiſſimi montes docet S. Hieronymus, maioribus ventis quatiuntur. Maximis officiis fungimur, & ideo omnium in nos oculi conuerſi, & magni ab omnibus pendimur, & ſancti habemur, & quaſi Apoſtoli in mundo, & totum noſtrum commercium ſanctitas, & quod ſanctos reddemus, quibuſcum agimus. Alto ſane humilitatis fundamento opus eſt, vt tantum ædificium non corruat, magna fortitudine & virtutum pondere, vt honorum hoc onus & inde dependentes occaſiones portentur: difficile eſt per honores ire, vt nihil cordi adhæreat. Non omnibus tantum robur, vt ad alta caput leuent. Quot euanuerunt, & ex loco alto, in quo erat ceciderunt, eo quod fundamento humilitatis hoc carerent. Quot videbantur vt aquilæ per virtutum exercitia in alterum tendere, qui ſuperbia veſpertiliones facti ſunt. Miracula faciebat Monachus ille, de quo in vita SS. Pachomii & Palæmonis legitur, ſuper prunas ambulabat ſine læſione. Sed ob hoc ipſum ſuperbiuit, & alios ſpeuit, & de ſe dicebat: Sanctus hic eſt, qui ſuper prunas ſine læſione ambulat: quis veſtrum tale quid facit? Arguebat illum S. Palæmon, quod videret ſuperbiam eſſe, & ad vltimum cecidit, & miſere periit. Talium exemplorum plena eſt S. Scriptura & ſanctorum hiſtoriæ.

2. ad Cor. 5. 10.

Curatores animarum ſunt Dei Miniſtri, Legati, Apoſtoli. &c.

Excelſi montes, & multis & magnis ſuperbiæ ventis expoſiti.

Duas habent cauſas ſeſe humiliandi. Hieronymus. 1. eſt, periculum, in quo verſantur ob muneris dignitatem.

Hincque particulariter nobis neceſſe, hac in virtute fundatos eſſe, ſi enim id non fiat, magno in periculo verſamur, ne in vanitatem & ſuperbiam incidamus, & quod omnium maximum, in ſpiritualem ſuperbiam. S. Bonauentura hoc exponens dicit duo eſſe ſuperbiæ genera, altera eſt rerum temporalium, & vocatur carnalis ſuperbia: altera vero rerum ſpiritualium & dicitur ſpiritualis, & hæc priore maior & grauius peccatum eſt; cuius ratio manifeſta eſt: omnis enim ſuperbus (dicit S. Bonauentura, fur eſt, &

Bonauentura.

furtum facit, quod ſe alieno exaltet contra Domini voluntatem. Exaltat ſe gloria & honore Deo proprio, quem alteri non vult dare, ſed ſibi ſeruare: *Gloriam autem meam alteri non dabo:* dicit ipſe per Iſaiam. Hanc Deo præripere & ſe hac exaltare, & ſibi adſcribere vult ſuperbus. Dum quis bono aliquo naturali nobilitate, bona corporis diſpoſitione, bono intellectu, eruditione vel ſimilibus donis ſuperbit; fur eſt, ſed tantum furtum non eſt: quamuis enim hæc omnia bona Dei ſunt, tamen domui ſuæ propria ſunt. Sed qui donis ſpiritualibus gratia, ſanctitate, fructu, quem in animarum ſalute fert, ſuperbit; hic magnus fur eſt, Dei honorem furatur, famoſus fur eſt, qui precioſiſſima, & apud Deum maximi pretii monilia furatur, quæ tanti ipſe fecit, vt pro iis proprium ſanguinē & vitam profunderet. Hinc S. Franciſcus valde hunc ſuperbiæ tumorem verebatur, & Deo dicebat: Domine, ſi quid mihi dederis, tibi ſerua, nihil mihi tribuo, magnus enim fur ſum, qui me bonis tuis leuo. Hoc etiam metu afficiamur, plus enim æquum eſt, nos timere, tam enim humiles non ſumus, vt S. Franciſcus. Ne cadamus in hanc tam periculoſam ſuperbiam, ne extollamur Dei bonis, quæ penes nos habemus, & Deus nobis fidit, nihil nobis adhæreſcat: ne quid nobis adſcribamus, ſed totum Deo reddamus.

Iſa. 42. 8. & cap. 48. 11.

S. Franciſc.

Marc. 16. 14. Chriſtus Seruator noſter non ſine magno myſterio, apparens diſcipulis ſuis ipſo aſcenſionis die, exprobrauit illis incredulitatem eorum & duritiam cordis, & poſtea miſit illos prædicatum Euangelium per mundum vniuerſum, & dedit illis poteſtatem faciendi multa & magna miracula; vt nobis indicaret, illum, qui ad magna exaltandus eſt, ante humiliandum eſſe, & ſe ipſum deijcere, & propriam debilitatem & miſeriam ſibi perſpectam habere, vt quamuis poſt ſuper cœlos volet & miracula faciat, tamen in ſui cognitione & propria imbecillitate integrum eſſe debere, vt nihil ſibi, quam ſuam indignitatem adſcribat. Ad hoc propoſitum notat Theodoretus, quod eadem de cauſa Deus intendens Moyſem eligere & ſtatuere populi ſui ducem & caput, & per eum tot & tanta miracula facere, vt poſt fecit, prius voluerit manum illam, qua mare rubrum diuiſurus erat, & tam mirenda patraturus, in ſinu poni, & inde extractam totam lepra perfundi.

Theod q. 10. ſuper Exodũ.

Altera ratio, cur magis nos humilitate egeamus; eſt, vt fructus iiſdem miniſteriis, quæ obimus, faciamus: ſic vt humilitas non ſolum nobis neceſſaria ſit, & noſtro proprio commodo, ne euaneſcamus & ſuperbiamus & pereamus, ſed & ad lucrifaciendum proximos, & fructum in animabus producendum. Ad hoc humilitas præcipuum & efficaciſſimum medium eſt, vt in nobis fiduciam nullam habeamus, & viribus noſtris prudentiæ & induſtriæ non fidamus, ſed omnem in Deo fiduciam collocemus, omnia ipſi accepta referamus & attribuamus, ſecundum illud Sapientis dictum: *Habe fiduciam in Domino, ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ.* Ratio huius eſt, vt poſt fuſius dicetur, quod dum nobis ipſis diffiſi, omnem in Deo fiduciam ponimus, totum illi attribuimus & in illud proijcimus, illum deuincimus, vt plus ipſe manum admoueat. Domine fac opus tuum, animarum conuerſionem, opus tuum eſt & non noſtrum; quota nos huius pars ſumus? Sed dum noſtris mediis & rationibus innitimur, facimus nos operis partem, multum nobis adſcribentes, & totum hoc Deo auferimus. Inſtar bilancis eſt, cuius dum vna pars leuatur, altera deprimitur, quantum enim nobis tribuimus, tantum Deo tollimus, & volumus nos exaltare gloria & honore, qui ipſi proprius eſt, ideoque ipſe permittit, vt nihil fiat recte. Et vtinam hoc non aliquando cauſa eſſet, quod cum proximis fructus non fiat.

2. Cauſa, vt conſtet fructus operæ apud proximum.

Prou. 3. 5. Cap. 10. & 38.

De B. Patre noſtro Ignatio in eius vita legi-

Lib. 3. c. 2. vita B. P. Ignatii.

legitur, quod in certa concione de doctrina Christiana, quam Romæ habuit vocabulis ruptis & impropriis, eo quod Italicum idioma non exacte calleret, tantum fructum in auditorum animis fecerit, vt ea finita tanto dolore compuncti sint, vt suspirantes & gementes se ad eius pedes prostrauerint, & præ lacrymis & suspiriis vix premere verba potuerint, energiam enim non in verbis sed spiritu

I. ad Cor. 2. 4.

constituebat: *Non in persuasilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis:* vt dicebat S. Apostolus Paulus. Sibi non fidebat, & omnem in Deum fiduciam iactabat, qui tantas vires & spiritum fractis & impropriis illis verbis suggerebat, vt videretur quasi ardentes flammas in auditorum animos conijcere. Sed nunc me fugit, an causa ob quam tantum fructum non referamus, in eo potissimum sita sit, quod nimium prudentiæ nostræ innitamur, & mediis nostris, eruditioni, rationibus & dicendi modo eleganti & ornato nimium fidamus, & nobis plurimum applaudamus, & placeamus. Dicit enim Deus: Efficiam, vt cum vobis persuadebitis, quod meliora & optimas rationes in medium attuleritis, & vobis videamini satisfecisse & ideo tumescatis, quia aliquid fecisse videmini, tunc minimum faciatis, & in vobis compleatur illud Prophetæ: *Da eis Domine, quid dabis eis? da eis vuluam sine liberis, & vbera arentia.* Ego matrem sterilem vos efficiam, & vt nihil præter nomen habeatis. Tantum ille Pater, Pater Ecclesiastes solo nomine diceris, & filios spirituales non habebis: vbera arentia dabo tibi, vtque proles tibi non adhæreant, nec illis tua dicta. Hoc meretur qui bonis Dei se exaltat, & sibi arrogat, quod diuinæ Maiestati proprium est. Non hoc propterea dico, quod non opus sit diligenti studio & prudentia in eo, quod ad auditores ex altiori loco dicitur; sed hoc non sufficit, opus vt multis cum lachrymis Deo commendetur, & postquam te studendo & ruminando obtuderis, dicas. *Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Quid potui ego? nisi strepitum aliquem verbis meis excitare, qui quasi bombarda sine plumbea glande? sed tu Domine ictus in corde das, tu qui illum inffligis. *Cor regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud.* Tu Domine ille, qui vulneras & moues corda; quota pars nos huius sumus? Quæ nostrorum verborum proportio? & quæ humana media possumus nos huic tam sublimi & supernaturali officio accommoda adferre, qualis est animas conuertere? Nulla omnino. Quid ergo tam inflamur, & ita nobis placemus, dum videtur fructus fieri, & nobis feliciter res cadit, quasi per nos ea confecta foret: *Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum à quo trahitur?* & dicet ei, ego sum, quæ secui & diuisi lignum, dicit Deus per Isaiam Prophetam. *Quomodo si eleuetur virga contra eleuantem se, & exaltetur baculus, qui vtique lignum est,* & non potest se moueri, nihil ab aliquo mouetur. Huiusmodi & nos sumus, si fini spirituali & supernaturali animarum conuersionis æquiparemur: lignis similes sumus, nec nos mouere quimus, nisi nos Deus moueat. Ideoque totum illi acceptum ferre debemus, & nihil nobis, vnde gloriemur relictum.

Luc. 17. 10.

Prou. 21. 1.

Isa. 10. 15.

Tanti facit Deus, si viribus nostris & mediis humanis non innitamur, & nihil nobis adscribamus, sed ipsi omnia, & totam illi gloriam relinquamus, vt Christus (teste S. Paulo Apostolo) noluerit prædicationis Euangelii causa eligere doctos & eloquentes, sed humiles piscatores, idiotas & imperitos. *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea, quæ sunt, destrueret,* videlicet Reges, Imperatores & mundi magnates. An te forsan causa latet? dicit S. Paulus:

I. ad Cor. I. 17.

Vt

Vt non glorietur omnis caro in cõspectu eius, sed quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Si Euangelii præcones opulenti & potentes fuissent, & magnis exercitibus & armatis stipati mundum obeuntes Euangelium prædicassent; conuersio adscribi armorum virtuti & potestati potuisset. Si doctos & eloquentes mundi elegisset qui eruditione, eloquentia & argumentorum vi philosophos vicissent; potuisset conuersio eloquentiæ & argumentorum subtilitati attribui, & multum minui virtus & æstimatio Christi. Ideo non sic, dicit S. Paulus, *non in sapientia verbi, vt non euacuetur Crux Christi.* Noluit Deus id fieri verborum sapientia & eloquentia, ne minueretur precium virtutis & energiæ Crucis & passionis Dominicæ. Dicit S. Augustinus: *Dominus noster Iesus Christus volens superborum frangere ceruices, non quæsiuit per oratorem, piscatorem, sed è piscatore lucratus est Imperatorem* & oratorem. *Magnus Cyprianus orator, sed prius Petrus piscator, per quem postea crederet non solum orator, sed & Imperator.*

Isa. cap.

1. ad Cor. 1. 17.

Aug. tract. 7. sup. Ioan.

Debilibus aut vilibus instrumentis ad magna vtitur Deus.

Scatet S. Scriptura exemplis, quibus ostenditur Deum humilia & debilia instrumenta & media ad magna opera vsurpasse, vt verum hoc esse demonstraret, & vt cordi nostro semper fixum esset, nihil nobis relictum, de quo gloriari liceret, nec quod nobis, sed Deo omnia attribuenda esse. Quod manifeste docuit celebris illa victoria debilis viduæ Iudith contra centum quadraginta quatuor millium armatorum exercitum. Id & docet Dauid inermis, & aduenis pastoris præclara victoria, qui funda superbum gigantem Goliath prostrauit. *Vt sciat omnis terra, quia est Deus in Israel, & nouerit vniuersa ecclesia hæc, quia non in gladio nec in hasta saluat Dominus, ipsius enim est bellum* & victoria, & vt hoc cunctis sit notum, ipse victoriam sine armis dare vult. Id etiam in Gedeon demonstratum, qui triginta duo armatorum millia contra Madianitas, qui erant centum & triginta millia, in aciem eduxerat, nam illi dicebat Deus: *Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus eius* nec eo superabis. En rationem, quam Deus allegat & ob quam non possit hostes superare, quia multi sunt: si dixisset, non poteris superare, quod inimici multi & vos pauci sint, æqua causa visa fuisset. Falleris, nec capis, humana fuisset hæc causa, altera vero Deo propria est: Non potes vincere (dicit Deus) quia multus tecum est populus. Quamobrem? *Ne glorietur contra me Israel & dicat: Meis viribus liberatus sum.* Modum excogitauit Deus, vt cum Gedeon solum remaneant trecenti, quos in hostem duci iubet, & iis dat victoriam. Nec necesse quidem fuit illos armari, aut gladios educere, sed tantum tubarum clangore, quas manu altera ferebant, & strepitu vasorum confractione, & lampadum splendore, quas altera portabant, tantum immisit Deus hostibus timorem, vt in fugam acti se mutuo protererent, putantes totum in illos mundum irruere: Non iam dicis tuis te viribus vicisse: hoc volebat Deus. Si ergo in temporalibus & humanis, in quibus nostra media aliquem ad finem, & vires nostræ ad victoriam proportionem habent, Deus nihil nobis vendicare vult, sed vt & belli victoria & felix negocii successus ipsi accepta ferantur: præterea si in naturalibus nec ille qui plantat, nec ille qui rigat, nihil sunt: non est aliter qui incrementum dat herbis, nec fructus in arbore producit, sed Deus; quid in spiritualibus & supernaturalibus fiet, vt in animarum conuersione, & profectu & virtutum incremento? In quibus media tam exilia & insufficientia sunt, vt nulla cum tam sublimi fine proportione conueniant. Ideoque dicit S. Apostolus Paulus: *Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus:* Deus enim solus est, qui incrementum & fructum spiritualem dare potest; Deus solus est, qui pauorem & metum humanis cordibus immittere potest: Deus solus est, qui id potest, vt homines peccata oderint, & peruersam vitam relinquant: nobis

1 Reg. 17. 16.

Iudic. 7. 2.

1. ad Cor. 3. 7.

nobis solum permissum aliquid strepitus Euangelii tuba excitare, & si vasa corporis nostri mortificatione frangimus, lucem nostram splendere coram hominibus vita multum ædificantes, non parum à nobis factum fuerit, sicque Deus victoria potiri concedet.

Duo hinc eruamus, quæ magno nobis erunt adminiculo, vt ministeria nostra magno solamine & profectu tam nostro quam proximorum in actum deducamus. Prius, quod dictum est, ne nobis fidamus, & omnem in Deo fiduciam reponamus, & omnem fructum & felicem successum negocii illi soli adscribamus. *Chrysost. homil. 38. ad popul. Antioch. tom. 5.* S. Chrysostomus dicit: Nolimus igitur extolli, sed & nos dicamus inutiles, vt vtiles efficiamur. Et S. Ambrosius ait: vis multũ fructus cum proximo facere, obserua S. Apostoli Petri doctrinam: *Ambros. epist. 4. ad sanctã virginem Demetriad.* *1. Pet. 4. 11.* *Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tanquam ex virtute, quã administrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.* Qui loquitur persuadeat sibi, Deum verba hæc in ore suo posuisse: qui operatur sibi persuadeat Deum per se operari, & det illi omnium gloriam & honorem. Nil nobis vendicemus, nec vllam nos ob rem eleuemus, nec vane nobis placeamus.

Posterius hinc colligendum est, nec animo cadamus nec desperemus, tenuitatem & miseriam nostram considerantes. Quo vel maxime indigemus: quis enim erit, qui videns se ad tam arduum munus & supernaturale institutum appellatum, quale est animas conuertere, è peccatorum sordibus eruere ex hæresibus & infidelitate euocare, & in se oculos dirigens, animum non despondeat? Quanta bone Deus, dissimilitudo & iniqua proportio. Non virium mearum hoc est onus, qui omniũ miserrimus & ægerrimus. Falleris sane, tibi magis id erat imponendum In Moysem cadere non poterat vt crederet, se tanto oneri ferendo parem esse, cuiusmodi erat, educere populum Israeliticum ex Ægypti captiuitate, & excusabat se Deo, qui eum ad hoc euocabat: *Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto?* *Exod. 3. 11.* *Obsecro Domine mitte quem missurus es,* ego id non possum, impeditioris enim linguę sum. Hoc est quod volo, inquit Deus, *Ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris.* *Exod. 4. 12.* Tu non facies, ego tecum ero. Idem & Ieremiæ Prophetæ contigit: Mittebat illum Deus vt gentibus prædicaret, & statim se excusare cæpit: *A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum, a, a, a:* non vides Domine, quia loqui non valeo, quod puer sum, quomodo ad tantum negociũ me amandare vis? Ideo tibi eundum est, quia hoc tibi persuades, hoc illud est quod Deus quærit, alioqui si multis donis excultus esses, non te eligeret, & illis te non eleuares, & tibi quid adscriberes, Humiles, & qui nihil sibi arrogant, eligit Deus, & per tales magna operari vult.

Sacra referunt Euangelia, dum prædicatu redirent Apostoli, & videns Christus fructũ, & miracula, quæ patrarant, exultauerit in spiritu, & cæperit glorificare & gratias agere Patri æterno: *In ipsa hora exultauit Spiritu sancto & dixit: Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater, quia sic fuit placitum ante te.* *Luc. 10. 11.* *Matt. 11. 25.* Beati illi paruuli, beati humiles qui sibi nihil adscribunt, hi enim sunt, quos Deus exaltat, per quos mirabilia facit, hi sunt, quibus vt instrumentis vtitur, ad magna operandum, cuiusmodi sunt magnæ animarum conuersiones & fructus, ideo nemo fiduciã perdat, nec animum despondeat. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* *Luc. 12. 32.* Ne time nec animo cade minima Iesu Societas, quod parua imo minima sis omnium, placuit namque Patri tuo cœlesti per te animas & corda hominum acquiri & reduci. Ego vobiscum ero, dicebat Christus Patri nostro Ignatio, quando & Romam eunti apparebat? *Lib. 2. vita S. Ignatii c. 11.* *Ego vobis Romæ propitius ero.* Idq; miraculum & mira apparitio causa fuit,

fuit, cur huic religione nomen Societatis Iesu inditum sit, vt intelligamus nos non ad Ignatii Societatē & ordinē, sed ad Iesu Societatem vocatos esset, & certos esse Iesum nobis semper auxilio fore, vt ipse Patri nostro pollicitus est, & illum nobis ducem & caput esse, ideoque nobis defatigationem nullam timendam, nec animo cadendum in hoc tanto negocio animas iuuandi, ad quod à Deo vocati sumus.

Capvt V.

De primo humilitatis gradu, qui est se parui facere & humiliter de se sentire.

Laurentius Iustinianus.

S. Laurentius Iustinianus ait neminem posse nosse, quid sit humilitas, nisi ante à Deo impetrarit, vt humilis sit, eo quod difficile cognitu id sit. In nullo (dicit idem,) tam fallitur homo, quam in cognoscenda vera humilitate. Credisne forsitan in eo consistere, si dicas: Miser sum, superbus sum? Si hic consisteret, facilis esset humilitas, omnes humiles essemus, omnes enim dicimus nos tales esse, vtinam & id sic sentiremus, & non id tantum ore, & ficto externoque respectu diceremus. Forsan credis humilitatem in vilibus & abiectis vestibus & sordidis & contemptis officiis consistere? Nec hic quidem sita est, hic enim multum superbiæ esse potest, vt quis ob hæc magni velit fieri ab aliis, & se maximi faciat, vt cæteris humiliorem, quę est ipsissima superbia. Verum quidem est exteriora hæc plurimum ad veram humilitatem conferre, si iis, vt par est, vtamur, vt post dicetur: tamē in his vera humilitas non consistit. S. Hieron. inquit: *Multi humilitatis vmbram, veritatem pauci sectantur.* Facile est caput inclinare, oculos demittere, humili cum voce loqui, sæpius suspirare & ad vnumquodque verbum, se miserum & peccatorem nominare, si enim hoc vel vno verbo, quamuis leuissimo, tetigeris vel læseris, statim videre erit, quantum à vera humilitate absint: Auferantur omnia figmenta verborum, cessent simulati gestus, verum humilem patientia ostendit. Hic lapis ille Lydius (dicit S. Hieronymus) ad quem vera examinatur humilitas.

Cap. 22. & seqq.

Hieron. epist. 27.

S. vero Bernardus magis in speciali exponit, in quo virtus hæc posita sit, eiusque definitionem ponit: *Humilitas est virtus, qua homo verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit:* virtus hæc non in verbis nec exterioribus, sed intimo cordis sita est, in abiectissime de se sentiendo, in se vilipendendo, & talem ab omnibus habendum expetendo, quod ex profundissima sui cognitione oritur.

Bern. tract. de gradibus humilit.

Vt id declaretur & specialius enucleetur, ponunt Sancti plures humilitatis gradus. S. Benedictus, quem D. Thomas & alii sequuntur, posuit duodecim, S. Anselmus septem, & S. Bonauentura omnes reducit ad tres, quem breuitatis causa sequemur, & vt doctrina ad pauciora redacta, promptius ob oculos ponatur, & facilius in actum deducatur. Primum humilitatis gradum dicit S. Bonauentura esse, vt quis se parui faciat, & humiliter de se sentiat, vnicuique & necessarium ad id medium esse sui cognitionem. Hæc duo D. Bernardi definitione continentur, vt & primo hoc gradu. Humilitas virtus est, qua quis se parui facit. En hic primum: idque (dicit S. Bernhardus) facit, dum vere se, miserias & defectus suos cognoscit. Ideoque quidam primum humilitatis gradum ponunt sui cognitionem, idque merito. Nos tamen cum S. Bonauentura redigentes omnes humilitatis gradus ad tres ponimus pro primo sui contemptum, & sui cognitionem medium vnicum & necessarium ad gradum hunc humilitatis parandum: in re tamen vnum & idem est. Nam in eo omnes conuenimus sui cognitionem esse principium & fundamentum & ad humilitatem parandum, & permouendum in eo, quod sumus. Qui enim pro tali haberi potest, si non cognoscatur?

S. Thom. 2. 2. q. 161. art. 6. Ansel. de similitudin. Bonau. processu 6. religionis c. 22.

scatur? fieri non potest. Necesse vt ante scias, quis sit, vt post eum eo loco habeas, & vt talem honore prosequaris. Sicque necesse vt ante noscas quis sis, vt post te pro tali habeas; ad hoc enim sat magna licentia datur. Si enim pro tali habeas qualis es; humilis eris, te ipsum enim contemnes. Sin te pluris facere vis, quam es; superbia hæc est. S. Isidorus inquit: *Superbus dictus est, qui super vult videri plus quam est.* Ideo enim quis superbus dicitur, quia se pro maiore habet, & talis haberi vult, quam reuera est. Hæcque vna causarum est, ob quas aliqui aiunt Deum tam amare humilitatem, quia veritatis amicus est, humilitas autem veritas, superbia vero & præsumptio mendacium & fraus est. Is enim es, quem te esse cogitas, nec is, quem te ab aliis haberi vis. Si ergo in veritate & humilitate esse vis; habe te pro eo, qui es. Non videtur sane multum à te exigi, si petatur vt te eum habeas, qui es, & te non pluris facias, rationi enim consentaneum non est, vt quis se maiorem faciat, quam vere est, potius magnus abusus, imo periculosum est, quem se decipere, & alium, quam est, se credere.

Isidor. l. etymologiarum.

CAPVT VI.

De sui cognitione, radice & vnico medio, necessario ad humilitatem parandam.

FODERE & rimari incipiamus in eo quo sumus, hoc est in nostrarum miseriarum & debilitatum cognitione, vt sic tandem preciosissimum hunc thesaurum inueniamus. *Drachma periit* (dicit S. Hieronymus) *& tamen inuenitur in stercore.* In abiectionis, peccati & miseriæ tuæ stercore preciosam hanc margaritam humilitatem reperies. Incipiamus à corporis substantia, sit prima hæc fossio. Dicit S. Bernardus: *Ista tria semper in mente habeas, Quid fecisti? Quid es? Quid eris?* Quid fuisti? quia sperma fœditum. Quid es? quia vas stercorum. Quid eris? quia esca vermium. Hic abundantissima meditandi & penetrandi materia est. Hinc recte Innocentius Papa: *O vilis conditionis humanæ indignitas! ô indigna vilitatis humanæ conditio! herbas & arbores inuestiga, illæ de sopore ducunt flores, & frondes & fructus, & tu de te lendes, & pediculos & lumbricos. Illæ de se effundunt oleum, vinum & balsamum, & tu de te sputum, vrinam & stercus. Illæ de se spirant suauitatis odorem, & tu de te reddis abominationem fœtores,* cuius etiam cogitatio nauseam pariat, quanto magis expositio. Qualis arbor, talis fructus, non enim potest arbor mala fructus bonos facere. Imo à Sanctis corpus humanum comparatur fimeto niuibus tecto, quod foris album apparet, intus vero sordibus & immunditiis plenum est.

Hieron. ad Rusticum.

Bern. in formula honestæ vitæ.

Innocent. Papa l. 8. de contemptu mundi.

S. Bernardus ait: *Si diligenter consideres, quid per os & nares, cæterosque corporis meatus egrediatur; vilius sterquilinium nunquam vidisti,* nec quod plures ex se sordes eijciat. Quam recte dixit S. Iob hominem puluerem & vermium productionem esse? *Putredini dixi: Pater meus es, mater mea & soror mea vermibus.* Eandem nos cum putredine similitudinem habemus, quam pater cum puluere. Homo productio pulueris, & saccus vermium est. Quid ergo superbimus? *Quid superbit terra & cinis?* Hic saltem nulla superbiendi materia est; sed potius se humiliandi & vilipendendi. Ideoq; ait S. Gregorius: *Custos humilitatis est recordatio propriæ fœditatis,* sub hoc cinere bene hæc conseruatur.

Bern. c. 3. meditat.

Iob. 17. 14.

Eccles. 10. 9.

Gregorius.

Progrediamur, & paulo profundiꝰ fodiamꝰ & ligonē adigamꝰ. Attēde qd fueris antequā te Deꝰ crearet, & inuenies te nihil fuisse, & te his tenebris & chao exire nequisse, sed Deum immēsa sua bonitate & misericordia te ex profunda illa abysso extraxisse, & in creaturarum numerum retulisse conferens verā & Regiam essentiam, quam habes. Sic vt ex nobis nihil simus, & nos ęquales ex nobis nos facere cōueniat iis, quæ non sunt, & Deo id adscribere, quo illa hac in parte præcellimꝰ.

Hoc est, quod S. Paulus asserit: *Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* Magnæ sane fodinæ, ad humilitatis thesauros nos ditandos se hic offerunt.

Et hic maius quid se ostẽdit, quod iam creati & essentia accepta, per nos subsistere non possimus. Nec nobis idem contingit, quod domui, quæ postquam à fabro exstructa est, se sustinet, nec fabri opera amplius indiget, qui eam ædificauit: non sic nobis agitur, creati enim tam Deo in singula momenta egemus, vt esse quod dedit, non amittamus, vt eguimus, dũ nihil eramus, vt essentia nanciscceremur. Ipse nos semper potente sua dextera sustinet & conseruat, ne in profundã nihili abyssum recidamus, vnde nos ante exstraxit. Ideo ait Dauid: *Tu formásti me, & posuisti super me manum tuam.* Hæc tua manus, quam super me posuisti, me sustinet, & conseruat, ne rursus ad nihilum redigar, quod ante fui. Tam ab hac conseruatione & custodia diuina pendemus, & ei sic affixi sumus, vt ea vel vno momento deficiente, & Deo manum retrahente, statim in eodem temporis puncto nobis deficiendum & in prius nostrum nihilum redeundum sit; vt sole occidente lumen terræ subtrahitur. Hincq; S. Scriptura ait: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputati sunt ei.* Hoc illud est, quod singulis momentis nobis in ore est, quod nihil sumus, sed puto nos solum ore dicere, nescio an intelligamus, quod dicimus. Vtinam intelligamus & sentiamus, vt Propheta, dum dicebat: *Et substantia mea tanquam nihilum ante te.* Nihilum sane Domine ex me sum, nihil enim eram, & esse quod habeo, non à me habeo, sed tu mihi illud Domine dedisti, & tibi ante adscribendum est. nec inde mihi gloriandum nec superbiendum, nihil enim ad id contuli, & tu esse illud conseruas, & vires ad operandum suggeris. Omnis essentia, omnis potestas, omnis ad operandum vis à manu tua venire debet, ex nobis enim nihil possumus, nihil valemus, nihil sumus. Quæ ergo nobis superbiendi materia? An forsitan de nihilo? Paulo ante diximus, Quid superbis terra & cinis? nunc dicere possumus. Quid superbis, cum nihil sis? quod minus puluere & cinere est. Quam rationem aut occasionem habet nihil cristam eleuandi & superbiendi, & aliquid æstimandi? Nullam sane.

Psal. 138. 5.

Isa. 40. 17.

Psal 38. 6.

CAPVT VII.

De quodam magni ponderis medio, vt homo se cognoscat, & humilitatem acquirat, quod est peccatorum consideratio.

LONGIVS procedamus & altius propriæ cognitionis ligonem defigamus, & profundius fodiamus. Profundiusne fodi potest? an quid nihilo profundius? Est, & quidem multo maius. Quid? Peccatum, quod addidisti. O quam profundum hoc, & quidem nihil hoc profundius est, peius enim peccatum quam non esse, & præstitisset non fuisse, quam peccasse, hincque Christus Seruator noster de Iuda dicebat, qui illum traditurus erat: *Bonum illi erat, si natus non fuisset homo ille.* Nihil tam abiectum, dissitum, & in Dei oculis contemptum inter omnia, quæ sunt & non sunt, quam homo, qui est in mortali peccato, & cœlesti hæreditate exclusus, Dei inimicus, æternis inferni pœnis, Dei iudicio addictus. Et quamuis te Dei bonitate mortalis peccati conscium esse non reperis, tamen quia ad nihil nostrum cognoscendum, monuimus in memoriam redigendum tempus, quo non eramus, sic & vt plenius & perfectius abiectionem & miseriam nostram exploremus, in memoriam reuocandum tempus, quo in peccato fuimus. Attende quam miseræ conditionis fueris, dum in Dei conspectu fueris deformis, infelix & hostis eius & filius

Matt. 26.

Cap. præcedente.

iræ, æternis ignibus addictus, & contemne & abiice te quam poteris profundissime. Et certe tibi persuade, quod quantumlibet te spernas & humilies, ad eam contemptus abyssum nunquam te peruenire posse, quam meretur ille, qui infinitum illud bonum, quod Deus est, offendit. Fundum hæc res non habet, abyssus profundissima & infinita est, donec enim in cœlo percipiamus, quam bonus sit Deus, perfecte cognoscere non licet, quam malum sit peccatum, quod Deo contrarium est, & quanta pœna dignus, qui illud committit.

Si hac in consideratione seduli essemus, & alte foderemus hanc criminum & miseriarum fodinam; quam humiles essemus, & quam parui nos ipsos duceremus, & quam æquo animo ferremus nos vilipendi & contemni? Qui Deum prodidit quem illius amore cõtemptum non amplectetur? Qui Deum sua concupiscentia & appetitu & momentanea oblectatione vẽdidit & mutauit, & qui Deũ Creatorem & Dominum suum offendit, & meruit æternis inferni flammis obiici, quas ille iniurias & contumelias æquo animo non tolerabit, vt illi de offensis satisfaciat & damna compenset, quæ diuinæ Maiestati intulit? *Priusquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum custodiui*: dicebat Propheta Dauid. Ps.118.67. Antequam pœna adesset, qua me Deus humiliat & affligit, iam feceram, iam deliqueram, ideoque sileo, & queri non audeo, multo. n. minor pœna culpis meis est. Non me Domine puniuisti, vt merebar. Quicquid enim in hac vita pati possumus nihil est, si cum, quod vnum tantũ peccatum meretur, conferatur. Num ne tibi videtur illum meruisse omni infamia & contemptu affici, qui Deum suo honore spoliauit, & contempsit? Nonne tibi videtur æquum esse, vt ille vilipendatur, qui Deum vilipendit? Nonne tibi videtur voluntas illa, quæ ausa fuit Creatorem suum offendendi, eo redigendo, vt posthac nil amplius fiat, quod appetit, in magnæ ipsius temeritatis pœnam?

Hic aliud consideratione dignum occurrit, quod quamuis in Dei misericordia confidere valeamus, peccata nobis iam esse remissa, tamen de eo certi non simus. *Nescit homo vtrum amore an odio dignus sit*, vt ait Sapiens. Eccl.9.1. Et S. Paulus dicebat: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*. 1.Cor.4.4. Et væ mihi, si non sim, parum enim mihi proderit, quamuis religiosus sum & alios conuerto: *Si linguis hominum loquar & Angelorum; charitatem autem non habeam; nihil sum*: 1.Cor.13.1. quamuis donum prophetię habeam, & omnem scientiam, & erogem omnem substantiam meam in pauperes, & totum mundum conuertam, charitatem autem non habeam nihil sum, nihil mihi proderit. Væ vobis, si charitatem & Dei gratiam non habeatis, nihil estis, & minus quam nihil. Magnum sane ad se humiliandum, & humiliter de se sentiendum, & contemnendum, non scire si in gratia Dei vel peccato quis sit. Certe scio me Deum offendisse, sed nescio an peccatum Deus remiserit: Quis caput leuare audeat? Quis in terra confusus & humiliatus non erit? Hincque ait Sanctus Gregorius: Gregorius. *Vt vnam gratiam certam habeamus, scilicet humilitatem*. Licet timor & dubietas hæc quam Deus nobis reliquit molesta esse videatur, & certum nobis non sit, an eius amici vel hostes simus; tamen & hoc gratiæ & misericordiæ eius adscribendum, quod nobis id valde conducat, ad humilitatem parandam, & conseruandum, ad neminem contemnendum, ob multa, quæ commisit, peccata. Oh, ille forsan, qui plus criminum me commisit, iam eorum veniam impetrauit & in Dei gratia est, ast ego nescio an sim. Quod nobis calcarium loco est ad benefaciendum, & nihil negligendum, sed vsq; cum timore viuendum & coram Deo cum humilitate ambulandum, veniam & misericordiam petendum, vt suadet sapiens: *Beatus homo, qui semper est pauidus*. Prou. 28.14. Et, *De propitiato peccato noli esse sine* Eccles.5.5.

 metu.

metu. Multum energiæ habet hæc peccatorum consideratio, ad nos vilipendendum, & humiliter viuendum, & vsque subtus terram deiiciendum, & multum sane in ea negocii ponendum, vt penetretur & ad præcordia vsque examinetur.

Si pedem figamus in consideratione effectuũ & incommodorum, quæ in nobis operatur peccatum veniale, quam copiosam & vberem materiam nos humiliandi & contemnendi reperiremus? Quã per peccatum natura corrupta sit, patet, quod tanquam lapi pondere suo inclinatur deorsum labi, & per peccati venialis infectionem, viuacissimam inclinationem ad terrena, quæ nos tangunt, habemus, & quasi mortui ad spiritualium & diuinorum delectationem sumus. In nobis imperat, quod parere æquum erat, & paret, quod imperare decebat, & eo miseriarum deuenimus, vt sub corpore & cute humano tegantur bruta desideria, & corda ad terram vsque inclinentur. Prauum est cor omnium & inscrutabile, quis cognoscet illud? Quis malitiam cordis humani pernoscat? Quantoque magis hũc murum suffodies, tanto maiores abominationes inuenies, vt in figura Ezechieli ostensum fuit. Si ergo culpas nostras præsentes animo peruoluamus, multum hic earum copiam reperiemus, hoc enim est, quod ex nostra messe colligimus. Quam volubiles sumus linguæ, quam in cordis custodia negligentes? quam in bono proposito instabiles: quam proprii damni & commodi amici? quam cupidi appetitui nostro obsequendi: quam amoris, voluntatis & iudicii proprii pleni? quam viuæ in nobis sunt passiones? quam integræ prauæ inclinationes? & quam ab illis impellimur? Valde recte ait Sanctus Gregorius in illa verba Iob. *Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam:* iure & recte hominem frondi conuerti, vt enim hæc mutatur & agitatur omni vento sic & homo tentationis vento vertitur & mutatur: aliquando turbat illum ira, aliquando inanis gloria aliquando trahit illum appetitus auaritiæ & ambitionis. aliquando luxuriæ aliquando extollit superbia aliquando deprimit pauor & timor inordinatus. Hincque etiam dicebat Isaias: *Cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos*: constantia non est nec stabilitas in virtute nec bono proposito. Vberem sane nos humiliandi & confundendi materiam habemus, idque non solum si mala & peccata nostra inspiciamus, sed & si opera, quæ nobis bona videntur, examinemus, satis materiæ ad nos humiliandum inuenire erit, ob defectus & imperfectiones, quas iis miscemus, secundum eiusdem Prophetæ sententiam: *Facti sumus vt immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ.* De quo alibi, & ideo non plura hic.

Ezech. 8. 8. *Isa. 64. 7.* *Isa. 64. 6.* *1. p. tract. 3 c. 6.*

CAPVT VIII.

Quo modo nos in propria cognitione exerceri oporteat, ne animo cadamus & desperemus.

TANTA nostra miseria est, & tanta reperimus, quæ nos ad humiliationem merito prouocare debeant; vt videamur magis indigere, vt quis nobis animum addat, & erigat, ne animum perdamus & desperemus, quam ad nostri cognitionẽ nos exhortetur. Idque tam verum est, vt Sanctis & spiritualis vitę magistri doceant, tam profunde & alte in cognitionem misertæ & fragilitatis nostræ puenire nos debere, vt ibi nõ subsistamus, ne anima in diffidentiã & desperationem cadat, vidẽs se tantis miseriis expositã, & in bonis ꝓpositis tam instabilem esse: sed vt longius progrediamur ad bonitatis Dei cognitionem, & ei plane fidamus. Quare S. Paulus monet, tantam non esse debere eius tristitiã, qui peccauit, vt causa sit pusillanimitatis & desperationis. *Ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est*: sed mode- *1. Cor. 2. 7.*

moderata tristitia esse debet, & spei veniam consequendi permista, ob oculos posita Dei misericordia, & nō solum subsistendo in sola peccati eiusque grauitatis & turpitudinis consideratione. Hinc dicunt non nobis in nostræ miseriæ & fragilitatis cognitione subsistendū, ne animū despōdeamus & desperemus; sed profundius in nostri cognitione penetrandū, vt nobis diffidendo, eo quod ibi nullū certum sit auxilium, cui innitamur, oculos statim in Deū figamus, & ei fidamus, hacque ratione non solum non animo cademus, sed potius animum sumemus & cōfirmabimur. Quod enim te respiciēndo facit ad animum demēdum, faciet Deum respiciendo ad cōfortandum, & quo plenius fragilitatem tuam cognoueris & tibi ipsi diffides, tanto fortior & robustior ad omnia eris Deum intuendo, & in eo confidendo, & omnem fiduciam in eum coniiciendo.

Sed monent hic Sancti de magni ponderis negocio. Vt subsistendum nobis nō est in miseriæ & fragilitatis nostræ cognitione, ne in diffidentiam & desperationem cadamus; sed longius ad bonitatis, misericordiæ & liberalitatis diuinæ cognitionem perueniendum, & illis plane innitendum; sic etiam hic non sistendum esse, sed statim oculos retorquendos in nos ipsos, & fragilitatem nostram. Si enim in bonitatis, misericordiæ & liberalitatis diuinæ cognitione perstiterimus, & nostri obliuiscamur, magnum hic subest periculum ne in præsumptionem & superbiam incidamus. Nimia enim nobis nostri fiducia subrepet, & in ea circumspectione & timore non erimus, quo opus habemus, quod magnum præcipitium, radix & principium magnæ & horribilis ruinæ. Quot hic spirituales, & qui ad cœlum vsque orationis & meditationis exercitio se extollere videbantur, se hinc præcipitarunt! Quot vere Sancti & magni hinc miserabiliter ceciderunt: quod sui obliuiscentur, quia minus securi erant fauoribus cœlo receptis. Nimirum fidebant, & nullum sibi amplius imminere putabant periculum; hæc causa tam miserandi casus fuit. Pleni similium ruinarum sunt omnes libri. Dicit Sanctus Basilius, causam enormis *Basilius.* casus Regis Dauid in adulterium & homicidium fuisse præsumptionem, quam habuerit à Deo visitatus tam abundanti consolatione, vt dicere auderet: *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternū.* *Psal.29.7.* Paulisper exspecta, subtrahet Deum parumper manum, & fauores hi cessabunt, & insolitæ oblectationes, & videbis, quid fiet: *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Deus te in tua paupertate deseret, & habebis tuam, & malo tuo disces, postquam cecideris quod ante nosse noluisti, quando te suo Deus fauore prosequebatur & visitabat. Similiter causā casus & negationis Apostoli Sancti Petri dicit idem Sanctus Basilius fuisse, *Basil. ho.22. de humilitate & in regulis breuioribus resp.81.* quod præsumpserit, & nimis sibi confiderit: *Etiam si oportuerit me mori tecum; non te negabo, & si omnes scandalizati fuerint ego nunquam scandalizabor*: *Matt.26.35.* valde præsumptuose dicebat, ideoque permisit Deus illum cadere, vt se humiliaret & cognosceret.

Nunquam à nobis ipsis oculi auertendi, nec nobis putandum nos in hac vita securos esse; sed cogitandum qui simus, & semper cum timore viuendum, semperq; suspicādum ne inimicus ille, quē circumferimus aliquā nobis proditionem moliatur, & laqueum tendat, quo nos in ruinam protrahat.

Sic vt quemadmodum non nobis in fragilitatis & miseriæ nostræ cognitione persistendum, sed statim ad Dei bonitatis cognitionem progrediendum; sic nec in Dei & misericordiæ & gratiæ ipsius cognitione manendum, sed statim ad nos flectendi oculi.

Hæc scala Iacob est, quæ ex vna parte terræ cognitionis nostræ affixa est, & altera parte culmini cœli. Hac tibi ascendendum & descendendum est, vt Angeli ascenderunt & descenderunt. Ascende ad diuinæ bonitatis cognitionem, & ibi non siste, ne præsumptio tibi obo-

oboriatur; sed iterum descende ad tui cognitionem, & nec ibi subsiste, de animo cadas & diffidas, sed iterum ad diuinam cognitionem ascende, vt in illum fiduciam coniicias. Semper tibi hac scala ascendendum & descendendum est.

S. Catharina Senens. c. 67. dialog.

Hac ratione isto exercitio vtebatur Sancta Catharina Senensis, vt diuersis se diaboli tentationibus liberaret, quas illi diabolus adducebat, vt ipsa in dialogis refert, quod diabolus illam confusione tentaret, nitens illi persuadere, totam eius vitam fraudem fuisse: illa interim se leuabat, & exsurgebat in Dei misericordia, cum humilitate dicens: Confiteor Creatori meo omnem meam vitam tenebras fuisse, ipsa vero me abdam in vulneribus Iesu Christi crucifixi, & ipsius me Sanguine abluam, & sic meæ iniquitates consumentur, & Creatore & Domino meo fruar. Lauabis me & super niuem dealbabor. Dum vero eam diabolus contraria tentatione per superbiã extollere volebat, & suggerebat, quod Deo grata esset, & non amplius ei opus esset se affligere nec amplius defectus suos deflere: illa se humiliabat, & diabolo respondebat: Hei miseræ mihi! Sanctus Ioannes Baptista nunquam peccauit, & fuit in matris vtero sanctificatus, & tamen omni se austeritate & pœnitentia macerauit. Ego vero tanta peccata commisi, & illa nunquam defleui, nec cognoui, vt debui. Diabolus partim tantam humilitatem, partim tantam in Deo fiduciam non tolerans, illi ait: Maledicta sis tu cum illo, qui te hæc docuit, nescio qua posthac te parte aggredi; si enim te confusione deiicio, tu te Dei misericordia erigis, sin te extollo, tu infernum vsque te per humilitatem deiicis, & vsque in infernum me persequeris, ideoque illam dimisit, nihil enim nisi damnum sibi referebat. Eodem & nobis modo hoc exercitio vtendum, & partim erimus pauidi & abstinentes, partim fortes & hilares: pauidi de nobis ipsis, & fortes & hilares in Deo. Hæ duæ illæ lectiones sunt, quas Deus quotidie (vt Sanctus quidam testatur) electis suis dat, prior vt defectus suos, posterior vt diuinam bonitatem perspectam habeant, quæ tanto amore illos prosequitur.

Thomas à Kempis.

Caput IX.

De magno bono & vtilitate, quæ in exercitio cognitionis sui reperiuntur.

Vt maiori cum animo hoc nostri cognitionis exercitium arripiamus; visum fuit aliqua bona & vtilitates inde oriunda hic in medium adferre. Iam vnum expositum est, videlicet esse fundamentum & humilitatis radicem, & vnicum & necessariũ mediũ ad eandem parandam & conseruandam. Rogatus quidam seniorum patrum, qua ratione quis sibi humilitatem parare posset; respondit: *Si sua tantummodo & non alterius mala consideret.* Quicunque oculos ab alienis defectibus ad suos conuertit, penetrat & inquirit, sibi quam notissimus, veram talis humilitatem assequetur. Hoc solum sufficiebat, vt diligenter hoc exercitio vteremur, quandoquidem tanti nobis interest ad humilitatis virtutem nobis parandam.

Sui cognitio abducit à defectibus proximi.

Sancti tamen vlterius progrediuntur, & dicunt humilem sui cognitionem certiorem viam esse, ad Deum cognoscendum, quam omnium scientiarum maximum exercitium. Hęcque ratio est, quam S. Bernardus allegat, hæc enim omnium scientiarum & maxima & vtilissima, per hanc siquidem homo in Dei cognitionẽ peruenit. Hoc dicit S. Bonauentura demonstrari mysterio illo Euãgelico, quod Seruator noster in cœco nato operatus est, cui luto oculis imposito visum corporalem dedit, quo se videret, & spiritualem visum, quo Deum cognosceret & adoraret. *Sic Dominus nos cœcos natos per nostri & Dei ignorantiam, illuminat, lutum, unde na-*

Ducit ad notitiam Dei.

Cap. 12.

Bonau. profess. 5 relig. c. 18.

de nati sumus, liniendo super oculos nostros, vt primum incipiamus nos ipsos agnoscere, deinde illuminatorem nostrum credendo proni adorare. Idem Sancta mater nostra Ecclesia nos docere nititur cerimonia illa, qua initio ieiunii quadragesimalis vtitur, dicens: *Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Vt homo se cognoscens & Deum cognoscat, & doleat se illum offendisse, & pœnitentiam de peccatis agat. Sic vt se videre & nosse, & hominē lutum & abiectionem suam considerare, medium sit, vt ad Dei cognitionem perueniatur. Et quo plus & exactius quis vilitatem suam cognoscit, tāto perfectius cognoscet magnitudinem & altitudinem Dei: *Opposita* enim *iuxta se posita magis elucescunt*, nam album nigro superpositum magis resplēdet & cognoscitur. Homo ergo cum summa sit abiectio, Deus vero maxima altitudo, duo extrema contraria sunt. Vnde fit, vt dum quis se perfectius noscit, videns ex se nihil boni habere, præter nihilum suum & peccata; magis apparet bonitas, misericordia & liberalitas diuina, quæ se tam demittit & abiicit, vt velit amare & tractare cum tanta abiectione, vt est nostra.

Inflammat amore diuino.

Hinc est, quod anima incendatur & multum inflammetur diuino amore, nam numquam satis mirari potest, nec Deo gratias agere, quod quamuis homo tam miser & peruersus sit, tamen Deus illum tolerat, & tot beneficiis cumulet. Imo vix aliquando nos ipsos tolerare possumus, quandoque tanta sit Dei erga nos bonitas & misericordia, vt non solum nos toleret, sed & dicat: *Delicia mea esse cum filiis hominum.* (*Prou. 8. 31.*) Quid ô Domine in filiis hominum tibi inuentum vt dicas delicias tuas esse cum iis esse & conuersari? Hæc causa fuit cur tam frequens apud Sanctos hoc sui cognitionis fuerit exercitium, vt ad maiorem Dei cognitionem & diuinæ Maiestatis amorem venirent. Hoc exercitum & oratio Diuo Augustino vsitata: *Deus semper idem, nouerim me, nouerim te.* (*Aug. l. de vita beata.*) Hęc oratio illa fuit, qua Sanctus Franciscus noctes diesque transigebat: Quis tu? Quis ego? Hac Sancti ad altissimam Dei cognitionem peruenerunt: hæc certissima & omnium securissima via ad hoc est, & quo altius & profundius in tui cognitionem deueneris, tanto magis ascendes & cresces in Dei ipsius bonitatis & infinitæ misericordiæ cognitione, quantoque plus ascenderis & creueris in Dei cognitione tanto plus descendes & crescis in tui cognitione. Lumen enim cœleste abscondita manifestat, & animam etiam illa erubescere cogit, quæ oculis mundi optima videntur. Dicit Sanctus Bonauentura, (*Bonauentura.*) sicut radiis solaribus domum intrantibus statim apparent atomi; *sic & cor radiis gratia illustratum etiam minima videt*: ideoque malum & imperfectum iudicat, quod alter tanta luce non illustratus optimum esse ducit. Hoc causæ est cur Sancti tam sint humiles, & se tam parui faciant, & quo sanctiores, tanto se minoris faciant. (*Deligit minima quæque animi errata.*) Quo enim maiori luce illustrati sunt, & maiorem Dei cognitionem habent; tanto perfectius se cognoscunt, & sciunt se ex sua messe nisi nihilum & peccata habere. Et quam exacte se cognoscant, & multos in se defectus videant, tamen semper putant alios & plures esse, quos non vident, & minorem eorum partem sibi notam esse, & illa eorum de se opinio est. Vt enim credant Deum melioram esse, quam ipsi nosse queant, sic & credant se peiores esse, quam ipsi adsequi possint. Vt enim quantumcunque Deum cognoscamus & intelligamus, eum comprehendere non possumus, sed semper in eo aliud ac aliud restat intelligendum & cognoscendum: sic etiam quātumlibet nos noscamus, & contemnamus & humiliemus, tamen ad fundum miseriarum nostrarum nunquam pertingere possumus. Hocque non hyperbole, sed ipsissima veritas est: vt enim homo ex se nil nisi nihilum & peccata habet; quis tantum se humiliare & abiicere poterit, quam duo hęc requirunt.

Parit nauseã. De Sancta quadam legitur, quod petito à Deo lumine, vt se posset nosse, tantam in se fœditatem & miseriam viderit, vt ei intolerabilis esset, & Deum rogauerit, dicens: Domine non tantam cognitionem da, alioqui animo cadam. Refert Pater magister Auila, se personam nosse, quę sæpius Deum rogabat, vt sibi aperiret, qualis esset. Aperuit illi paululum Deus oculos, quod magno ipsi stetit, tam enim se fœdam & abominabilem cognouit, vt magna voce exclamaret: Aufer Domine tua misericordia ex oculis meis speculum hoc, non diutius formam meam intueri queo. *M. Auila tract. 5. de S. Spiritu. pag. 104.*

& sui odium. Hinc etiam nascitur in Sanctis sanctũ illud sui odium & horror, de quo supra dictum est quo enim perfectius immensam Dei bonitatem noscunt & eũ amant, tanto se oderunt, vt aduersarios & inimicos Dei, secundum quod dicit Iob. *Quare me posuisti contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis!* Vident sibi inesse omnium malorum radicem, propriam videlicet voluntatem & sensualitatem, ex qua omne peccatum emanat, hacque cognitione contra se ipsos insurgunt, & se oderunt. Num tibi æquum videtur illum odisse, qui te fecit deserere & mutare tantum bonum: quale Deus est, vt parua & breui voluptate & delectatione fruereris? Nonne tibi fas videtur eum odio habere, qui te fecit ęternam gloriam amittere, & infernum in æternum mereri? Qui tibi tanti mali causa fuit, & adhuc est? Nunquid tibi omni odio dignus videtur? Hic tu ipsi es, aduersarius & hostis Dei, aduersarius & hostis proprii boni, & salutis tuæ. *Tract. 1. c. 4.* *Iob. 7. 20.*

Capvt X.

Sui cognitionem non pusillanimitatis sed potius fortitudinis & vigoris causam esse.

Alivd magnum in hoc sui cognitionis exercitio bonum inuenire est, quod non solum non pusillanimitatis & pauoris causa est, vt forsitan aliquibus videri possit, sed potius magnum animum & fortitudinem ad bonum dat. Ratio huius hæc est, dum quis se noscit, videt in se nihil cui inniti possit, & sibi diffidens, totam in Deo fiduciam ponit, in quo se fortem & potentem ad omnia reperit. Hinc euenit, vt eiusmodi magna possint tentare & aggredi, & ea ad optatum finem perducere, vt enim totum Deo, sibi vero nihil adscribit; Deus negotio magnum applicat, & suum facit, & in se onus suscipit, & tunc per instrumenta & media debilia exequi vult ille mira & magna; *Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* *Cap. 4. 36. 38.* *Rom. 9. 23.*

In debilioribus vasis reponere solitus est fortitudinis suæ thesauros, vt tanto magis gloria eius elucescat. Id ipsum est, quod Deus Sancto Paulo dixit, quando tentationibus quasi obrutus clamabat petens ab ipsis liberari, cui Deus respondit: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur* 2. Corinthiorum 12. versiculo 9. quo enim tentationes vehementiores & infirmitas maior, tanto magis splendet Dei virtus, & se perfectiorem & fortiorem exhibet: vt enim medicus ampliorem refert honorem, quo vehementior est morbus & maius ægrotantis periculum; sic & quo maior est in nobis infirmitas, tanto maiorem honorem brachium Dei in nobis consequitur.

Sic hunc locum exponunt Sanctus Augustinus & Ambrosius. Hinc ergo quando quis se nouit & sibi diffidit; diuina Maiestas auxilio adcurrit & læuat: contra vero, dum quis sibi, suis mediis & diligentiis fidit; à Deo deseritur. Hanc dicit Sanctus Basilius causam esse, quod sæpius festis solemnioribus, dum volumus & cogitamus plus orationi & deuotioni vacare; minus id fiat, quod nostris mediis diligentiis & præparationibus nimium fidamus. Alias vero, dum id minus cogitamus, in magnis dulcedinis benedictionibus præuenimur, vt intelligamus Dei *Aug. l. 4. de Trin. c. 1. Amb. 2. ad Cor. 11.* *Basilius.*

esse

esse gratiam & misericordiam, non no-
stram diligentiam vel meritum. Ita vt
dum quis fragilitatem, & miseriam suam
agnoscit, non animo cadit nec timidior
fit, sed potius vegetior & fortior redditur,
eo quod cogatur sibi diffidere, & omnem
fiduciam in Deo collocare. Idque illud i-
psum est, quod ait Apostolus Sanct. Pau-
2.Cor.8.10. lus: *Cum infirmor tunc potens sum.* Hoc
est: *Cum humilior, tunc exaltor.* Sicque de-
Aug.l.4.de Trinit. claratur à SS. Augustino & Ambrosio: Dũ
Ambrosius. me humilio & deiicio, & agnosco me ni-
2.Cor.11. hil posse, & infirmitatem & fragilitatem
meam adducito, tunc erigor & leuor:
dumque exactius agnosco & video fra-
gilitatem & infirmitatem meam oculos
in Deum figens, me robustiorem & ala-
criorem ad omnia sentio: ipse enim tota
Ierem.17.7. fiducia & spes mea est. *Et erit Dominus fi-*
ducia eius.

Ex his intelligere erit, humilitatem
non esse, nec ab illa desperationes & pusil-
lanimitates certas oriri, quæ solitæ sunt
prouenire in nostro profectu, eoquod no-
bis persuadeamus nunquam nos virtu-
tes parare posse, nec superare peruersam
nostram conditionem & inclinationem:
alias in officiis & ministeriis, quæ iniun-
git vel posset iniungere obedientia: v-
trum aptus ero ad cõfessiones audiendas,
vel vt in missiones ableger, vel ad alia si-
milia. Videtur id humilitatis esse, sed sæ-
pe non est, potiusque ex superbia ortum
habet. Conuertit enim quis in se oculos,
quasi suis viribus industria & diligentia
tale quid valeret, quod in Deum dirigere
debuerat, in quo omne nostrum robur &
Psal.26.1. fortitudo est. *Dominus illuminatio mea &*
salus mea, quem timebo? Dominus protector
vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistant ad-
uersum me castra, non timebit cor meum, si
exurgat aduersum me præliũ, in hoc ego spe-
Psal.22.4. *rabo.* Et, *Si ambulauero in medio vmbræ*
mortis non timebo mala, quoniam tu mecum
es. Quanta verborum diuersitate vnam e-
andemq; rẽ Propheta explicat? pleni sunt
huius omnes psalmi, vt indicetur affectus
& fiduciæ abundãtia, quam ille habebat,
& quã nos habere fas est. *In Deo meo trans-*
grediar murum. quantumuis altus sit, ni-
hil se mihi opponere poterit, ipse gigantes
locustis superabit. In Deo meo leones &
dracones inueniam, eiusque gratia & fa-
uore fortes erimus. *Qui docet manus meas* Psal.17.35.
ad prælium, & posuisti vt arcum æreum bra-
chia mea.

Capvt XI.

De aliis bonis & commodis, ex sui cognitionis exercitio oriundis.

Inter omnia media, quæ ex nobis ha- Cap.38.
bere possumus, vt nobis Deus gratiam
& dona sua communicet; præcipuum
merito est, vt nos humiliemus & fragili-
tatem & miseriam propriam agnosca-
mus. Ideo aiebat S. Apostolus Paulus: *Li-* 2.Cor.12.4.
benter igitur gloriabor in infirmitatibus me-
is, vt inhabitet in me virtus Christi. Et Di-
uus Ambrosius in verba hæc? *Placeo mihi*
in infirmitatibus, dicit: *Si gloriandum est* Ambr.1.ad
Christiano, in humilitate gloriandum est, Cor.12.10.
de qua crescitur apud Deum. Hæc enim re-
gia via est, quæ eo perducit. Ad hoc pro-
bandum adfert Sanctus Augustinus il- Aug.l.4 de Trinit.c.1.
lud Prophetæ: *Pluuiam voluntariam se-* Psal.67.10.
gregabis Deus hæreditati tuæ, & infirma-
ta est; tu vero perfecisti eam. Quando cre-
dis Deum pluuiam voluntariam & gra-
tiosam donorum & gratiæ hereditati suę,
id est, animæ daturum? *Et infirmata est:*
dum infirmitatem suam & miseriam ag-
noscet, Deus illam perficiet, & in illam
pluuia donorum voluntaria & gratiosa
descendet. Quo enim pauperes mendici
paupertatem & vlcera sua misericordi-
bus diuitibus magis aperiunt, tanto ma-
gis illos ad pietatem & charitatem mo-
uent, & largiores eleemosynas recipiunt,
sic & quo quis se magis humiliat, & se a-
gnoscit, & miseriam magis detegit,
quo diuinam misericordiam plus inuitat
& mouet ad sibi compatiendum &

condolendum, & maiorem donorum copiam illi communicandum. *Qui dat laxo virtutem, & his, qui non sunt, fortitudinem, & robur multiplicat.* *Isa. 40. 29.*

Vt breui compendio magna bona & commoda huius exercitii complectar, dico ad omnia remedium generale esse sui cognitionem. Ideoque in quæstionibus, quæ in spiritualibus colloquiis proponũtur, vnde tale quid oriatur, & quod illi sit remediũ? fere in omnibus responderi potest, id oriri sui cognitionis defectu, & remedium esse se cognoscere & humiliare. Si enim quæras, vnde oriatur, quod proximum iudices, respondeo sui cognitionis defectu fieri, si enim in tuum ipsius sinum inspiceres, tot ibi intuenda & plangenda reperies, vt tibi necesse non sit aliena curare. Si quæras, q fiat, quod aspera & morosa verba proximo dicas? dico & hoc eiusdẽ defectu fieri, si enim te nosses, & te tanquam omnium minimum haberes, & vnumquemque vt superiorem suspiceres, non eos hoc modo alloqui auderes. Si petas, vnde nascantur excusationes, querelæ & murmurationes hæ: Cui hoc vel illud non mihi datur. quare tali ratione me tractant? certum est & inde oriunda esse. Si scire velis, qui fiat quemquam plus æquo turbari & tristari, dum tali vel tali tentatione obruitur? vel dum videt se sæpius labi, & ideo illum dolore affici & quasi animum despondere? etiam defectu propriæ cognitionis procedit: si enim humilis esses, & cordis malitiam aduerteres; non turbareris, nec ideo desperares, sed potius obstupesceres, quod peius tibi nõ contigerit, & in maiora non sis lapsus, & Deum laudares & gratias ageres, quod manu sua, ne caderes te sustentet, quod proculdubio cõtigisset, nisi ille te retinuisset. Ex vitiorum sentina & fonte quid non mali fluere potest? ex tali fimeto tales odores sperandi sunt, & à tali arbore tales fructus. In verba illa Prophetæ: *Recordatus est, quoniam puluis sumus*, dicit sanctus Anselmus: Magnum nec mirum est, si ventus puluerem secum ferat & rapiat.

Sui ignorantia vitiorum plerorumque fons.

Psal. 102. 14. Ansel. l. de similitudinibus c. 61.

Legimus de P. nostro Francisco Borgia, quod quodam tempore ei proficiscenti in via obuius fuerit quidam nobilis vir, ei amicus, qui aduertens quanta cum paupertate & incommodiate iter faceret, & ei compatiens rogabat, vt maiorem sui curam haberet. Pater hilari & simulato vultu respondit: Hanc pro me solicitudinem depone, nec cogita tam male mihi prouisum vt putas, certior enim sit, me semper metatorem præmittere, qui & hospitium & omnia necessaria in aduentum meũ paret. Quærẽte vero nobili illo, quis ille esset, quẽ præmitteret; respondit: Mei ipsius cognitio est, & eius q mereor cõsideratio, qui est infernus ob crimina mea, & dumq; hac cognitione munitus ad hospitium quantumlibet male præparatum venio, commodius mihi videtur, quàm merita mea exigant. *l. 4. c. 1. vitæ P. Francisci de Borgia.*

In annalibus fratrum Prædicatorum refertur de S. Margarita eiusdem ordinis, quod cuidam viro Religioso, pio & spirituali dixerit inter alia, quod sæpius Deo supplicasset, vt ostenderet ei viam, quam antiqui Patres ingressi erãt, & tam ei placuerãt, vt ter dona & gratias de ipsius manu accipere mererentur: Et quod quadam nocte dormienti apparuerit liber aureis characteribus conscriptus, & statim audierit sibi dicentem vocem: Surge & lege; & quod surrexerit, & pauca verba, diuina tamen & cælestia legerit. Hæc seniorum patrum perfectio fuit, Deum amare, se ipsum contemnere, neminem spernere nec iudicare. Et statim liber euanuit. *1 p. l. 3. c. 4. historiæ Prædicatorum.*

CAPVT XII.

Quam expediat nos cognitione propria exerceri.

EX dictis facile erit intelligere, quã expedias nos nostri cognitione exerceri. Rogat⁹ Thales vnus sapiẽtũ Græciæ, qd inter omnia naturalia esset scitu difficillimũ, respõdit hominẽ se posse nosse. Amor n. quẽ in nos habem⁹ tãt⁹ est, vt cognitionem *Thales Milesius. Refert Paulus Manutius in apo. pag 567. §. 8. Idem Diogenes.*

nem

nē hanc impediat; & hinc etiā celebre illud veterum dictum: *Noſce teipſum.* Et alterum: *Tecum habita.* Verum extraneis omiſſis ad noſtros veniamus, qui doctiores huius ſcientiæ magiſtri ſunt. S.S. Auguſtinus & Bernardus dicunt hanc ſui cognitionis ſcientiam altiſſimam & vtiliſſimam eſſe omnium ſcientiarum, quæ ab hominibus inuentæ ſunt. Magni faciunt (dicit S. Auguſtinus) homines ſcientiam de cœlo & terra, aſtrologiam, coſmographiam, ſcientiam de cœlorum motu, curſu planetarum, eorum proprietatibus & influentiis: ſed ſe noſſe maior & altior his ſcientia eſt: illæ inflant & vanos homines reddunt; hæc ædificat & humiliat. Quamobrem ſancti & ſpiritualis vitæ magiſtri iubent nos multum hoc exercitio occupari, & abuſum arguunt aliquorum, qui leui brachio ſuorum defectuum cognitionem percurrunt, & diutius occupantur deuotorum meditatione, eo quod in his oblectionem inueniant, & in defectuum & errorum ſuorum examine non delectentur, quod nefas arbitrentur ſibi non placere, vt turpis aliquis, qui ſe in ſpeculo conſiderare non audet. S. Bernardus loquens in Dei perſona ait; *O homo ſi te videres, tibi diſpliceres, & mihi placeres: ſed quia te non vides, tibi places & mihi diſplices. Veniet tempus, cum nec mihi nec tibi placebis: mihi quia peccaſti: tibi quia in æternum ardebis.*

Auguſt. l.4. de Trinit. in proœmio.
Bern. de interiori domo.
Cognitio ſui nobilior quā aliis ſcientiis.

Homo hanc cognitionem negligit, nē diſpliceat ſibi ob peccata.

De hoc agens S. Gregorius dicit aliquos eſſe, qui dum Deo ſeruire incipiunt & aliqua ex parte virtutem colere, ſtatim ſibi boni & ſancti videntur, & tam fixos habent oculos in bono, quod faciunt, vt penitus peccata & mala præterita obliuiſcantur, vt & ſubinde præſentia, tam enim in boni conſideratione detinentur, vt non aduertant nec videant multa mala, quæ faciunt. Contra vero agunt boni & electi, nam vt vero virtutum & bonorum operum pleni ſunt, ſemper oculos in malum conijciunt, & imperfectiones & defectus ſuos conſiderant. Et facile videre eſt, quantum inter vnos & alteros interſit, nam hi mala ſua conſiderantes bona & magnas virtutes, quas poſſident, conſeruant, & in humilitate permanent: mali vero bona ſua intuentes eadē perdunt, nam ſuperbiunt in illis & euaneſcunt. Sic vt boni malis ſuis commodum & rem faciant; mali contra bonis ſuis malum & damnum ſibi adferant, quod iis male vtantur. Vt in cibis euenit, qui quamuis ſalubres & boni ſint, ſi quis eis vtatur ſine modo vel ordine, morbum ſibi accerſet: & contra ſi quis viperino veneno certa commixtione & temperie vtatur, erit ei thæraca & ſalubris. Et dum diabolus tibi ſuggerit (dicit S. Gregorius) bona, quæ egiſti, vt te magni facias & ſuperbias, oppone illi tua mala, in memoriam peccata reuocans. Vt D. Paulus faciebat, qui ne extolleretur & euaneſceret magnis ſuis virtutibus, eo quod in tertium vſque cœlum raptus eſſet, & altis ibi habitis reuelationibus, de ſe dicebat: *Qui prius blaſphemus fui, & perſecutor & contumelioſus,* & ideo non dignus vocari Apoſtolus, quia Eccleſiam Dei perſecutus ſum. Quod optimum & antidotum contra hanc tentationem.

Greg. l. 22. moral. c. 5. & 11.34. c. 16.
Incipientes Deo ſeruire, perfecti ſtatim ſibi videntur, aliter perfecti.

Memoria delictorum dæmonē fugat.

In verba illa, quæ Archangelus Gabriel Prophetæ Danieli dicebat: *Intellige fili hominis;* dicit S. Hieronymus, quod ſancti illi Prophetæ Daniel, Ezechiel & Zacharias iam ſibi videbantur eſſe inter Angelorum choros, propter magnas & continuas reuelationes, quas habebant: & vt propterea ſe non extollerent, euaneſcerent & ſuperbirent, cogitantes ſe iam Angelicam naturam vel ſuperiorem induiſſe, monet illos Dei nomine Angelus, vt naturæ ſuæ fragilitatem & debilitatem recordentur, vocans eos filios hominum, vt nouerint ſe fragiles & miſeros homines eſſe vt cæteros, & ſe humilient, & ſe pro eo habeant, quod ſunt. Plurima in ſacris & prophanis hiſtoriis exempla occurrunt Sanctorum & illuſtrium virorum, Regum, Imperatorum & Pontificum, qui hoc medio vſi ſunt ad humilitatem conſeruandam & non ſuperbiendum.

Sancti ne extollantur humiliantur.
Dan. 8. 17.
Hieronymus.

Contemptus sui. *l. 4. c. 1. vitæ P. Francisci de Borza.*

De Patre nostro Francisco de Borza legitur, dum adhuc Gandiæ Dux esset, quod quidam vir sanctus ei author fuerit, quod si in Dei seruitute proficere vellet, nullus ei dies abiret, quo non aliquid mente volueret, quod ad propriam confusionem & contemptum faceret. Quod consilium tam auide arripuit, vt ab eo tempore, quo se ad orationis mentalis exercitum dedit, duas primas diei horas in sui cognitionem & contemptum impenderit, quid quisque legerit, audiuerit vel viderit, totum ad sui deiectionem & confusionem applicuerit. Habebat præterea aliud deuotionis genus, eratque huiusmodi, quod quotidie simulatque cubitu surgebat, genua flecteret, terque terram oscularetur, vt meminisset se terram & puluerem esse & in puluerem vertendum. Quid vero hinc commodi tulerit, satis apparuit, quandoquidem tantum nobis humilitatis & sanctitatis exemplum reliquit. Obseruemus ergo nos hoc consilium & id semper custodiamus, nulla nobis dies abeat, qua aliquam orationis parté non consumamus aliquid cogitando, quod ad nostram confusionem & contemptum faciat. Et ne cessemus, ne hoc exercitio supersedeamus, donec sentiamus, animæ nostrę impressum interiorem nostri contemptum & vilipendentiam, & confusionem & erubescentiam coram diuina Maiestate, intuentes nostram abiectionem & miseriam. Valde enim nobis est id necessarium, nam tanta nostra est superbia, & inclinatio, vt magni simus & æstimemur, nisi quotidie hoc exercitio vtamur, in singulas horas nos supra nos eleuatos inueniemus, vt suber super aquam, leuiores enim & inaniores subere sumus. Semper necesse hunc tumorem & superbiam reprimi, quæ in nobis oritur, aspicientes turpitudinis nostræ & abiectionis pedes, vt hac ratione vanitatis & superbiæ rota dissoluatur. Recordemur Euangelicæ illius parabolæ de ficu, quam Dominus exscindi volebat, eo quod iam tertium annum fructum non fecisset. Dicebat hortulanus domino, vt illum hoc anno permitteret, promittens se fossurum & stercus additurum, & si sic fructum non ferret, tunc exscinderetur. Tu ergo siccam & sterilem animæ tuæ ficum fode, & stercus peccatorum tuorum & miseriarum, quo abundat, adde, & sic fructum faciet & fertilis fiet.

Osculatur terram quotidie ter P. Borza. Lib. 4. c. 4.

Necessitas humilitatis.

Luc. 13. 6.

Studium cognitionis sui antiquis & perfectis vsitatum.

Vt maiori animo quis hoc exercitium colat, & nemo occasionem illud omittendi ob falsas aliquas impressiones captet; duo hic notanda sunt. Prius ne quis cogitet hoc exercitium tantum incipientium esse, cum & veterum & valde perfectorum virorum sit, cum videamus id ab illis, imo & ab Apostolo S. Paulo vsurpatum. Posterius est, quod intelligendum, hoc exercitium non mærori obnoxium nec melancholicum esse, nec adferre turbationem & inquietem, sed potius multam pacem & quietem, satisfactionem & hilaritatem, quantoscunque etiam in se quis defectus & errores cognoscat, qui intus se etiam tam peruersum deprehendat, vt omnes illum oderint & contemnant. Dum enim cognitio hæc ex vera humilitate procedit; pœna illa & contemptus cum quadam suauitate & delectatione aduenit, vt nollet sine illa homo esse. Aliæ illæ anxietates & pœnæ, quas quidam attendentes suas imperfectiones & defectus sentiant, tentationes diaboli sunt, qui partim eis nititur hominibus persuadere se humilitatem habere, partim vellet, si posset, vt homines Deo diffiderent, & suo se seruitio manciparent.

Cognitio sui, causa interioris lætitiæ.

Deo fidendum est homini, qui delicta sua intuetur.

Si in fragilitatis & miseriæ nostræ cognitione nobis sistendum foret; satis nobis causæ esset tristandi & desperandi; sed non hic figendus pes est. Sed statim ad diuinæ bonitatis, misericordiæ & liberalitatis considerationem transeundum, in quo aduertendum quam nos dilexerit, & quanta pro nobis passus sit, hicque omnis fiducia figenda. Sicque quod occasio pusillanimitatis & tristitiæ futurum erat, si nos respiciamus, iuuat

ad

ad nobis animum addendum & confortandum, & causa est maioris hilaritatis & solatii, si Deum adspiciamus. Si quis se intuetur, nihil videt nisi quod deplorandum est; sin Deum respiciat, in eo confidit, nec timet ab eo deseri, quantascunque etiam in se animaduertat imperfectiones & miserias. Diuina enim bonitas & misericordia, in quam oculos & cor fixit, infinitis partibus omnia hæc excellit & superat. Hacque consideratione, quæ altas ipsis in visceribus radices egit, sibi tanquā fractæ arundini niti cessat & Deo semper nititur & fidit, secundum illam Prophetæ Danielis sententiam. *Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.*

Dan. 9. 18.

Caput XIII.

De secundo humilitatis gradu: Declaratur in quo consistat iste gradus.

Secundum humilitatis gradum dicit S. Bonauentura esse, desiderare aliquem parui fieri. *Ama nesciri, & pro nihilo reputari.* Desiderare à nemine sciri, & æstimari, & ab omnibus pro nihilo haberi. Si in primo humilitatis gradu bene fundati essemus, tum ad secundum propius accessissemus. Si nos ipsos parui faceremus, non nos pigeret ab aliis parui fieri, & potius ideo lætaremur. Idne manifestius videre lubet? (dicit S. Bonauentura) Omnes natura in id propendemus, si videamus alios eiusdem nobiscum esse opinionis, & idem nobiscum sentire. Quod si ita se res habet, cur non gaudemus alios nos vilipendere? Scis quare? quia nos ipsi nos non vilipendimus, nec hæc opinio nostra est. S. Gregorius in verba illa Iob: *Peccaui, & vere deliqui, &, vt eram dignus, non recepi,* dicit, plurimos esse qui ore quidem profitentur se tales vel tales esse, & tamen ipsi id non credunt, dum enim alii idem dicunt, vel etiam minus, ferre nequeunt.

Bonau. processu 6. relig. c. 22.

Superbus non vult parui fieri ab aliis.

Idem Greg. l. 1. dialogor. c. 5.

Greg. l. 24. moral. c. 12. & l. 22. c. 14.

Iob. 33. 27.

Huiusmodi, dum de se mala dicunt, vera non dicunt, sic enim in animo suo non sentiunt, vt sentiebat Iob, dum diceret: Peccaui & vere deliqui & Deum offendi, & non me secundum merita puniuit. Iob hoc vere & ex animo dicebat, illi vero solum ore & exterius se humiliant; intus tamen humilitatem nullam habent, humiles quidem apparere, sed non esse volunt; si enim id vere vellent, non tam ægre ferrent se ab aliis reprehendi, & de aliquo errore notari, nec se tam excusarent & defenderent, nec se turbarent, vt turbantur.

Superbus verbis tantū ficte se humiliat.

Refert Cassianus ad Abbatem Serapionem accessisse quendam monachum, qui habitu, gestu & verbis magnam præ se humilitatem & sui contemptum ferebat, & nunquam de se malum dicere cessabat, quod magnus erat peccator & peruersus, indignus communi aere frui, nec à terra ferri: non volebat nisi humi sedere, multo minus permittere, vt lauarentur ipsi pedes. Abbas Serapion post mensam secundum consuetudinē suam cœpit de rebus spiritualibus agere, in quibus & monachus partem habebat, nam bonum ei consilium dedit, & magna cum charitate & mansuetudine suasit, quandoquidem iuuenis & fortis erat, in cella sederet, & manibus ad parandum victum operaretur secundum monachorum regulam, & ne otiosus per aliorum cellas vagaretur. Tam grauiter hanc admonitionem & consilium tulit monachus, vt dissimulare nequiret, sed exterius & in facie indignationem ostenderet. Quare ei dixit Abbas Serapion: Quid hoc est fili, quod hactenus tanta de te ipso mala dixisti, & tot ignominias & dedecora, & nunc vnica admonitione, quæ tam est sincera, nec aliquam contumeliam & iniuriam in se habet, sed potius magnam charitatem & amorem, tam indignaris & commoueris, vt tegere & dissimulare nequiueris? Sperabasne forsitan tanta de te ipso mala dicendo à nobis te auditurum illam Sapientis sententiam: *Iustus prior est accusator sui?*

Cassian. collat. 18. c. 11.

Monachus se coram aliis contemnit. & vnam monitionem ab Abbate non potest ferre.

Prou. 18. 17.

volebasne, vt te laudaremus, & pro iusto haberemus? vbi & S. Gregorius ait, id esse quod nostra hypocrisi & ficta humilitate ambimus, & id quod humilitas videtur, magna est superbia. Sæpius enim nos humiliamus, vt ab hominibus laudemur, & boni & humiles habeamur. Si sic res non se habet; quæro à te, cur dicas, quod alios non vis credere? si ex animo & vere dicis, optandum tibi vt & alii credant & te talem æstiment, si id non optas, aperte demonstras, quod hoc ipso nolis humiliari, sed magni fieri & æstimari. Hoc est quod Sapiens inquit: *Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo* & superbia. Quæ enim maior fraus potest excogitari, quam per humilitatem velle ab hominibus honorari & æstimari? & quæ maior superbia, quam humilem velle haberi? *Appetere de humilitate laudem humilitatis, non est virtus, sed subuersio,* dicit S. Bernardus. *Quid peruersius quidue indignius, vt inde velis videri melior, vnde videris deterior?* Ex malo, quod de te dicis, vis bonus videri, & talis haberi, quid indignius & rationi magis absonum? S. Ambrosius idem arguens ait: *Multi habent humilitatis speciem, sed virtutem non habent: multi eam foris prætendunt, & intus impugnant.*

Gregorius. Humiliant se aliqui ex superbia.

Ecclesi. 19. 23.

Bern. serm. 16. super Cantica.

Ambros. l. 7. epist. 44.

Tanta nostra est superbia & propensio vt magni fiamus & æstimemur, vt mille vias excogitemus, & mille modos ad eo perueniendum inuentemus: aliquando directas, aliquando indirectas, semper tamen id expetentes, vt existimationi nostræ consulatur. Dicit S. Gregorius superbis proprium esse, dum sibi persuadent aliquid se bene dixisse vel fecisse, eos qui audierunt vel viderunt, rogare, & defectus iis exponant, vt eos sic laudent. Videntur se externis humiliare, dum petunt defectus suos exponi, sed non hoc humilitati sed superbiæ adscribendum, hoc enim pacto laudem extorquere conantur. Alias quis factum suum vituperat, & dicit sibi in eo non factum satis, vt sic eliciat, quod alter pectore conditum gerit, & vellet se ab eo excusari, & sibi dicere: Non male sane sed optime dictum vel factum fuit, non est, quod tibi hic non satisfactum credas: hoc est, quod alter volebat.

Superbus vult magni fieri.

Greg. l. 26. moral. c. 1. Idem Bonau. de Informatione nouit. c. 8.

Contemnit se superbus vel errores petit suos vt laudetur.

Hanc humilitatem pater quidam grauis & spiritualis nominabat humilitatem incuruam. Hoc enim hamo ab alio elicere vis, vt te commendet. Concionatus quis putat sibi concione sua factum satis, & ab altero quærit, in quo errauerit vel defecerit: ad quid huiusmodi fictiones & hypocrises? nullos errores vel defectus fuisse credis, nihil aliud petis, quam vt concionem laudent, & eiusdem tecum sint opinionis, quod lubenter audis, & si quis alter sincere aliquem errorem indicat, non arridet tibi hominis iudicium, sed tua potius defendis, & sæpius euenit, vt illum iudices, qui errorem indicauit, & non tanti ingenii & iudicii esse affirmes, vt hic recte iudicare posset, eo quod errorem dixerit, quod tu certum duxisti. Totum hoc superbia & arrogantia est existimatio, quam inde ficta humilitate elicere cupis. Alias dum errorem tegere non possumus, illum sincere confitemur, vt si errore honore excidimus; humili confessione recuperemus. Alias (dicit S. Bernardus) errores nostros exaggeramus, & plus æquo amplificamus, vt alii hoc videntes credant fieri non posse, vt tanti sint, & nullum ibi errorem esse sibi persuadent, & totum humilitati adscribunt, & sic exaggerando & plus iusto amplificando volumus tegere id, quod est. Sicque infinitis industriis & technis velo humilitatis conamur superbiam nostram tegere & simulare.

Exaggeramus delicta nostra vt humiles videamur.

Bern. de grad. humilit. c. 9.

Et hic obiter videbis (dicit S. Bernhardus) quam preciosa & excellens res sit humilitas, & quam vilis & abiecta superbia. *Gloriosa res humilitas, qua ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne vilescat.* Aduerto quam alta & gloriosa humi-

Bern. vt supra. Superbia, humilitate vult ornari.

humilitas, qua se etiam ipsa superbia munire & tegere nititur: & quam vilis & erubescenda superbia, quandoquidem vultu aperto prodire non audet, sed solum velata & tecta humilitatis velo. Quam erubesceres & verecundareris, si alius sciret, te laudari & æstimari velle? Te enim pro superbo haberent, qui est omnium infimus gradus, in quo esse posses, ideoque superbiam tuam humilitatis signis tegere conaris. Quare ergo esse vis, quod apparere erubescis. Si erubesceres alios scire, te velle laudari & magni haberi, cur non erubescis idem velle? malum enim in eo, quod tu id velis, non quod alii sciant te id velle, situm est. Etsi erubescis homines id scire, quare non erubescis Deum id scire, qui id videt & intelligit: *Imperfectum medium viderunt oculi.*

Psal. 138. 6.

Hoc totum nobis accedit, quod primo humilitatis gradu non bene fundati simus, & tam procul à secundo simus. Necesse rem hanc à suis principiis exordiri: ante omnia opus miseriam & nihilum nostram agnoscamus, & ex profunda nostri cognitione extrahendus abiectus nostri sensus & contemptus & vilipendentia, qui est primus humilitatis gradus: & ab hoc ad secundum ascendendum. Sic vt non sufficiat, quod te contemnas, quod te parui facias, quod malum de te ipso dicas, quamuis id vere & ex animo fiat; sed eo vsque peruenien-dum, vt læteris alios idem de te sentire, quod tu de te dicis & sentis, & te vilipendere & contemnere. Dicit S. Ioannes Climachus humilem non esse, qui se abijcit & de se malum dicit. Quis enim est, qui se non toleret? Sed ille humilis est, qui in pace lætatur se contemni & male ab alio haberi. Bonum est quempiam semper de se malum dicere, quod sit superbus, piger, impatiens, negligens: præstaret tamen hoc reseruare, donec alius diceret. Si petis idem alios sentire, & in ea tecum esse opinione, & lætaris ista audire, dum sese occasio offert; hæc tandem vera est humilitas.

Humilis gaudet se ab aliis cõtemni.

Climachus 1. de vana gloria.

Capvt XIV.

De quibusdam gradibus, quibus ad perfectionem secundi huius humilitatis gradus nobis ascendendum.

Qvandoqvidem secundus hic humilitatis gradus omnium eorum, quæ in hoc huius virtutis sunt exercitio, difficillimus est vt in actum deducatur, eum, vt Sancti quidam diuidunt, in quatuor gradus vel partes diuidemus, quo sic paulatim, & quasi passibus enumeratis ad humilitatis perfectionem ascendamus, quod secundo hoc gradu requiritur. Prima pars est nolle ab hominibus honorari & æstimari, vt potius fugere, quicquid honos vel æstimatio dicitur. Pleni sunt libri exemplorum de Sanctis, qui tantum aberant, vt vellent magni fieri & honorari in mundo, vt honores & dignitates fugerent, omnesque occasiones vt capitales hostes auersarentur, quibus honorem & æstimationem apud homines adipisci possent.

Anselm. lib. de similitud.

Gradus humilitatis quatuor. *I.*

Huius primum se prototypum dedit Christus Seruator noster, qui fugit, cum intelligerent, quod eum vellent Regem eligere, post celebre illud miraculum, quo quinque panibus & duobus piscibus quinque hominum millia satiauerat: non quod periculum aliquod illi timendum esset in quacunque etiam altissima dignitate, sed vt nobis exemplum daret. Similiter dum sanctissimi corporis sui gloriam in mirabili sua transfiguratione tribus discipulis manifestauerat, iubebat ne cui dicerent, nisi post mortem & gloriosam resurrectionem suam: dumque cœcis visum daret, & alia miracula faceret iubebat vt illa celarent, vt nobis exempla daret, honores æstimationemque hominum fugiendi, ob manifestum periculum in eo situm, ne superbiamus & perdamur.

Christus honores fugit. Ioan. 6. 15.

Matt. 9. 30. Marc. 7. 36.

p. I. l. 7. c. 5. Chronic. ord. S. Francisci.
S. Ægidius in terram se conijcit post lapsum Generalis sui ne extollatur.

In Chronicis Minoritarum legitur. Quod frater Ægidius audiens casum fratris Eliæ, qui fuerat Minister generalis ordinis, & vir doctus, & tunc temporis erat apostata & excommunicatus, eo quod Frederici secundi Imperatoris Ecclesiæ rebellis partibus accessisset; in terram se deiecerit, & illi se firmiter applicabat; & rogatus, cur id faceret? respon-derit: Volo descendere quantum possum, hic enim cecidit, quia ascendit. Ad propositum adfert Gerson fabulam illam, quam poetæ fingunt de Antheo gigante terræ filio, qui cum Hercule dimicans, quotiescunque in terram caderet, nouas sumebat vires, nec vinci poterat: quo ab Hercule notato illũ alte sustulit, & caput amputauit. Sic (dicit Gerson) diabolus conatur nos laudibus, honoribus & mundi æstimatione extollere, vt nos occidat, & altiore casu cadere faciat. Hinc vero humilis se deijcit in sui cognitionis terram, & timet & tam fugit extolli & æstimari.

Gerson. serm. de humilit. in cœna Domini.

II. *Anselmus.* *Aduersa patienter ferre.*

Secunda pars & gradus est (teste Anselmo) *vt patiatur contemptibiliter se tractari*, & dum aliqua sese offert occasio contemptus & abiectionis, illam æquo animo ferre. Iam de eo non agimus, vt dedecus & iniurias quæras, & in illis gaudeas & læteris: de hoc enim post erit dicendi locus & altius & perfectius hoc est. Hoc solum iam dicimus, vt si qua se occasio offerat, quæ ad tui contemptum facit, illam patienter feras, si non potes hilariter, secundum illud Sapientes dictum: *Omne, quod tibi applicitum fuerit, etiamsi si delectationi assensualitati contrarium sit accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe.* Hoc efficax medium ad humilitatem parandam & conseruandam est; vt enim humana æstimatio & honor superbiæ & vanitatis causa est, & ideo Sanctis tam exosa; sic & id, quod ad dedecus & contemptum nostrum tendit, efficacissimum est medium & humilitatem parandam & conseruandam, & in illa progrediendum. Solitus est dicere S. Laurentius Iustinianus humilitatem torrenti similem esse, qui hieme multas secum aquas trahit, æstate vero paucas; sic & humilitas prosperitate minuitur, aduersitate crescit.

Eccles. 2. 4.
Humilitas torrenti similis.
Laurentius Iustinianus.

Multæ se quotidie in hac re offerunt occasiones, & magnum nobis humilitatis exercitium parare possemus, si illas attente & sollicite in commodum nostrum verteremus. Valde recte dicit Sanctus ille: Quod aliis placebit, progredietur, quod tibi arridet, non item, quod alii dicunt, audietur: quod tu dicis, quasi nihilum habebitur: petent alii & obtinebunt, tu petes & non obtinebis. Alii magni in omnium ore erunt, de te nullus mentionem faciet: aliis negocia iniungentur, tu contra ineptus habeberis: natura hoc dolebit, sed magnum erit, si tu tacendo tolerabis. Quisque apud se perpendat, & speciatim per has occasiones discurrat, & inquirat, quomodo in his se habeat. Attende quomodo te habeas, dum quis tibi imperiose & resolute mandat. Attende quam in partem accipias, dum quis te vitii alicuius monet & arguit. Attende qui sentias te, dum superior non videtur tibi multum fidere, sed potius diffidere. Dicit S. Dorotheus. Quæcunque se harum occasionum offert, accipe illam vt remedium & medicinam, ad tuam sanandam superbiam, & roga Deum, vt qui tibi hanc occasionem det, & vt medicum animæ tuæ, & tibi persuade, eum qui hæc oderit, odisse & humilitatem.

Thomas à Kempis.
S. Dorotheus.

III. *Tristari quod lauderis.* *Augustin. epist. 64. ad Aurelium Episcop.* *Gregor. l. 22. moral. c. 6.* *Iob. 31. 26.*

Tertius gradus est, non lætari & delectari, dum ab hominibus laudamur & æstimamur. Hic gradus præcedente difficilior est, teste D. Augustino: *Et si cuiquam facile est, laude carere, dum denegatur, difficile est ea non delectari, cum offertur.* S. Gregorius hoc punctum recte explicat in verba illa Iob: *Si vidi solem, cum fulgeret, & lunam incedentem clare, & lætatum est in abscondito cor meum,* dicens, Iob ea verba adferre, quod in hominum

num laudibus & æstimatione non lætaretur, nec vane delectaretur; hoc esse videre solem cum fulget, & Lunam incedentem clare, attendere bonam famam & opinionem, quæ de illo ab hominibus habetur, & de laudibus eorum lætari, & delectari. Hanc ergo inter superbos & humiles differentiam ponit, quod superbi gaudeant, dum laudantur, & quamuis falsum sit, quod de iis dicitur, nihil enim curant, quales in se & coram Deo sint, cum ipsis nihil aliud curæ sit, quam ab hominibus magni fieri & æstimari, eoque solo lætantur & cristas attollunt, finem consecuti, quem volebant. Ille vero qui vere humilis est corde, videns se laudari & æstimari, se abdit & erubescit, secundum illud Prophetæ: *Exaltatus autem, humiliatus sum & conturbatus.* Dum exaltarer, magis me humiliabam, & in maiore eram metu & verecundia. Idque merito: *Cauta enim consideratione trepidat, ne aut de his, in quibus laudatur, & non sunt, manus Dei iudicium inueniat, aut de his, in quibus laudatur, & sunt, competens præmium perdat*: & post ipsi dicetur: *Recepisti bona in vita tua*, seu operum tuorum mercedem.

Violat Solem, qui laudem aliorum odit.

Superbus amat laudari humilis vituperari.

Psal. 87. 16.

Gregorius.

Luc. 16. 25.

Sic vt ex quo superbi occasionem capiunt extollendi & euanescendi, cuiusmodi sunt hominum laudes, ex eodem humiles occasionem se humiliandi & confundendi quærunt. Hocque illud est, quod Sapiens ait: *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis.* Si aurum vel argentum falsum sit, igne consumitur; sed si purum est, igne clarius fit & purius. Similiter & homo laudibus probatur: qui enim, dum laudatur & æstimatur, se extollit & superbit laudibus, quas audit; hic bonum aurum vel argentum non est, sed falsum, fornax enim linguæ illum consumit. Qui vero laudes suas audiens, inde occasionem capit se humiliandi & confundendi, est aurum & argentum purissimum, igne enim suarum laudum non consumitur, sed eo purior & clarior euadit, humilior enim & abiectior eo effectus est. Hoc ergo signum obserua, quo cognosces an in humilitate & virtute proficias, tale enim dedit nobis S. Spiritus. Aduerte, si doleas, dum laudaris & æstimaris, & si ideo gaudeas & delecteris, & inde videre erit an aurum vel orichalcum sis.

Homo probatur laudibus vt aurum & argentum igne.

Greg. l. 22. mor. c. 9.

Prou. 21. 21.

De Patre nostro Francisco de Boria legimus, quod nulla re tam afficiebatur, nisi dum se vt sanctum vel Dei famulum videbat honorari. Et quodam tempore rogatus, cur sic cruciaretur animo, quandoquidem ipse hoc nec peteret nec procuraret? respondit se timere rationem, quam ideo Deo reddendam sciret, & sibi certo persuasum esse se longe alium ab eo esse: quod idem est, quod de S. Gregorio diximus. Tam & nos in nostri cognitione fundatos esse oportuit, vt humanarum laudum & æstimationum venti nos mouere & a nostro nihilo nos separare nequeant. Tunc potius magis nobis est confundendum & erubescendum scientes falsas illas esse laudes, eamque in nobis virtutem non esse, ob quam laudamur, & tales non esse, quales nos mundus prædicat, & esse oportebat.

L. 4. c. 1. vita P. Francisci de Boria.

Dolet ob laudem P. Boria.

CAPVT XV.

De quarto gradu, qui est, velle contemni & vilipendi, ideoque gaudere.

QVARTVS gradus ad ascendendum ad humilitatis perfectionem est, vt quis velit contemni & ab hominibus vilipendi, & dedecore, iniuria & contemptu lætari. Dicit S. Bernardus: *Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari, & gaudet de contemptu sui.* Hic secundus humilitatis gradus est, & in eo perfectio eius sita est. Hincque dicit humilitatem nardo comparari, quæ est parua sed tamen odorifera herba, secundum illud Canticorum: *Nardus mea dedit*

IV. Amor contemptus sui.

Bern serm. 16. super Cantica.

Humilitas est nardus.

Serm. 42. super Cantica.

Cant. 1. 11.

odorem suum. Tunc enim se spargit odor nardi humilitatis, non solum quando tu te parui ducis, etiam cupis & vis te ab aliis contemni & parui duci.

Humilitas duplex intellectus & voluntatis. Serm. 42. super Cantica.

Notat S. Bernardus duplicem esse humilitatem: vnam in intellectu, dum quis se intuetur, & suam aduertens miseriam & vilitatem, & à veritate persuasus, se parui facit, & iudicat se omni contemptu & dedecore dignũ. Altera in voluntate est, dum quis ab aliis vult contemni, & cupit ab omnibus contumelia & dedecore affici. Priorem in Christo Seruatore non fuisse ait, nam ipse se contemnere non poterat, nec contumelia & dedecore dignum ducere. *Quoniam sciebat seipsum*, & se verum Deum & Patri æqualem esse. *Non rabinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Altera vero in eo erat humilitas cordis & voluntatis, magno enim amore, quo erga nos affectus est, voluit se abijcere, & vilis apparere & contemptus coram hominibus. Ideoque dicit ipse: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*, & voluntate. Sed in nobis (dicit S. Bernhardus) plures humilitates necessariæ sunt, prior enim sine posteriore falsa & fraudulenta est. Velle apparere, & talis ab alio haberi, qualis vere es, falsitas & fraus est. Qui vere humilis est, & vere de se humiliter sentit, & se contemnit, & vilipendit, lætari debet, quod alii illum contemnant & vilipendant.

Ad Philip. 2. 6. 7.

Matt. 11. 29.

Humilitas intellectus in nobis fraudulenta sine voluntatis.

Christus exemplum contemptus & contumeliarum nobis.

Hoc à Christo nobis discendum: Aduerte quanto animo, desiderio & quam prompta voluntate nostri amore contemptum & contumelias amplexas sit, vt contentus fuerit se deiecisse & exinaniuisse factumque hominem serui formam accepisse, cum cœli & terræ Dominus esset, sed & voluerit peccatoris formam & habitum accipere. *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati.* Vt dicit Apostolus S. Paulus. Peccatum non assumpsit, eo quod in illum non caderet, sed signum & peccatorum cauterium. Nam vt peccator voluit circumcidi, & inter peccatores & publicanos baptizari, quasi vnus eorum, & minoris quam Barrabas haberi, & peior & vita indgnior iudicari. Denique tanto tenebatur desiderio iniurias, opprobria & contumelias nostri amore patiendi, vt diu illi hora illa morari videretur, in qua amore ebrius tanquam alter Noe nudus esset, vt ab hominibus irrideretur. *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, vsque dum perficiatur? Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum.* Desiderio desideraui, vt hora hæc adsit, qua nihil nisi inaudita opprobria & vituperia, videatur, alapæ & colaphi vt seruo, dari solitæ, in faciem conspui vt blasphemo, albis vestibus indui vt stulto, & purpura vestiri vt Regi ficto, & supra hæc omnia flagellas, quæ sunt pœnæ furum & malefactorum, & Crucis tormentum inter latrones, quod tunc temporis erat maxime ignominiosum mortis genus, quod in mundo erat. Hoc erat, quod maximo desiderio præstolabatur Christus Redemptor noster. *Improperum exspectauit cor meum & miseriam*, dicit eius nomine Propheta, quasi gratum quid, & quo delectetur, in quo spes est, & timor in his, quæ tristitiam adferunt. Et Propheta Ieremias dicit: *Saturabitur opprobriis.* Hanc horam desiderabat, vt saturaretur opprobriis, contumeliis & iniuriis, vt illa, quæ multum esuriebat, & quibus delectabatur, & valde ei sapida & iucunda nostri amore erant.

ad Rom. 3. 8.

Luc. 12. 50. Videlicet baptismo sanguinis.

Luc. 22. 15.

Psal. 68. 21

Thren. 3. 30.

Si ergo Dei filius tanto desiderio opprobria & centum alias desiderabat, & tanta oblectatione tulit & nostri amore perpessus est, licet talia non mereretur; non multum videbitur, si nos, qui omni dedecore & vituperatione digni sumus, ipsius amore desideramus tales haberi, quales sumus, & lętemur opprobrio & cõtemptu,

quæ

Apostoli amat contemptum. *2.Cor.12.10.* quæ meremur. Quod Apostolus Paulus faciebat, dum diceret: *Propter quod placet mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* Et ad Philippenses scribens, agens de sua captiuitate, petit vt socii sint gaudii, quod habebat, quod illa cathena se propter Christum vinctum videret. Tantam gaudii abundantiam habebat in persecutionibus & laboribus, quos tolerabat, vt lætitiam partiri posset sociis, & ideo illos inuitabat, vt gaudii sui participes essent. Hoc lac illud est, quod Sancti Apostoli è Christi vberibus suxerunt. Ideoque de illis legitur: *Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilii: quoniam digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati.* Gaudebant dum capti ducerentur ante præsides & synagogas, & magni beneficii, & gratiæ loco habebant, dignos se esse pro Christi nomine contumelias & iniurias pati.

Ad Phil.1.7.

Act.5.41.

B.Ignatius amat contemptus & mortẽ. Hoc post & Sancti imitati sunt, vt Sanctus Ignatius Romam ad martyrium magno dedecore & multis iniuriis ductus, summo cum gaudio ibat & dicebat: *Nun incipio Christi esse discipulus.* Hoc vult nos Pater noster imitari, idque efficacissimis & magni ponderis verbis nobis iniungit. Qui ingredientur Societatẽ & in ea viuent, animaduertant oportet, magnificiendo summiq; momenti id esse ducendo in conspectu Creatoris & Domini nostri, quantopere iuuet ac conferat ad vitæ spiritualis profectum, omnino & non ex parte, abhorrere ab omnibus, quæ mundus amat & amplectitur, & admittere & concupiscere totis viribus, quicquid Christus Dominus noster amauit & amplexus est. Quemadmodum enim mundani homines, qui ea, quæ mundi sunt, sequuntur, diligunt, & quærunt magna cum diligentia honores scilicet, famam magni nominis existimationem in terra, sicut mundus eos docet: sic qui procedunt in spiritu, & serio Christum Dominum nostrum sequuntur, amant, & ardenter exoptant, quæ iis omnino contraria sunt: indui nimirum eadem veste ac insignibus Domini sui pro ipsius amore & reuerentia; adeo vt si sine offensione vlla diuinæ Maiestatis & absque proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia & iniurias pati, ac stulti haberi ac existimari, nulla tamen ad id data per eos occasione, eo quod exoptant assimilari ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum nostrum Iesum Christum.

Cap.4. examinis§.44. & reg 11.summarii.

Hac regula breuiter habetur, quicquid dici potest de humilitate. Hoc est vere relinquere mundum, & quod ei maxime affine est, videlicet appetitum & desiderium honoris & existimationis: hoc est mũdo mortuum, & vere religiosum esse, vt sicut mundani homines honores & existimationem appetunt, & illa diligunt, nos contra appetamus contumelias & contẽptum, & de eisdem gaudeamus. Hoc est esse è Societate Iesu, & Iesu socios. Vt ei non solum nomine socii simus, sed & cõtumelia & contemptu, & eius insignibus induamur, cum ipso & pro ipso à mundo contumelia & contemptu affecti, & de iisdem pio eius amore lætantes & gaudẽtes. Tu Domine publice malus proclamatus es, & vt malefactor inter latrones suspensus, ne permitte, vt ego bonus proclamor, non n. fas, vt seruus meliore loco habeatur, quam dominus, nec discipulus quam magister. Si ergo te Domine persecuti sunt & contempserunt, persequantur & me, contemnant & contumelia afficiant, vt sic te imiter, & tuus videar discipulus & socius. *Matt.10.24.*

L.2 c.3. vitæ P.Francisci Xauerii.

Dicebat P. Franciscus Xauerius indignum sibi videri, Christianum, cui semper menti inhærere debent contumeliæ Christo Domino nostro illatæ, delectari, vt ab hominibus honore & veneratione afficiatur.



CAPVT XVI.

Humilitatis & reliquarum virtutum perfectionem in eo consistere, si quis earum actus cum delectatione & hilaritate exequatur: & quantum id faciat, vt quis in virtute perseueret.

COMMVNIS Philosophorum doctrina est, virtutis perfectionem in eo consistere si quis eius actus cum hilaritate & delectatione exequatur, dum enim agunt de signis ex quibus nosse datur, si quis virtutis habitum acquisiuerit, dicant ea esse, si quis virtutis actus faciat *prompte, faciliter & delectabiliter*. Qui artis vel scientiæ alicuius habitum acquisiuit, maxima cum promptitudine & facilitate eius actus facit. Hinc; videre est, illum, qui musicus est, & musices habitum acquisiuit, psallere maxima cum promptitudine & facilitate, nec opus se paret & cogitet, sed & non præmeditatus optime psallit: similiter ergo virtute actus operatur ille, qui eius habitum sibi parauit. Ideoque si certior esse velis, num humilitatis virtutem acquisiueris, aduerte prius nũ eius actus prompte & faciliter opereris: nam si repugnantiam vel difficultatẽ in sese offerentibus occasionibus sentis, signum est, nondũ perfecte virtutem tibi paratam esse. Et vt eos ad bonum finẽ perducas, opus tibi sit præparari & cogitari, bona via est, ad virtutis illius perfectionẽ parandam, tamen signum, te nondum illam assecutũ esse. Vt ille, qui psallat, opus habet cogitare, quo loco ille digitus, & quo alter ponendus, & memor esse regularum sibi datarum, signum & mediũ est ad discendum, certum tamen nondum se musices habitum parasse, ille enim necesse non habet his, vt perite psallat. Ideóque recte Aristoteles: *Ars perfecta non deliberat, tam sibi facilis est actus suus.* Qui perfecto alicuius artis habitum assecutus est, tam facile illi est eius actus operari, vt necesse ei non sit cogitare nec deliberare qua ratione illi operandum est, vt recte fiant. Quare philosophi dicunt ex actibus repentinis & non præmeditatis cognosci alicuius virtutem. *In repentinis secundum habitum operamur.* In iis, quæ multa cum præmeditatione fiunt virtus non agnoscitur, sed in iis quæ repente fiunt.

Signum humilitatis amor eius actuum.

Arist. 3. Ethicor. c. 3.

De hoc amplius dicunt Philosophi. Plutarchus tractans qua ratione poterit nasci quãdo quis virtutem acquisiuit, duodecim adfert signa, & vnum eorum, quod dicit positum à Zenone magno philosopho, fit per somnia. Si enim in somno dum dormis, tibi non occurrũt praui motus, nec turpes & inhonestæ imaginationes, vel si occurrant, & iis nulla ratione delectaris, sed potius affligeris, & tentationi & delectationi, quæ tibi in somno aduenit, occurris, quasi vigilares; signum est. Virtutum altas in anima tua egisse radices, & non solum voluntatem rationi subiectam, sed & sensualitatem & imaginationem. Sicut enim equi, qui essedũ trahunt, hoc in exercitio bene docti & exercitati sunt; licet essedarius dormiat & fræna laxet, ipsi tamen recta via incedunt sine errore; sic etiam dicit hic philosophus, qui virtutem perfecte adepti sunt, & iam plane animales affectus & appetitus subiugarunt, etiam dormientes viam rectam ingrediuntur. Sanctus Augustinus nos idem docet. *Domine memor es mandatorum tuorum etiam in somnis resistimus.* Tanto serui aliqui Dei virtutis affectu tenentur, & desiderio seruãdi Dei mandata, & vitia fugiendi, tamque sunt assueti vigilantes tentationibus resistere, vt etiam in somno resistant.

Duodecim signa acquisitæ virtutis. Plutarchus de profectu morum.

Aug. l. 12. super Genesin ad litteram c. 15.

In vita Patris Francisci Xauerii legitur, tanta vi vsum fuisse in quadam nocturna tentatione seu illusione, vt multum sanguinis emitteret. Aliqui sententiam hanc Sancti Pauli: *Siue vigilemus siue dormiamus, simul cum illo viuamus*;

B. Xauerius in somno tentationi resistit. L. 6. c. 6. vita P. Francisci Xauerii Ad Thes. 5. 10.

mus; sic exponunt vt dicam illud non solum dicere, vt morientes & viuentes semper cum Christo viuamus: quæ est communis expositio; sed feruentibus Dei seruis cum Christo viuendum, non solum vigilando, sed & dormiendo & somniando.

Signum adeptæ virtutis gaudium cõtemptus.

Præterea dicunt Philosophi tertiam conditionem vel signum esse quo noscitur, num quis perfecte virtutem parauerit, quando *delectabiliter* actus virtutis operatur. Hoc maximũ signum est, in quo virtutis perfectio sita est. Si ergo scire velis, num humilitatis perfectionem adeptus sis, regulam præcedentis capitis examina, num tam de contumelia & despectu gaudeas, quam mundani de honore & existimatione.

Præterquam quod hoc ad omnis virtutis perfectionem sit necessarium; aliud in eo est quod essentiale est, & plurimum facit, vt quis in virtute duret & perseueret. Quamdiu enim virtutum opera à nobis cum delectatione & iucunditate non fient; difficile fuerit in virtute perseuerare. Sanctus Dorotheus dicit hanc antiquorum patrum fuisse doctrinam: *Solebant patres & maiores nostri firmiter asserere, quidquid animus alacriter non admittit, diuturnum esse non posse.* Posset fieri, vt aliquo tempore silentium obserues, & viuas in modestia & solitudine: tamen donec hoc ex ipsis præcordiis oriatur, & bona consuetudine tibi vt naturale fiat, indeque id cum suauitate quadam facias, non diu in eo perseuerabis, erit enim vt suppositum & violentum quid & *nullum violentum est perpetuum.* Hinc magni momenti est, nos virtutum actionibus exerceri, donec plane virtute imbuamur, & illa in corde radices agat, vt illa ex se prouenire, & nobis ingenita esse videatur, quo sic virtutis actus à nobis in praxin cum iucunditate & delectatione deducantur. Hac enim ratione securi & certi esse poterimus nos in ea perseueraturos & duraturos. Hoc illud Prophetæ dictum est: *Sed in lege Domini voluntas eius*, Psalmo 1. versiculo 2. Alia versio dicit: *Sed in lege Domini voluptas eius.* Beatus vir, cuius omnis voluptas, iucunditas & recreatio est in lege Domini hæc eius deliciæ & recreationes sunt, hic enim bonorum operum fructum dabit, vt lignum plantatum secus decursus aquarum.

Diuturnum nihil nisi quod libenter agis. Doroth. serm. 10.

CAPVT XVII.

Planius declaratur perfectio, nobis procuranda, vt secundum hunc humilitatis gradum ascendamus.

Climachus c. 45. de humilitate.

SANCTVS Ioannes Climachus aliud punctum superiori addit, & dicit quemadmodum superbi tanti faciunt honorem & existimationem, vt sæpe fingant & hominibus persuadere conentur se habere quod non habent, quo plus ab iis honorentur & existimentur, qualia sunt maior nobilitas, ampliores diuitiæ, plures habilitates vel gratiæ, quam habẽt; sic etiam profundissimam esse humilitatem, vt quis ad tantum perueniat desiderium contemptus & abiectionis, vt ad eo potiendam fingat & persuadeat aliis se iis vitiis infectum, quibus caret, vt sic minoris fiat. Huius exemplum (dicit) habemus in patre illo Simeone, qui intelligens præfectum prouinciæ venire ad illum visendum, vt hominẽ celebrem & sanctum; in manu sumpsit casei & panis frustum, & ad cellæ ostium sedens, cœpit vt fatuus comedere: quod profectus videns illum spreuit. Quod illi valde arrisit, hoc ipse enim assecutus est, quod volebat. De aliis Sanctis similia exempla suppeditant historiæ, vt de S. Francisco, qui lutum pedibus calcabat, vt honorem & venerationem fugeret, qua illum afficere volebant: & de fratre Iunipero, qui eodem fine pueriles lusus cũ pueris ludebat. Sancti hi considerabant, mundum filium Dei despexisse, qui est summum & infinitum bonũ, & videntes mun-

Vera humilitas vitiis falso sibi obiectis gaudet.

S. Simeon fatuum se simulat.

S. Franciscus & Iuniperii contemptũ quærunt. 6. p. l. 1. c. 73. Chron. S. Francisci.

mundum tam mendacem & falsum esse & deceptum, quod tam claram lucem, vt erat Dei filius, non videret, & non honoraret, qui erat verissimus honos; tanto mundum & eius existimationem odio prosecuti sunt, & id reiiciāt, quod mūdus recipit, & id recipiant & ament, quod mundus odit & spernit; ideoq; summa diligētia fugiūt ab eo honorari & magni fieri, qui Deum & Dominum suum contempsit, & pro euidenti signo habēt se à Christo amari si cum illo & pro illo à mundo contemnantur. Hæcq; causa est, ob quam Sancti tam opprobriis, cōtumeliis & mūdi dedecore delectarentur, & omnē mouerent lapidem, vt hunc contemptum assequerentur. Verum quidem est (dicit S. Ioan. Climachus) multa horum S. Spiritus instinctu facta fuisse, ideoq; potius admiranda quam imitanda sunt. Quamuis tamen eo quod perueniamus, vt sanctas illas stultitias opere non perficiamus, tamē illi amore nobis imitandi sunt & desiderio, quod habebant, vt despectui & risui haberentur.

Quem ridet mundus hunc amat Deus.

Diadoc. l. de perf. spi. c. 95.

S. Diadocus vltra progreditur, & dicit duo esse humilitatis genera, *vnum mediocrium, alterum perfectiorum.* Prior mediocrium humilitas est, qui proficiant, tamen adhuc in pugna sunt, & impugnantur à cogitationibus superbiæ & malorum motuum, quamuis Dei gratia conentur illis resistere, & repellere se humiliando & confundendo. Altera humilitas perfectorum est, fitque dum Dominus tantam lucis, tantam & sui cognitionem alicui largitur, vt videatur sibi non se posse superbire, nec illi cogitationes superbiæ & elationis posse aduenire. *Tunc anima velut naturalem habet humilitatem*: & quamuis magna faciat, tamen ideo non se extollit, sed se tanquam omnium minimum reputat. Hocque inter duo hæc humilitatis genera discrimen est, quod prius cum aliquo dolore & tristitia vulgariter coniuncta est, vt qui de seipsis perfecta non sunt potiti victoria, sed adhuc in se aliquam contradictionem sentiunt, hæcq; tristitiæ & doloris causa est, dum humiliationis & contemptus sese offert occasio, & quod facit vt cum lætitia nō ferat, quamuis cum patiētia fiat: intus enim aliquid sentit, quod resistat, eo quod plena de passionibus non sit potitus victoria.

Perfecte humiles non amplius turbantur.

Posterior vero humilitas dolorem & tristitiam adiunctā non habet, sed potius magnam lætitiam, modo hac cum confusione & verecundia ante Deum compareat, & cum hoc sui ipsius contemptu: vt qui resistentiam non inuenit, quod iam passiones & vitia contraria superarit & vicerit, & perfecta de se potitus sit victoria.

Hincque fit (dicit idem Sanctus) quod, qui priorem humilitatem habent, turbētur, & aduersis & prosperis huius vitæ casibus mutētur: qui vero posteriorē habēt, nec aduersis turbantur, nec prosperis extolluntur, aut vane sibi placēt, sed semper in vno statu permanent, & magna pace & tranquillitate fruuntur, vt qui ad perfectionem peruenerunt, & omnibus casibus superiores sunt. Nihil in mundo reperire est, quod eum, qui cupit parui fieri, & eo lætatur, possit turbare, vel dolorem adferre: Si enim id, quod cum dolore vel tristitia afficere poterat, videlicet quod nulla eius fiat mentio, & contemnatur, ab eo desideretur, & ipsi voluptati & delectationi est; quid illum turbare, vel dolorem adferre poterit? si in eo, in quo homines ipsum bello lacessere posse videbātur, ipse multam pacem reperit; nihil illum pace exuere poterit. Ideoque ait Sanctus Ioannes Chrysostomus, huiusmodi in terra paradisum & beatitudinem adeptum esse. *Anima autem, quæ sic se habet, quid potest esse beatius? quicunq; talis est, is in portu continuo sedet ab omni tempestate liber, & oblectatur in serenitate cogitationum.*

Chrys. ho. 9. super Genesin. Vere humilis beatus in hac vita.

Nobis ergo enitendum, vt ad eiusmodi humilitatis perfectionem perueniamus, nec nobis id fieri non posse videatur, Dei enim gratia (ait Sanctus Augustinus) possumus non solum Sanctos, sed & Sanctorum Dominum, si velimus, imitari, cum ille

Aug. ser. 47. de sanctis.

ille idem Dominus dicat, vt ab ipso discamus: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Et S. Petrus ait: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* S. Hieronymus in verba illa Christi: *Si vis perfectus esse*, dicit, ex his verbis liquido colligi, in manu nostra esse, vt perfecti simus, quandoquidem Christus dicit: *Si vis. Quia si dixeris: vires non suppetunt; qui inspector est cordis, ipse intelligit*, & tamen dicit: poteris, si velis, ipse enim paratus est nos iuuare, si velimus, & eius auxilio omnia poterimus. Iacob scalam videbat (ait idem Sanctus) pertingentem à terra in cœlum vsque, & Angelos ascendentes & descendentes, & superius in summitate scalæ omnipotẽtem Deum sedentem, vt manum ascendentibus porrigeret, & animum adderet ad ascensus laborem sua præsentia. Conare ergo tu hanc scalam & dictos gradus ascendere, & ipse tibi manũ porriget, vt ad vltimum vsque gradum peruenias. Nauiganti de longe portus altus apparet, & videtur fieri non posse, vt illum intret: sed dum vicinior est, videtque viam stratam, facilis valde videtur illi ingressus.

Matt. 11.29.
1. Pet. 2.21.
Hieronymus.
Matt. 19.21.

Capvt XVIII.

De quibusdam mediis ad secundum hunc humilitatis gradum parandum, & præcipue exemplo Christi.

Dvo mediorum genera solent vulgo assignari ad parandas virtutes morales: alterum est rationum & causarum, quæ nos conuincunt, & ad id animum addunt: alterum exercitium & vsus illius virtutis actuum, quibus habitus parantur. Vt à priore genere ordiamur, præcipua & efficacissima inter omnes alias considerationes, quæ nobis auxilio possit esse, vt humiles euadamus, est Christi Saluatoris & Magistri nostri exemplum: de quo quamuis aliquid dictum sit, tamen semper restat dicendum. Tota Christi vita perfectissimũ fuit humilitatis exemplum, ab eo tempore, quo natus est, vsque dum spiritum in cruce emitteret. Sed S. Augustinus præcipue hic ponderat exemplum, quod dedit lauando discipulorum pedes die cœnæ, iam morti & passioni ꝓximus. Christus non fuit contentus (ait S. Augustinus) totius vitæ preteritæ exemplis, nec illis, quæ statim in passione iam instante erat exhibiturus, in qua, teste Esaia, apparere debebat postremus virorum, &, teste Regio Propheta, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Sed *sciens Iesus, quia venit hora eius, vt trãseat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, quod in fine vitæ monstrare voluit, & absoluta cœna, surgit à mensa, & vestibus exutis, linteo se præcinxit, & misit aquam in peluim, & procubuit ante pedes discipulorum & Iudæ, & incipit illos manibus diuinis lauare, & linteo extergere, quo erat præcinctus. O magnum mysterium! Quid hoc Domine? quid agis? *Domine mihi tu lauas pedes?* dicebat S. Petrus Apostolus. Discipuli non intelligebãt, quid faceret. *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea*, respondit Dominus. Postea iterum mensæ accubuit, & exposuit ipsis mysterium, quod hic bene conuenit: *Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis; sum etenim: si ergo ego laui pedes vestros, Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Hoc mysterium est, vt discatis vos humiliare, vt ego me humiliam. Et ex vna parte tantum est humilitatis pondus, & ex altera tanta difficultas in ea sita, vt tot exemplis contentus non esset, quot ante dederat, & iam parabat dare: sed quia nostra illi fragilitas explorata erat, & cordis nostri venam pertentauerat, & peccantis humoris infirmitatis nostræ malignitatem explorauerat, tantam hic diligentiam adhibuit, & inter testamenti sui legata, tanquam vltimam voluntatem hoc descripserit, vt tenacius cordibus nostris inhæreret.

In illa Christi verba: *Discite à me, quia mitis*

Vita Christi exemplum humilitatis.
August. l. de sancta virginitate.
Esa. 53.3.
Psal. 21.7.
Ioan. 13.1.

August. li. de sancta virgi. c. 34.
Matt. 11. 29.

mitis sum & humilis corde, exclamat S. Augustinus: *O doctrinam salutarem! O Magistrum Dominumque mortalium, quibus mors poculo superbiæ propinata atque transfusa est, quid vt discamus à te, venimus ad te!* quod mitis sis & humilis corde, hoc vobis à me discendum est. *Huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi in te, vt pro magno discamus à te, quoniam mitis es & humilis corde? Itane magnum est esse paruum, vt nisi à te, qui tam magnus es, fieret, disci omnino non posset?* Imo, tam magnum est (ait sanctus Augustinus) & difficile se humiliare, & paruum facere, si Deus ipse se non humiliasset, & paruum fecisset, non possent homines eo adduci, vt se humiliarent. Nihil enim tam altas in præcordijs egit radices, nec tam firmiter menti inhæsit, vt appetitus ille honoris & existimationis, ideoque totum hoc necesse erat, vt simus humiles. Talem medicinam superbiæ nostræ morbus requirebat; & si hac medicina, quod Deus homo factus sit, & tam se pro nobis humiliauerit, superbiæ nostræ non medetur, nescio (dicit sanctus Augustinus) qua medicina sanabitur. *Hæc medicina si superbiam non curat, quid eam curet nescio.* Si non sufficiat Dominum Maiestatis videre tam abiectum & humiliatum, vt nos erubescamus desiderare honorem & existimationem, & velimus cum illo & pro illo contempti & abiecti esse; nescio quid sufficere possit. Ideoque Abbas Guerricus in admirationem raptus, & conuictus tanto humilitatis exemplo, exclamat, & dicit æquum esse, vt dicamus, & hinc eliciamus: *Vicisti Domine, vicisti superbiam meam, ecce do manus in vincula tua, accipe seruum sempiternum.*

Humilis est magnus coram Deo & mundo.

Superbiam humilitas Christi confundit.

Abbas Guerricus.

Bern. serm. 1. de aduentu.

Etiam mirabilis in hoc proposito est illa S. Bernardi cogitatio: Videbat (inquit) Filius Dei duas nobiles, generosas, & felicitatis, ad quam à Deo erant creatæ, capaces naturas se perdere, quod Deo similes esse vellent. Deus Angelos creabat, & statim Lucifer Deo similis esse volebat. *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis, adscendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Et multos secum traxit, & Deus statim illos in infernum deturbauit, & ex Angelis Diaboli facti sunt. *Veruntamen ad infernum detraheris, ad profundum laci.* Creabat Deus hominem, & statim illum Diabolus sua lepra & veneno infecit: *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* Gula correpti sunt, eo quod dixerit, eos quasi Deos fore, & præceptum transgressi similes Diabolis facti sunt.

Esa 14. 13.

Gen. 3. 5.

4. Reg. 5. 27.

Dixit Propheta Elizeus famulo suo Giezi, postquam dona à Naaman leproso acceperat, quod quia bona Naaman haberet, etiam eius lepra eum inuaderet, & omnes eius posteros in æternum. Hoc Dei iudicium cōtra hominem fuit, posteaquam Luciferi bona, quę erat superbia, concupiuit, vt etiam eius lepram, quæ erat eiusdem pœna, sentiret. Ideoque hic videre est hominem perditum & Diabolo æquiparatum, eo quod Deo similis esse vellet. Quid ergo Filium Dei agere fas erit, dum videt æternum Patrem tanto honoris sui zelo motum, vt dicat: *Ecce occasione mei creaturas suas Pater amittit*, Angeli mei similes esse volebant, & se perdiderunt; similiter & homo se mihi comparauit, & perditus est; tanta mei æmulatione tenentur, & mei similes esse volunt: *Ecce venio, & talem eis exhibeo me ipsum, vt quisquis videre voluerit, quisquis gestierit imitari, fiat ei ista æmulatio in bonum.* Ideo Dei Filius in terram descendit, & homo factus est. Benedicta, exaltata, & glorificata tanta sit bonitas & misericordia, qua Deus se conformauit tantæ cupidini, quæ nobis erat Deo similes esse, & iam non falso & mendaciter, vt Diabolus dicebat, sed vere, non superbe & inique, sed magna humilitate & sanctitate Deo similes esse possumus.

Superbia angelorum & hominum Deo similis esse voluit.

Filius Dei de cœlo descendit, vt homo ei fiat similis.

Esa. 9. 6.
Bern. hom. 3. super Missus est.

In verba illa: *Paruulus natus est nobis*, dicit idem Sanctus: *Studeamus effici sicut iste paruulus, discamus ab eo, quia mitis est,*

&

& humilis corde, ne magnus Deus sine causa factus sit homo paruulus. Studeamus nos humiliare, & paruuli fieri, ne sine fructu Deus puer & paruulus pro nobis factus sit. *Quia nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum.*

CAPVT XIX.

De quibusdam humanis rationibus & considerationibus nobis seruientibus ad promouendam humilitatem.

AB initio huius tractatus multas rationes & considerationes in medium attulimus, quę ad virtutem hanc humilitatem nobis auxilio esse & ad eandem capessendam nobis animum addere poterant, vt dum diximus eandē esse omnium aliarum virtutum radicē, fundamentum, & compendium ad easdem parandas, & medium ad conseruandas, & si hanc habuerimus, reliquas & haberemus: & alias similes animaduersiones. Ne tamen videatur, nos solummodo omnia à spiritu deducere velle; expediet & in medium adferre aliquot humanas rationes & considerationes, quæ magis naturæ & fragilitati conueniunt, vt sic non tantum medio spiritus & perfectio, nos, sed & propria nostra & naturali ratione animū sumamus, & magis inclinemur ad honores spernendos, & mundi existimationē vilipendendā, & humilitatis via progrediendum. Omnia ad tam difficile & arduum negotium necessaria sunt, ideoque valde expedit omnes hic neruos intendere.

Ratio humilitatem promouens, æstimatio rerum turpitudo. Sit ergo primum, vt multo præuio examine & nullo moræ tædio fracti inquiramus, quam turpe quid sit hæc opinio & existimatio hominum, quæ tam nos oppugnat, & tantum negotij mouet, inspiciamus paulisper eius pondus & momentum, vt sic tandem eandem pro ea habeamus, quæ est, animemurque, vt eam despiciamus, nec ea tam dolose nobiscum agat, vt hactenus egit.

Recte sane dixit Seneca, multa esse, quæ magna iudicamus, non quod huiusmodi sint; sed quod tanta nostra sit vilitas & paruitas, vt paruum magnum nobis appareat. Ad quod docendum reducit ponderis exemplum, quod formicæ ferunt, quod proportione corporis earundem valde magnum videtur, cum tamen in se perexiguum sit. Idem in hominum honore & existimatione contingit. *Seneca. Natura paruitas, quod paruum est, æstimat magnum.*

Quæro à te, num melior sis, quod alij, qui te magnifaciunt? vel deterior, quod te flocci pendant? non sane. Optime ait S. Augustinus: *Nec malam conscientiam sanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat conuitiantis opprobrium. Senti de Augustino quidquid lubet, sola me in oculis Dei cōscientia non accuset.* Hoc est, quod pondus rei dat, alia omnia vanitas, nihil enim dant vel tollunt. Idque est, quod Sanctus quidam ait: Quid homini accedit, si ab alio laudetur? quantus quisque est in oculis Dei, tantus est, & non plus, dicebat humilis S. Franciscus: vel vt rectius dicatur S. Paulus: *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* *Laus nec meliorem, nec maiorem facit. Aug. l.3. contra epi. Polit. Donatistæ. Aug. l. vnico cōtra Secundum Manich. c.1. Th. de Kemp. 2. Cor. 10. 18.*

Ad hanc rem insignem adfert Diuus Augustinus similitudinem: *Est enim superbia non magnitudo, sed tumor: quod autem tumet, videtur magnum, sed non est sanum.* Vt enim res tumida videtur magna, cum tamen non sit, sic & superbi, qui ab hominibus æstimantur & magnifiunt, magni quidem videntur, sed tamen non sunt, non enim magnitudo hæc est, sed tumor. Sunt aliqui conualescentes & valetudinarij, qui pingues & sani videntur, sed hæc non vera pinguedo, sed falsa, infirmitas & tumor est. Huiusmodi etiam est (dicit sanctus Augustinus) applausus & mundi existimatio, qui te inflare, non magnum reddere valet. Si ergo ita se res habet (vt reipsa se habet) hominum opinionem & existimationem non esse magnitudinem, sed ægritudinem & tumorem; cur vt chamæleontes ore patulo ventos capta- *Superbia humori corporis similis. Aug. ser. 16. de tempore.*

mus, vt ijs inflemur, & morbum accersamus? præstat sanum esse, quamuis æger appareat, quam ægrum esse, & sanum apparere: sic & præstat esse bonum, quamuis malus habeatur, quam malum esse, & bonum haberi. Quid enim proderit virtute præditum & spiritualem te haberi, si non sis? In verba hæc: *Et laudent eam in portis eius opera eius*, dicit S. Hieronymus. Non vanæ hominum laudes, sed bona tua opera te laudare debent, & adiuuare, dum in iudicio coram Deo apparendum tibi est.

Prou. 31. 31. *Hieronymus.*

Refert S. Gregorius, in quodam Iconię monasterio fuisse quendam monachum, qui ab omnibus sanctus, & specialiter valde abstinens & austerus habebatur, qui morti vicinus omnes monachos ad se vocauit, qui sperantes aliquid, quod ad ædificationem faceret, se ab eo audituros, lætati sunt. Verum ille tremens & valde anxius coactus fuit illis interiorem animæ suæ statum exponere, & dicebat se damnatum, eo quod omnis sua vita hypocrisis fuisset, dum enim credebant illum ieiunare & abstinere, ipse clam edebat, dum nullus videret. Ideoque (ait) nunc terribili draconi traditus sum, qui cauda pedes meos circumdedit & ligauit, & caput suum in os meum immisit, vt animam meam extrahat, & secum in infernum portet: hocque dicens, multo omnium cum horrore expirauit. Quid misero illi profuit, sanctum habitum fuisse?

Greg. lib. 4. dial. c. 38. *Hypocrita damnatur.*

S. Athanasius superbos, qui honores captant, pueris comparat, qui papiliones venantur: ab alijs araneis æquiparantur, qui viscera sua egerunt telas texendo, ad muscas capiendas, secundum illud Esaię: *Telas araneæ texuerunt*: sic & superbus viscera egerit, & præcordia eructat, vt paululum honoris mundani consequatur.

Athan. de similitud. c. 27. *Superbus araneis similis.* *Esa. 59. 5.*

Legitur de S. Francisco Xauerio, quod singulari odio & horrore hanc mundi opinionem & existimationem prosecutus sit, quod multi mali causam & boni impedimentum esse diceret: ideoque sæpe auditus fuit dixisse multo cum gemitu & suspirio: O hominum opinio & existimatio, quantum mali fecisti, facis, & facies!

L. 6. c. 1. vitæ P. Francisci Xauerij.

CAPVT XX.

De alijs humanis rationibus vtilibus ad parandam humilitatem.

SANCTVS Chrysostomus in illa sancti Pauli verba: *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*, valde ad rem probat, superbum & arrogãtem non tantum esse malum & peccatorem, sed & stultum, ad quod demonstrandum adducit illud Esaię: *Stultus enim fatua loquitur:* per quæ intelliges illũ fatuum esse. Quid dixit omnium superborum primus Lucifer? *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Quid stultius, & mage præsumptuosum? Et capite 10. allegat quædam Regis Assyriorum arrogantia & fatua verba, quibus se iactabat potenti sua manu omnes terræ Reges subactos: *Et inuenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum, & sicut colliguntur oua, quæ derelicta sunt, sic vniuersam terram ego congregaui, & non fuit, qui moueret pennam, & aperiret os, & ganniret.* Quæ maior fatuitas esse potest? ait S. Chrysostomus, qui eodem loco multa superborum verba allegat, quibus fatuitatem aperuit, sic, vt si verba eorum audis, discernere nequeas, num superborum, num vere stultorum verba sint, tam stulta & absurda sunt. Eodem & modo hic videre est, vt enim stulti fatuis dictis & factis suis nobis risum mouent, sic & superbi ridendi ansam præbent verbis arrogantibus, quæ eorum laudibus seruiunt, & Thrasonico ingressu & gestu, quo se conspiciendos dant, & existimatione, quam volunt de se haberi, & de se ipsi habent. Additque S. Chrysostomus, peiorem superbi esse stultitiam, & vituperatione & nota maiore dignam, quam natu-

Chrys. ho. 20. super epist. ad Rom. 12. 3. *Superbus est stultus.* *Esa. 32. 6.* *Esa. 10. 14.* *Superbia stultitia est maior quam naturalis.* *Chrys. ho. 29. ad pop. Antiochen. to. 5.*

naturalem, quod hæc nec culpæ nec peccato vlli obnoxia sit, illa vero sit. Ex quo aliud inter duas has stultitias discrimen oritur, quod naturalis compassionem pariat, & eius miseriæ condolere cogat: superborum vero stultitia nec compassionem nec condolentiam moueat, sed potius risum & contemptum.

Superbos vti stultos tractamus.

Sic vt superbi stulti sint, & cum ijs vt talibus agamus, vt enim in stulti sentētiam vadis, vt pacem cum illo habeas, quamuis ita res se non habeat, nec cum eo sentias, nec ei vis contradicere, eo quod stultus sit; eodem modo superbos tractamus. Hodieque tam in mundo hic humor & stultitia viget, vt vix hominibus loqui liceat, nisi adulando, & de illis dicendo, quod vere se ita non habet, nec sentis. Tam enim delectantur homines scire, quod sua placent, & bona videntur, vt ad ei satisfaciendum nullum aptius sit medium, quam illum laudare. Hæcque vna vanitatum earum est, quas Sapiens dixit se in mundo vidisse: malos laudari, quasi bonos, eo quod exaltati essent: *Vidi impiôs sepultos, qui etiam cum adhuc viuerent, in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate quasi iustorum operum, sed & hoc vanitas est.* Quæ maior vanitas & stultitia esse potest, q̄ homines te laudare, & tamen ita nō sentire, & te ab illis sæpius laudari ob male gesta, quæq; ipsis talia videbantur, & irrisio hæc est, quod alijs ante dixerunt suam de eo sententiam, sed ipsis curæ non est, quî tibi faciant satis, mentiri, laudare, & illum extollere, de quo male opinantur, tibique assentiri, quod te pro stulto habeant. Animaduertit quis te huius conditionis esse, & gaudere hoc modo haberi, & gratissimum quod tibi accidere posset, postquam concionatus sis, vel quid simile egeris, esse, vt dicas, probe te munere tuo functum, & omnibus satisfactum esse, ideoque sic tecum agit, vt tibi faciat satis, & amicitiam tuam sibi conciliet, quod tui forsitan indigeat. Quod ad aliud non facit, quam vt te stultiorem reddat, de malo enim, quod fecisti vel dixisti, te laudat, & in eo confirmat, vt alias idem facias. Non audent hodie homines sententiam suam aperire, sciunt enim, quod *Veritas odium parit*, & vt stultus & phreneticus medicinas aduersatur, & medicum conspuit, qui illum sanare conatur; sic & superbus monitioni & reprehēsioni resistit. Hocq; causæ est, quod homines nolint alteri dicere, quod ipsum male habet, nullus enim suis expensis inquietem sibi parat, sed potius ipsi persuadet, sibi bonum videri, quod malum tamen videtur, & alter tam sibi placet, vt credat. Vnde facile videre erit, quod superiore capite dictum, quanta vanitas & stultitia sit, magni facere hominum laudes, cum sciamus illas nihil aliud esse, quam simulationem, dolum, assentationem & mendacium.

Vanitas est laus superborum.
Eccles. 8. 10.
Laudantur superbi, vt stulti videantur.
Veritas odium parit.

Superbus exosus omnibus.
Chrysostom.
Prou. 16. 5.

Præterea superbi (dicit S. Chrysostomus) sunt omnibus exosi. Inprimis Deo: dicit enim Sapiens: *Abominatio Domini est omnis arrogans:* & inter septem illa Deo exosa primo loco ponit superbiam, *Oculos sublimes.* Et non solum Deo, sed & hominibus exosi sunt: *Odibilis coram Deo est & hominibus superbia: Et sicut eructant corda fœtentiū, sic & cor superborum.* Vt enim quibus hepar & partes interiores corrumpuntur, ingratum de se dant odorem, vt nullus ipsis adesse possit, tales sunt & superbi. Mundus huiusmodi hic lege talionis punit, eodem enim quo ipsi honorem aucupabantur, & volebant magni haberi, stulti & fatui habentur. Volunt ab omnibus diligi, & contrarium euenit, ab omnibus siquidem superbus odio habetur: à magnis, quod ipsis æqualis esse velit; ab æqualibus, quod ipsis præponi velit; à minoribus, quod ab ijs plus, quam ratio requirat, exigat: imo serui ipsi malum de domino dicunt, dum superbus est, & illum perferre nequeunt: *Vbi erit superbia, ibi erit & contumelia.* Contra vero humilis honoratur, æstimatur, & amatur ab omnibus. Vt enim pueri propter bonitatem, innocentiam & simplicitatem valde amabiles sunt; sic, teste S. Gregorio, & humiles. Simplicitas enim illa & sinceritas in verbis & modo agendi sine simulatione

Prou. 6. 17.
Eccl. 10. 7.
Eccl. 11. 31.
Superbus lege talionis ridetur.
Prou. 11. 2.
Greg. lib. 7. mor. c. 23.

tione & duplicitate corda allicit. Lapis Magnes est humilitas, quæ corda ad se trahit, videntur omnes humilem in visceribus condere velle.

Humilitas sapientia, superbia stultitia.

Vt tandem aliquando finiamus, & ostendamus, stultitiam esse hominum laudes, & existimationem venari, facit hic S. Bernardus dilemma, seu cornutum argumentum, quo concludit: Vel fuit stultitia, quod Dei Filius tam se demiserit & abiecerit, & elegerit contemptus & vituperia; vel magna est nostra stultitia, quod tam honores & existimationem ab hominibus aucupemur: non illud Dei Filij factum stultitia fuit, nec esse potuit, quamuis mundo ita visum fuerit, vt dicit S. Paulus: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* Cœcis & superbis Gentibus Christi factum stultitia videtur, nobis vero fidei luce illuminatis summa videtur sapiētia & infinitus amor. Si ergo illud fuit summa sapientia, nostrum sane factum stultitia esse debet, & nos stulti sumus, tanti honores & mundi existimationem facientes.

1. Cor. 1. 23.

Capvt XXI.

Vt quis ab hominibus existimetur, & magnifiat, certissimam viam esse, se virtuti & humilitati dare.

SI omnia dicta non sufficiant, vt fugias fumos & honoris desideria, & existimationis; sed dicis magnum esse, si apud homines in magno sit quis honore & opinione, & cum Poeta dicas: Pulchrum esse digito monstrari & dicier hic est, & quod plurimum ad ædificationem & alia faciat, & quod Sapiens moneat, vt curemus, ne hoc perdamus: *Curam habe de bono nomine*; assentior quidem, & concedo, vt bonum nomen tueare, quod habes, & vt magni ab hominibus fias, tamen hoc affirmo, te multum in modo illud assequendi, quodque tibi proponis, errare, nunquam enim quod desideras, hac ratione assequeris, sed potius contrarium. Certa enim & secura via, per quam sine dubio & periculo ad hominum existimationem peruenitur (dicit S. Chrysostom.) est virtus & humilitas. Stude valde bonus esse religiosus, & omnium minimus & humillimus, & eiusmodi in modo tuo agendi, & offerentibus sese occasionibus videri; & sic magni fies & æstimaberis ab omnibus. Hic horror Religiosi est, qui seculū deseruit, cui gratiores in manu sunt scopæ, & in corpore vilis vestitus, & humile & abiectum officium, quam nobili equus & arma: & contra illi magnum est dedecus & ignominia, velle existimari & magnifieri ab hominibus: vt magno illi vitio verteretur, si religione deserta ad seculum rediret, & iure ab hominibus rideretur. *Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Sic est velle & desiderare ab hominibus magnifieri & existimari, hoc enim est animo ad sæculum redire, cum hoc sit, quod plurimi in mundo fiat, & quod fugisti & deseruisti, dum te religioni dares.

Eccl. 41. 15.

Humilitas sola vere reddit laudabiles.

Chrys. ho. 29. ad populum.

Desertor Ordinis male audit.

Luc. 14. 30.

Num manifeste & clare videre desideras, quam indecorum & ignominiosum sit ei, qui perfectionem profitetur, honores & hominum existimationem venari; fac desiderium hoc lucem videat, vt alij videant te id studere, profecto statim aduertes, quam tibi id indecorum & inhonestum sit, alios id intelligere. Habemus huius in Euangelio insigne exemplum.

Narrant Euangelistæ, Apostolos quadam vice cum Christo Seruatore nostro profectos fuisse, aliquantulum tamen ab eo semotos, vt putarent se ab eo audiri non posse, & disputabant, & inter se contendebant: *Quis eorum videretur esse maior?* dumque Capharnaum venissent, quærebat ab ijs Christus, quid fuisset, de quo in via egissent? Refert Euangelium, illos ita erubuisse, quod contentionem & ambitionem suam in lucem venisse aduerterent, vt nec verbum quidem proferre

Luc. 22. 24.

Confunduntur discipuli de primatu disputantes.

Marc. 9.32. ferre possent: *At illi tacebant, siquidem in via inter se disputauerant, quis eorum maior esset.* Ex quo Saluator mundi occasione captata dicebat illis: Discipuli mei inter mundanos, & eos qui leges sequuntur, & qui dominantur & mandant, magnifici vocantur: *Vos autem non sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator:* nam in schola mea contrarium fit, & maior minor esse debet, & omnibus seruire. *Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus, & omnium minister.*

Humilitas sola vere reddit laudabiles. Chrys. ho. 29. ad populum.

Desertor Ordinis male audit.

In Dei domo & Religione se humiliare & abiectum esse, magnum est esse. & si quis se omnium minimum facit, illum magnifieri & æstimari facit pluris, quam alios. Hic in Religione honos est, alter ille, quem tu ambis, non honor, sed dedecus est, & eo quo te magnifieri autumas, vilipenderis & contemneris ab omnibus, omnes enim te pro superbo habent, quæ abiectio omnium maxima. In nulla plus damni incurres, nisi si sciatur te optare, vt ab hominibus extollaris, & plurimi ducaris, & quod parua attendas, & minuta tibi cordi sint.

Luc. 14.30.

Climac. c. de vana gloria. Ideoque recte aiebat sanctus Ioannes Climacus, vanam gloriam sæpius suis ignominiæ causam fuisse, quod in quædam illos incidere fecit, quibus vanitate eorum & ambitione manifestata, magnam sibi vituperationem & confusionem pararent. Non aduertit superbus, quod in dictis & factis, quibus æstimari vult, inordinata superbiæ cupiditas aperiatur, sicque vnde ipse existimationem venabatur, dedecus & ruborem consequitur. Atque sanctus Bonauentura sic hominem lumine orbare, vt dum maiore superbia tumet, minus se cognoscat, & ideo lumine cassus facit & dicit superbus huiusmodi, quæ etiam nec Dei, nec virtutis habita ratione, sed solum honoris & existimationis, quam ambit, nullo modo faceret, nec diceret. Quoties accidit, quam dolere & queri, sui in aliquo non habitam rationem, vel alium sibi præpositum, sibique persuadere, id ad se pertinere, & sibi iniuriam factam, & sibi id vitio & ignominiæ verti, aliosque id dedecus suum & contemptum accepturos. Hocque colore & titulo cordis amaritudinem & cupiditatem prodit, hocque ipso contemptum sibi parit: nam superbus habetur, & qui honores venatur; quod in Religione valde execrabile. Si vero in huiusmodi negotio dissimulasset, nec se ingessisset, sed superioribus liberum de eo statuendi arbitrium reliquisset, magnum sibi honorem acquisiuisset, & valde ab omnibus fuisset æstimatus.

Ambitio confusionis causa sæpius extitit.

Bonau. l. 1. de profect. relig. c. 9.

Luc. 22.24. Confunduntur discipuli de primatu disputantes.

Humilitas ad honores via. Vnde liquido apparet, quod quantumuis via spirituali non fieret, sed prudentiæ lege & recto iudicio imo & mundi lege, certam & veram ad gloriam & existimationem & hominum amorem & beneuolentiam viam esse, vere virtuti studere & humilitati.

Agesilaus. Hinc & Agesilaus, Lacedæmoniorum Rex, & inter eos sapiens habitus à Socrate rogatus quid faceret, vt omnes bonam de eo opinionem & sensum haberent; respondit: *Si talis esse studeas, qualis haberi vis.* Alias idem rogatus, respondit: *Si loquaris, quæ sunt optima, & facias, quæ sunt honestissima.* De alio Philosopho refertur, quod magnum habuerit amicum, qui de eo semper, omnique oblata occasione multum boni referebat, quique quadam vice docebat, multum Philosophum illi debere, quod vndique virtutes eius prædicaret & laudaret. Respondit Philosophus: Quod debeo, viuendo soluo, vt nunquam in nullo, quod de me dicis mentiaris.

Pindarus.

Non hæc ideo dicuntur, vt nos ideo virtuti & humilitati applicaremus; quo ab hominib. magnifiamus & æstimemur, hæc.n. supbia & magnus abusus esset. Hoc solū dicimus, si vere, sincere & ex animo studes humilis esse, te magni ab omnibus ducendum, quamuis id tu non optes, sed quo plus honorem & existimationem fugies, & contemni desiderabis; tanto ille te plus sequetur, est enim vt vmbra, quæ corpus sequitur. Sanctus Hieronymus de

Hieronymus. S. Paula loquens, ait: *Fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quæ virtutē quasi vmbra sequitur, & appetitores sui deserens, appetit contemptores.*

Luc.14.8. Hoc medium Christus Seruator noster in Euangelio docet, dum modum in loco & accubitu honoratiore obseruandum in congregationibus describit, dum ait: *Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo, & veniens is, qui te & illum vocauit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco, vt cum venerit, qui te inuitauit, dicat tibi: Amice ascende superius: tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.* Quod idem est, quod S. Spiritus ante per Sapientem dixerat: *Ne gloriosus appareas coram Rege, & in loco magnorum ne steteris: melius est enim, vt dicatur tibi: Adscende huc, quam vt humilieris coram Principe.* Et parabolam claudit, dicens: *Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* Nonne aduertis, non tantum apud Deum, sed & homines humilem, qui infimum & abiectum locum eligit, magnifieri & extolli, & superbum, qui primum locum, & optimos honoratioresque accubitus appetit & desiderat, contemni & paruifieri. Exclamat & dicit S. Augustinus: *O sancta humilitas, quam dissimilis es superbiæ! Ipsa superbia, Fratres mei, Luciferum de cœlo deiecit, sed humilitas Filium Dei incarnauit: ipsa superbia Adam de paradiso expulit, sed humilitas Latronem in paradisum introduxit: superbia Gigantum linguas diuisit & confudit, sed humilitas cunctas congregauit dispersas: superbia Nabuchodonosor in bestiam transmutauit: sed humilitas Ioseph Principem Israel constituit: superbia Pharaonem demersit, sed humilitas Moysem exaltauit.*

Prou.25.6.

Aug. ser.12. in eremo.

Caput XXII.

Humilitatem medium esse ad interiorem animæ pacem parandam, & sine illa eandem nunquam haberi.

Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Vna præcipuarum & efficacissimarum rationum, quæ inueniri potest, vt animum sumamus ad honores & mundi existimationem contemnendam, & humilitatem colendam; hæc est, quam Christus his verbis proponit, hoc vnicum esse medium, ad interiorem animæ pacem & quietem parandam: quod tam à spiritualibus expetitum, & à S. Apostolo Paulo inter S. Spiritus fructus positum: *Fructus autem spiritus pax.* Vt autem exactius pax & quies, qua humilis fruitur, cognoscatur, consultum fuerit indagari inquietem & turbationem, qua superbi cor exagitatur: cōtrarium enim per contrarium melius noscitur. Plena est sacra Scriptura sententiarum, impijs pacem non esse: *Non est pax impijs, dicit Dominus. Pax, pax, & non erat pax. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt.* Nesciunt, quid sit pacem habere, & quamuis exterius videantur habere, non tamen vera illa pax est, nam intus in corde bellum habent, quod propria ipsis infert conscientia. *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Impij semper in amaritudine viuunt, sed singulariter superbi semper inquietem & turbationem habent. Ratio huius ex S. Augustino colligi potest, qui dicit, ex superbia statim nasci inuidiam, vt legitimam eius filiam, sine qua mala filia nunquam esse potest: *Quibus duobus malis, hoc est, superbia & inuidentia Diabolus Diabolus est.* Vnde intelligere datur, quid in homine malo multum hæ duę operentur, cum sufficiat, vt Diabolum Diabolum faciant. Nam qui vna ex parte superbia repletus, & nihil ipsi cordi, quam honor & existimatio, & videt omnia illi ad votum non cadere, & altera ex parte etiam inuidia plenus est, quod superbiæ filia & indiuidua comes sit,

Matt.11.29.

Humilitas pacis interioris causa.

Gal.5.22.

Esa.48.22. Ierem.6.14. Psal.13.3.

Superbi nulla pace fruuntur.

Esa.38.17.

August. li. de sancta virg. c.55.

Superbia filia & soror inuidia.

sit, dum aduertet alios honorari, existimari, & sibi præferri, certum est illum felle & amaritudine plenissimum fore, & animo esse inquieto & turbato, nisi enim tam dolet superbus, nec tam cor vulnerat, quam si quid horum aduertat.

Graphice nobis id depingi sacra Scriptura in superbo illo Amman: Magnifie- *Amman superborum speculum & exemplar.* bat abs Rege Assuero, & pluris, quam omnes alij Principes & regni magnates: & opibus affluebat & temporalibus bonis, & ab omnibus honorabatur & extollebatur, sic vt nihil illi amplius exoptandũ videretur. Et tamen tam turbabatur, quod vnus homo, & quidem plebeius, qui erat Mardocheus, qui sedebat in porta palatij regij illum vilipenderet, nec illi aperiret caput, nec assurgeret, nec se loco moueret, dum transiret; vt nihili faceret omnia, quæ possideret, præ dolore & turbatione, quam hic sentiebat. Idque ipse confessus est, de hoc querelas apud amicos & vxorem deponens, & declarans fortunam & potentiam suam: *Esther.5.13.* *Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum sedere ante fores regias.* Ecce quanta sit inquies superbi, & quantæ vndæ & tempestates, quæ in eius corde insur- *Esa.57.20.* gunt. *Impij autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest.* Tantaque fuit rabies & furor, qui eam ob causam mentem inuasit, vt parui faceret manus in hunc solum inijcere, nisi sciens illum Iudæum esse, diplomata abs Rege Assuero obtineret, ad omnes Iudæos, qui in regnis erant, perdendos & occidendos. Et Mardochæo altissimam trabem parauerat domi suæ, vt ex illa suspenderetur; quamuis aliter, ac rebatur, res ceciderit, & Iudæi sententiam in se latam contra inimicos exequerentur, & Amman eo ipso ex patibulo affixus, quod Mardochæo parauerat. Ante tamen bona ipsi contigit mortificatio; dum enim in hoc totus erat, vt se vlcisceretur, & summo mane ad regiam iuisset, vt à Rege licentiam idem exequendi peteret; eandem noctem contigerat Regem insomnem egisse, iusseratque ideo annales adferri, & legi sibi, & dum peruentum esset ad id, quod Mardochæus Regi exhibuerat, seruitium, proditionem in ipsum à duobus eunuchis machinatam manifestando, quæsiuit, quid mercedis & præmij Mardochæus pro hoc seruitio & magna fidelitate tulisset? responsum fuit: nihil. Hinc Rex ait: Quis esset? num aliquis in regiam venisset? respondent: Amman in atrio est. Iubet Rex intrare. Intrat & rogat Rex: quid faciendum viro, quem Rex cupit honorare? Amman credens se esse, quem Rex vellet honorare, respondit: Homo, quem Rex voluerit honorare, regijs vestibus induatur, & ipsi Regis equo imponatur cum regio diademate in capite, & præcipuus Regis Magnatum præcedat, & equum fræno ducat, & in plateis prædicet: Sic honorabitur, quem Rex voluerit honorare. Dixit Rex: vade ad Mardochæum, qui ad fores palatij est, & fac illi, quod dixisti, & caue, ne quid omittas.

Quid non doloris superbum & turbatum illud cor sentiebat? nihilominus faciendum erat, & plene exequendum, quidquid Rex iusserat, puto maiorem illi mortificationem excogitari non posse, post quam statim suspensus est patibulo, quod Mardochæo aptauerat: hæc mer- *Minima res superbum affligit.* ces, quam mundus solitus suis dare. Vnde, quæso, illi hoc malum ortum? quod alter illi caput non aperiret, nec assurgeret, dum transiret.

Vna similium nugarum sufficit, ad superbis inquietem & turbationem adferendam, & vt semper animo sint amaro, & dolore repleto. Idque & hodie in mundanis videre est, idque tanto plus, quanto sublimiore loco positi sunt. Omnia hæc puncta ipsis punctiones sunt, quæ pungunt & perfodiunt eorum corda, vt ipsis nihil grauius nec læthalius esse videatur. Et nunquam superbis quid horum deest, quantumlibet extollantur & habeant, ideoque felle vsque amariora corda habent, & in perpetua versantur

tur inquiete & turbatione. Idemque in Religione eueniet, si quis superbus sit, si alijs postponatur, & cur talis ad tale vel tale negotium electus sit, & illius nulla sit habita ratio, & hæc & huiusmodi tantam ipsi parient inquietem, quantam in mundano honorum puncta est ambitio.

Melancholia sæpe superbiæ humor & spiritualis ægritudo.

Ex hoc & aliud erui poterit, quod sæpius re ipsa experimur: quod quamuis morbus inueniatur melancholiæ, & licet sit aliquis melancholicus & tristis, tamen non est melancholiæ vel bilis humor, nec corporea infirmitas, sed superbiæ humor & spiritualis ægritudo. Tristis & melancholicus es, eo quod postpositus & nulla tui habita ratio sit. Tristis & melancholicus es, quod inde honorem non sit adeptus, vnde sperabas adipisci, sed potius videris ruborem & pudorem nactus. Non tam feliciter successit, vt optabat, concio, nec argumentum, nec conclusiones, potius honore, & existimatione videris excidisse, ideo tristis & melancholicus appares: & dum quid horum publice faciendum, timor, ne aliter forsan cadat, quam speras, & ne pro honore parando eundem amittas, te anxium & tristem reddit. Hæc sunt, quæ superbum tristem & melancholicum faciunt.

Tract. 6. c. 4.

Humilis honorem non quærit.

Humilis vero corde cui curæ non est honor & existimatio, & in infimo loco contentus est, omnibus his anxietatibus & turbationibus immunis est, & summa pace fruitur, secundum prædicta Christi verba, à quo Sanctus illa mutuatus est, dum ait: Si pax in mundo sit, humilis corde illam possidet.

Th. à Kemp.

Ideoque quamuis alio medio spiritus aut perfectionis, sed solum commodi nostri, & pacis & interioris quietis causa fieret, profecto humilitati nobis studendum foret, hoc enim viuere est, alterum vero viuendo mori.

Sanctus Augustinus *lib. 6. confess. capite 6.* ad propositum refert de se, quod Dominus ostenderit illi cæcitatem & miseriam, in qua tunc erat. Dum (inquit) valde essem occupatus in oratione quadam, quæ Imperatori reddenda est, & in ea referendæ eius laudes, quæ pleræque falsæ erant, & ipse ob illas laudandus ab illis, qui eas huiusmodi esse sciebant (vt vanitas & stultitia mundi videatur, dumque ego ob hoc multa essem in solitudine, cogitatione & imaginatione, quanam id mihi ratione succederet, febri consumentium cogitationum correptus, contigit me per plateam quandam Mediolani euntem pauperem mendicum videre, qui postquam ederat & biberat, ludebat & oblectabatur, & hilaris erat; quem videns suspiraui, & dixi amicis ibi præsentibus: Multa miseratione digna in nostra stultitia esse, nam in omnibus nostris laboribus, vt erant illi, quibus tunc temporis occupabamur, portantes nostræ infelicitatis onus, & cupiditatis stimulis vulnerati, & oneri onus addentes, non quærebamus, nec curabamus aliud, quam assequi securam lætitiam, in quo nos pauper ille anteibat, ad quam fortasse nunquam perueniremus. Quod enim ille exigua eleemosyna erat assequutus, id ego tantis laboribus & incommodatibus parare conabar, volo dicere felicitatis temporalis lætitiam.

Verum quidem est (dicit sanctus Augustinus) pauperem illum veram lætitiam non habuisse, sed ego ambitione mea falsiorem illa quærebam, & ille lætabatur tamen, & ego tristabar, ille securus erat, ego vero in timore & anxietate. Et si quis quæsiuisset, quid mallem, an tristem, an vero lætum esse? respondissem, me malle lætari, & si rursus quæsisset, an mallem talis esse, qualis mendicus, an qualis ego eram; tunc elegissem esse, qui eram tam laboribus & incommoditatibus repletus. Et dicit nullam habuisse causam, vt me pauperi anteferrem, eo quod illo sapientior sim, quod hoc mihi non faceret satis, quod scientia mea solum studebam hominibus satisfacere, non vt eos docerem,

sed

ſed placerem. Ille procul dubio (ait) me fortunatior erat, non ſolum quod ille hilaris, ego ſollicitus eram, quod mihi maximo erat dolori; verum etiam quod ille bonis medijs vinum parauerat, ego vero mentiendo verebar vanam gloriam.

CAPVT XXIII.

De alio efficaciorum mediorum genere, ad humilitatem parandam, quod est eiuſdem exercitio.

DE primo mediorum genere diximus, quæ ſolent aſſignari ad virtutem parandam, quæ ſunt tam diuinæ quam humanæ rationes & conſiderationes. Verum tam ad vitium illud ſuperbiæ propendemus, quod in cordibus noſtris radices egerit illud ſerpentis: *Eritis ſicut Dij*: ex primorum parentum genio, vt quantæcunq; conſiderationes aſſignentur, non tamen ſufficiant, vt è nobis propulſent hoſce fumos exiſtimationis & honoris. Videtur nobis hic accidere, quod ijs, qui timore capti ſunt, quibus quantaſcunque rationes adfers, quibus illis perſuadere conaris, nihil eſſe, quod timendum ſit; reſpondent: fac. le intelligo vera eſſe, quæ dicis, & vellem, tamen ipſe mihi perſuadere non poſſum, metuendum nil eſſe. Eodem modo & aliqui dicunt: Scio omnes has rationes, à te propoſitas, de hominum opinione & exiſtimatione veras eſſe, & oſtendere nihil aliud niſi quid venti & vanitatis eſſe; tamen adduci non poſſum, quin illa magni faciam. Vellem quidem, tamen videntur hæc etiam me nolentem ad ſe trahere, & me turbare. Vt ergo rationes & conſiderationes non ſufficiunt, vt timido eximatur metus, niſi ſimul illi adferamus remedia facti, dicentes, vt adſit & tangat illa, quæ illi phantaſmata & terriculamenta videntur, & vt nocte accedat loca tenebroſa & ſolitaria, vt re ipſa probet & videat nihil eſſe, ſed omnia fuiſſe imaginationem & apprehenſionem, & ſic omnem timorem excutiat & perdat. Sic etiam vt perdatur opinio & mundi exiſtimatio, & illa contemnatur; dicunt Sancti, orationes & conſiderationes non ſufficere, ſed neceſſarium eſſe operum medium, & humilitatis exercitium, idq; præcipuum & efficaciſſimum eſſe remedium, quod noſtra parte adferri poſſit, ad virtutem hanc ſibi parandam.

Geneſ. 3. 5.

Conſideratio ſine exercitio ad humilitatem non ſufficit.

S. Baſilius dicit: Vt artes & ſcientiæ exercitio parantur; ſic & virtutes morales. Vt quis bonus ſit muſicus, aut operarius mechanicus, vel Rhetor, vel Philoſophus; neceſſe vt ſe in ijſdem exerceat, hacque ratione talis euadet. Similiter ad humilitatis, aliarumque virtutum moralium habitum acquirendum, neceſſe nos earum actibus exerceri, ſicque illas parabimus. Et ſi quis dixerit, ad poſſeſſiones & affectiones animæ componendas & moderandas, & virtutes aſſequendas ſufficere rationes & conſiderationes, monita & documenta S. Scripturæ & Sanctorum; illum falli, dicit S. Baſilius: *Is ſimiliter facit, vt ſi quis diſceret ædificare, nec vnquam tamen ædificaret, & excudere, quæ didiciſſet, ea in actum nunquam educeret*, ſed contentus eſſet audire artis documenta & monita; certum eſt huiuſmodi nunquam fabrum fore. Simili modo nec humilitatem, nec alias virtutes aſſequetur, qui ſe in ijſdem non exercuerit. Ad cuius confirmationem adferunt illud Apoſtoli ſancti Pauli: *Non enim auditores Legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores Legis iuſtificabuntur.* Ad hoc non ſufficit multas rationes & documenta audire, ſed neceſſe opere complere, & plus hic virium habet praxis & exercitium, quam omnis Theoria, quæ excogitari poteſt. Et licet verum ſit, omnem virtutem & bonum Dei manu prouenire, & vires noſtras ad hoc non eſſe pares; tamen idem Dominus nobis ea ſic vult largiri, vt nos operando cum eius gratia concurramus.

Baſil. in reg. fuſius diſput. 7.

Rom. 2. 13.

Exercitatio ipſa Theoria in omnibus artibus vtilior.

Sanctus Auguſtinus in illa Chriſti verba: *Si ergo ego laui pedes veſtros Dominus*

Aug. tr. 58. ſuper Ioan. Ioan. 13. 14.

& magister, & vos debetis alter alter uspedes lauare. Dicit hoc esse, quod Christus Seruator noster nos hoc exemplo pedes discipulorum lauando docere voluit: *Hoc est, beate Petre, quod nesciebas, quando fieri non sinebas, hoc tibi postea sciendum præmisit, ecce ipsum est postea.* Idque est, si humilitatem assequi optamus, actibus humilitatis exterioribus nos exerceamus. *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Didicimus, Fratres, humilitatem ab excelso, faciamus inuicem humiles, quod humiliter fecit excelsus.* Quandoquidem Summus & Omnipotens se humiliauit, quandoquidem Dei Filius se abiecit, & humilibus & abiectis ministerijs occupatus est, lauando discipulorum pedes, & Matri & sancto Ioseph seruiendo, & ijs se subijciendo & obediendo in omnibus, quæ mandabat; ab illo discamus, & abiectis & humilibus officijs nos exerceamus, hocque modo humilitatem assequemur.

Christus exemplo suo nos instituit.

Illud ipsum est, quod dicit sanctus Bernardus: *Humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis; nam si non potes humiliari, non poteris ad humilitatem prouehi.* Sanctus Augustinus recte probat, & rationem dat, ob quam hoc exterioris humiliationis exercitium iuuat, & tanti momenti esse, & tam necessarium ad veram cordis humilitatem consequendam. *Cum enim ad fratris pedes inclinatur corpus, & in corde ipso vel excitatur, vel si iam inerat, confirmatur ipsius humilitatis affectus.*

Bern. epis. 87.

Aug. vbi supra.

Exterior humilitas necessaria ad interiorem.

Tam sibi vniuntur & coniunguntur exterior & interior ille homo, alterque ab altero sic dependet, vt dum corpus humiliatur & deijcitur, intus excitatur humilitas. Nescio quid in se habeat, quod me ante fratrem humiliem, & quod ipsius pedes osculer: nescio quid in se habeat pauper & vilis vestitus, & abiectum & humile officium, nisi quod humilitatem in corde generet & nutriat, sique ibi illa sit, eam foueat & augeat. Hocque respondet sanctus Dorotheus huic quæstioni, qua ratione possit humilitatem anima consequi abiecto & vili vestitu, qui in corpore est: certum enim esse ait, quod à corpore in animam deriuetur bona vel mala dispositio. Ideoque videre est, aliam animæ esse dispositionem, dum sanum est corpus, aliam, dum ægrum est, aliam, dum saturum, aliam, dum famelicum est.

Doroth. doct. 2.

Eodem ergo modo alium affectum induit anima, dum homo throno, vel pretiosis phaleris ornato equo insidet, alium, dum in terra vel asino sedet, aliumque affectum & dispositionem habet, dum se pretiosis vestibus ornat, alium vero, dum se paupere & vili veste tegit.

Sanctus Basilius idem recte etiam aduertit, dum ait, quod vt hominibus mundanis bonus & illustris vestitus cor extollit, & in ijs gignit superbiæ & vanitatis fumum, & propriam existimationem; sic & in Religiosis & Dei famulis pauper & humilis vestis humilitatis affectum in corde excitat, & gignit proprium contemptum, & videtur hominem contemptibilem reddere.

Basil. in reg. fusius disput. 22.

Et addit idem Sanctus, quod sicut mundani homines vestes bonas & illustres appetunt, vt ijsdem magni fiant & æstimentur, eodem modo famuli Dei, & vere humiles vilem & pauperem vestem appetunt, vt per eandem contemnantur, & ab hominibus minoris fiant, & quod hic sibi videntur magnum remedium inuenire, vt in vera humilitate conseruentur, & progrediantur.

Inter omnes exteriores humiliationes illa de paupere & vili veste vel præcipua est, ideoque tam apud vere humiles in vsu. De Patre Francisco Xauerio *libro 6. capite 7. eius vitæ*, legitur, quod semper paupere veste vteretur, vt humilitatem conseruaret, timens ne bona cum veste aliqua se existimatio, vel præsumptio misceret & accederet, vt contingere solet.

Humiliatio in vestitu vili maxima.

Exercitium ad humilitatem desiderio medium efficacius.

Ex altera ratione videre erit, ad humilitatem cordis, aut aliam quam interiorem virtutem parandam multum prodesse eiusdem virtutis exercitium, hoc enim voluntas magis, quam desiderijs mouetur, præsens enim obiectum & visibile est, quod magis mouet, quam absens: vt quod oculis videmus, magis mouet, quam quod audimus. Vnde vulgo dici solet, id cor non mouere, quod oculi non vident.

Eodem modo exterius, quod in actum deducitur, magis voluntatem mouet, quod obiectum præsens sit, quam desideria & apprehensiones exteriores, quarum obiectum præsens non est, sed solum in imaginatione & apprehensione. Maiorem patientiæ virtutem in anima procreabit vna iniuria voluntarie & bene tolerata, quam quatuor in desiderio & sine opere: & maiorem humilitatis virtutem in mente gignet vnus dies in vili & humili officio transactus, & vestitu humili & lacero indutus, quam multi dies solis desiderijs traducti.

Quotidie experimur, aliquem repugnantiam sentire, dum primo die mortificationem aliquam ordinariam exercet, si vero altero die id fiat, nullam videre difficultatem, quamuis antea sæpius id desiderarit, quod tamen non sufficiebat, vt difficultatem illam superaret.

Hinc est, quod Societas aliquibus publicis mortificationibus vtatur, quas apud Sanctos legimus in vsu fuisse. Si enim quis semel quid horum faciat, seipsum ad alia superat, quę antea ipsi difficilia facta erant.

His accedit, quod Theologi dicunt, actum interiorem, exteriore actu accedente, communiter fieri intensiorem & efficaciorem. Sic vt si quis se in obiectis & humilibus exerceat, multum vndique profit ad humilitatis virtutem parandam.

Exercitium producit & cōseruat virtutem humilitatis.

Quia vero iisdem medijs & causis virtus conseruatur & augetur, quibus acquiritur, & quia exterius exercitium necessarium est ad humilitatis virtutem acquirendam; ideo & necessarium est ad conseruandam & augendam. Ex quo sequitur, multum ad omnes hoc exercitium pertinere, non solum incipientes, sed & progredientes, & eos, qui multum profecerunt; vt diximus, dum de mortificatione ageremus. Ideoque Pater noster omnibus id multum commendat: *Magnopere confert, deuote, quoad fieri poterit, ea munera obire, in quibus magis exercetur humilitas & charitas.* Alio loco dicit: Anteuertere oportet tentationes, adhibitis earum contrarijs, vt cum quis animaduertitur ad superbiam esse propensus, exerceri is debet in rebus abiectioribus, quæ ad humiliandum ipsum vtiles futuræ videantur, & sic de prauis alijs animæ propensionibus. Et alibi: Quod ad abiecta & humilia officia attinet, prompte illa suscipienda sunt, in quibus maiorem repugnantiam inuenerit, si illi iniunctum sit, vt illa faciat.

Tract. I. c. 18.

3. p. const. c. I. § 13. & 12. reg. 12. & 19. summarij.

C. 4. exam § 28. regul. 13. summarij.

Ideoque dico, duo hæc, humilitatem & humiliationem sibi mutuo auxilio esse debere, & ex interiore humilitate, quæ est seipsum contemnere & parui facere, & ab alijs desiderare parui fieri, nasci exteriorem humiliationem, vt talis se homo exterius demonstret, vt se intus æstimat.

Dico, vt se humilis interius & in proprijs oculis contemnit, & omni honore indignum reputat; talis & exterior agendi modus esse debet, & opera exteriora, quæ facit: sic in actionibus noscitur interior humilitas, quæ in corde est: Elige vltimum locum, vt dicit Christus Seruator noster, non dedigneris cum paruulis & abiectis agere, lætare officijs humilibus: & eadem exterior humiliatio, quæ ex interiore nascitur, fontem suum, deriuatur, excrescere faciet.



Caput XXIV.

Dicta quibusdam exemplis confirmantur.

Pet. Cluniac. l. 2. mirac. c. 29. & Bredenbach l. 2. coll. sacrar. c. 33.

Refert Petrus Cluniacensis, in Carthusianorum Ordine quendam fuisse Religiosum sanctæ & probatę vitę, quem Dominus noster in tanta castitate, puritate & integritate conseruauit, vt nec in somnis quidem illusionem aliquam pateretur. Iam morti vicinus, præsentibus Religiosis, & Priore, iussus ab eodem dicere, in quo putabat se magis Deo placuisse in hac vita; respondit: Difficilem rem, Pater, quæris, & quam nullo modo dicerem, nisi me obedientia cogeret. A pueritia multum à Diabolo affligebar, & infestabar, sed secundum dolorum & tribulationum multitudinem, quas cor ferebat, etiam anima multis consolationibus recreabatur, quas Christus, ipsiusque sanctissima mater mihi mittebant.

Psal. 93. 19.

B. Virgo iubet humilitatem in victu, vestitu, & officiis.

Quodam ergo die, dum magna Diaboli tentatione afflictus & fatigatus essem, apparuit maxima Reginarum, cuius præsentia omnes Diaboli fugati, & tentationes repressæ, & postquam me esset consolata, & monuisset perseuerare, & in perfectione progredi; mihi dixit: vt commodius hoc facias, speciatim ex Filij mei thesauris tria media vel humilitatis exercitia depromere volo, quibus si te exercueris, Deo multum placebis, & hostes superabis. Suntque hæc, vt te in his tribus humilies, in victu, in vestitu, & officijs, quæ facis. In victu petes & procurabis tibi vilissimos cibos, in vestitu vilissimam vestem, & in officijs abiectissimum & humillimum, magno honori & lucro ducens esse occupatum abiectissimis, & maxime contemptis, quæque alij dedignantur & fugiunt. Hæcque dicens disparuit, egoq; cordi meo impressi sacratissimæ Virginis verborum virtutem & energiam, vt post facerem, quod ipsa iusserat, & hic anima mea magnum profectum inuenit.

Cassia. l. 4. de instit. intrant. c. 30 & 31. & coll. 20 c. 1.

Narrat Cassianus de Abbate Paphnutio, qui cuiusdam monasterij monachus & Abbas in Ægypto, & ob venerabiles canos, & mirabilem vitam magni habitus, & à monachis honoratus, vt Pater & Magister, idque ægre ferens tanto se honore affici, & desiderans se videre humiliatum & posthabitum; nocte quadam secreto monasterium suum exiuit, & habitum induens sæcularem ad sancti Pachomij monasterium profectus est, quod tamen procul ab ipsius monasterio dissitum erat, & tunc temporis in rigore & sanctitatis feruore multum florebat, vt ibi ignotus & nouitius haberetur, & sperneretur, multosque dies ad portam stetit, humiliter habitum petens, prosternens & procumbens ad pedes omnium monachorum. Vbi vere contemptus fuit, & exprobratum, quod iam mundo satiatus in senectute Deo seruire volebat, & quod potius necessitate coactus veniret, vt ei virtus suppeditaretur & seruiretur, quam vt seruiret ipse. Tandem admissus fuit, & cura horti monasterij illi iniuncta, Superiore alio constituto, cui in omnibus obediret. Quod officium exactissime & magna humilitate obiuit, & studebat facere, quod alij recusabant, quodque molestissimum in monasterio erat. Neque contentus hæc de die facere, noctu secreto surgebat, & in ordinem redigebat, quæcunque poterat, domus negotia, idque tam occulte, vt à nullo posset videri, omnibus mane mirantibus, quod nescirent, quis hoc faceret. Hoc modo tres exegit annos, bona hac occasione laborandi, & contemptui habendi, valde contentus, hoc enim illud erat, quod tam desiderauerat.

Desiderium humilitatis.

Verum quia ipsius monachi multum talis patris absentiam dolebant, aliquot eorum in varias partes profecti sunt, vt quærerent, & iam post triennium desperantes se illum posse inuenire; vnus monachorum Paphnutij transiens monasterium

ſterium Pachomij, nec cogitans quidem ſe illum poſſe inuenire, illum agnouit, dum Sanctus fimum horto inueheret. Ipſi ad genua procidit: qui videbant, mirabantur, & plus dum audirent, quis eſſet, quemque antea fama nouerant, & veniam ab eo petebant. Sanctus caſum ſuum deplorabat, eo quod Diaboli inuidia detectus eſſet, & theſaurum, quem ibi habebat, perdidiſſet. Reduxerunt, quamuis inuitum, ad monaſterium, & magno cum gaudio receperunt, & poſt ſumma cum diligentia cuſtodierunt.

Quod tamen (ob magnum, quod habebat, contemptus ſui deſiderium, & non noſci, & ob humilis illius vitæ guſtum & delectationem, quam in altero illo monaſterio egerat) illum cohibere non potuit, quominus alia nocte monaſterium exiret, ante cum nauta quodam pactus, vt naue in Palæſtinam veheretur, quæ multum inde diſtabat: quod & factum, appellens ad Caſſiani monaſterium.

Dominus tamen noſter, cui curæ eſt humiles exaltare, ſtatuit, vt à quibuſdam monachis ſuis, qui eo viſitatum loca ſancta venerant, detegeretur, & ſanctus ſenex ob hæc pluris æſtimaretur.

In vitis Patrum.

In Patrum vitis narratur de quodam monacho, qui longo tempore ſolitarius in eremo vixerat, magnæ pœnitentiæ & orationi intentus fuerat, cuius mentem cogitatio ſubijt, quod iam perfectus eſſet, & ſe orationi dedit, & Deum rogauit: Domine oſtende, quid mihi ad perfectionem deſit. Et volens Deus eius cogitationes humiliare, audiuit vocem ſibi dicentem: Ad talem vade, & fac, quod ille tibi dixerit: hic ſubulcus erat.

Eodem tempore huc reuelatum fuit, ſolitarium hunc illi locatum venire, & iuſſus fuit illi dicere, vt flagellum ſumerer, & porcos paſceret. Senex Anachoreta iam præſens, ſubulco ſalutato, dixit: Deo ſeruire vehementer opto, dic mihi, quid ad hoc mihi facto opus? Dicit alter: Facieſne, quod dicam? reſpondit ſenex: Faciam. Tunc ſubulcus: Sume hoc flagellum, & vade porcos paſtum. Obedit ſenex: nam Deo ſeruire, & quod ei ad perfectionem deerat, adipiſci optabat. Ibatque bonus ſenex cum flagello, paſcebatque porcos, & qui eum norant, qui frequentes erant, eo quod ſanctitatis eius fama regionem illam peruagata eſſet, dicebant: Vidiſtin' ſenem illum, de quo tam magna audiuimus, ſtultus factus eſt, & paſcit porcos, frequentia ieiunia & abſtinentiæ cerebrum eius debilitarunt, & eum ad inſaniam redegerunt. Bonus tamen ſenex omnia hæc audiens, ſumma patientia & humilitate illa ferebat, & aliquot dies in hoc opere perſiſtebat. Videnſque Deus eius humilitatem, quodque has contumelias & iniurias æquo ferret animo, iuſſit vt in locum ſuum rediret.

Pratum ſpirituale.

In Prato ſpirituali dicitur de quodam ſancto Epiſcopo, quod relicto epiſcopatu & dignitate venerit in ſanctam ciuitatem Hieruſalem, vt ibi vilipenderetur, nemini enim ibi notus erat, & vili veſte induens, operam ſuam vt operarius operibus publicis addixit, & labore ſuo victitauit. Erat ibi Comes quidam Ephremius nomine vir pius & prudens, cui operum publicorum vrbis cura concredita erat, qui ſæpius ſanctum Epiſcopum humi dormientem videbat, ſimulque igneam columnam ab ipſo orientem, & ad cœlum vſque pertingentem. Quod mirabatur, quod hominem cerneret pauperem, & ædificiorum puluere & terra ſordidum, coma promiſſa & barba, quique tam vili & abiecto operi ſe addixerat. Quodam tempore ſe non cohibere valens, ad ſe illum vocat, & quærit, quis ſit? Sanctus reſpondet, ſe vnum ex ciuitatis pauperibus eſſe, & ſe hoc labore viuere, quod aliud ei non eſſet medium, quo ſe aleret. Hæc reſponſio Comiti minime ſatisfecit, quod Deus hac ratione ſeruum ſuum honorare vellet, humilitatem eius manife-

nifestans. Hincque bis, ter, sæpiusque eum interrogauit, quis esset, tanta instantia, vt illum aperire cogeret, quis esset, quod tandem duabus conditionibus dixit se facturum: quarum prior erat, ne, quamdiu viueret, alicui aperiret, quid dicturus erat: posterior, ne nomen suum dicere cogeretur. Quibus concessis, dicebat se Episcopum esse, & vt honorem & existimationem fugeret, eo venisse.

Climach. c. 4. Iohannes Climachus narrat de quodam viro graui Alexandrino, qui petebat in quoddam monasterium admitti. Videbatur Abbati ex aspectu & alijs signis homo durus, arrogans, & sæculi vanitate turgidus, ideoque illum secura humilitatis via ducere volebat, ideoque illi dixit: Si vere decreueris tollere & ferre Christi iugum, tibi, vt obedientiæ laboribus exercearis, permittendum est. *Oblatio ad humilitatem.* Respondit ille: Vt ferrum in fabri manu est, vt ex eo faciat, quod vult, sic & ego, Pater, me submitto omnibus, quæ imperabis. Volo ergo (ait ille) vt ad portam monasterij stes, & ad genua procumbas omnium, qui intrant & exeunt, & dicas, vt Deum pro te rogent, quod magnus peccator sis. Ille mandato huic plene obediuit.

Et postquam septem annos continuos hoc in exercitio transegisset, eoque magnam sibi humilitatem acquisiuisset, voluit Abbas illum in monasterium admittere in aliorum consortium, & sacris Ordinibus initiari, quod hunc honorem optime meritus esset. Sed ipse multis vsus intercessoribus, & inter alios sancto Iohanne Climacho, à Superiore obtinuit, vt eodem loco & exercitio relinqueretur, in quo hactenus fuerat, donec curriculum suum absolueret, quasi præsagiens vel conijciens finem suum iam instare.

Ita factum fuit; nam post decem dies Dominus illum ad se vocauit, quem monasterij ianitor post septem dies sequutus est, cui in vita sua promiserat, quod si contingeret illum partem aliquam cum Deo habere, peteret, vt sibi socius esset; quod & euenit. Dicit præterea idem Sanctus, quod dum hic viueret, & se hoc humilitatis exercitio exerceret, se illum interrogasse, quo se occuparet, & quid tunc temporis cogitaret? illumque respondisse: Quod sibi exercitium fuisset, se indignum monasterij consortio, & Patrum adspectu putare, vel vt oculos attolleret, vt eos adspiceret.

Dicitur in vitis Patrum, Abbatem Iohannem retulisse, Philosophum quendam discipulum habuisse, qui aliquid commisit, quare ei dixit Philosophus: Non tibi ignoscam, nisi aliorum tres annos toleres. Fecit, quod iusserat, & venit, vt si ignosceret, sed iterum dixit Philosophus: Non ignoscam, nisi præmia des tribus annis, qui te iniuria afficiant. Quod & fecit, & tunc illi ignouit, & dixit illi: Iam tibi Athenas ire licet, & sapientiam discere. Iuit ille Athenas, & Philosophus alius iniurias dicebat his, qui veniebant, vt illum audirent, vt experiretur, num patientes essent. Cumque illi iniuria fieret, & ille rideret; dicebat illi: Quare rides tu, dum ego te iniuria afficio? Respondit: Tres annos dono dedi, vt mihi iniuriam facerent, & eo inuento, qui mihi gratis iniuriam facit, nonne vis ridere? Tunc ait Philosophus: Ingredere, tu aptus ad sapientiam discendam es. Vnde concludebat Abbas Iohannes, patientiam portam esse ad sapientiam. *In vit. Patr. 2. p. §. 80.* *Humilis ad philosophiam aptus.*

P. Petrus Maffæus in vita Patris nostri beati Ignatij refert, quod quodam tempore Venetijs Patauium peregrinans cum Patre Iacobo Laines, lacerna admodum detrita laceraque indutus: pecuarius quidam puer ad eos repente aduolat, cœpitq; cachinnos tollere, eiq; licentius illudere. Ignatius placido vultu substitit, comes ad eum conuersus petebat, cur gradum non accelleraret, & pueri se petulantiæ non subtraheret? respondit Pater: Cur puerum hunc hac tanta oblectatione fraudem, quæ illi oblata est? tumque *P. Maffæ. l. 3. c. 5. vita P. Ignatij.*

diu substitit, donec puer eum videndo & ridendo saturasset animum, plus ex hoc sui contemptu hauriens voluptatis, quā mundani ex vulgi plausu vastaque acclamatione percipiunt.

Lib.4.ca 5. vita P. Francisci de Borsæ.

De P. Francisco de Borsa in eius vita refertur, quod quodam tempore iter faciens cum patre Bustamante, qui ipsi socius erat, venerit in quandam domum in qua cubiculum non erat, vt dormirent, nisi locus angustus, & aliquot straminis fasces: decumbunt patres, & P. Bustamante ob senectutem & asthma, quo laborabat, totam noctem tussiebat & spuebat, & putans se versus parietem spuere, in P. Franciscum & sæpe eius faciem spuebat Pater nec verbum quidē dicebat, nec se loco mouebat, nec affligebat ob eam causam. Mane videns Pater Bustamante, quod contigerat, valde erubescebat. P. vero Franciscus seruans eundem vultum & hilaritatem, vt illum consolaretur, aiebat: Non turbare ideo Pater, certum enim tibi sit, in toto loco nihil fuisse dignius, vt conspueretur, quam ego.

Capvt XXV.

De humilitatis exercitio, quod in Religione habemus.

Basil. in reg. fusius disput. 7.

Conuersatio cum aliis virtutum occasio.

S. Basilius præferens & anteponens vitam monasticam solitariæ, inter opinionis suæ rationes hæc vna est, quod, præterquam quod solitaria periculis sit obnoxia, non sit tam apta & sufficiens ad virtutes necessarias acquirendas, vt monastica, eo quod vsu & earum exercitio careat. Qua enim ratione se in humilitate exercebit, qui non habet coram quo se humiliet. Quo modo charitatem & misericordiam vsurpabit, cui cum altero nō est commercium & communicatio? qui patientiam exercitabit, qui resistentem ei, quod petit, non habet? Religiosus vero qui in commune viuit, multas habet cōmoditates omnes has necessarias virtutes parandi, quod occasionem habeat in omnibus his se exercendi. In humilitate, quia habet, cui se humiliet & subiiciat: in charitate, habet enim cum quo illam exerceat: in patientia, nam qui tot cum hominibus tractat, nūquam desunt ad eam occasiones: eodemq; modo liceat per omnes virtutes discurrere. Multum omnes Religiosi Deo obligati sumus, ob magnam gratiam, quā exhibuit nos ducendo ad religionem, in qua tanta est dispositio & media & virtutes assequēda; & profecto est virtutum schola. Nos tamen præ aliis illis specialiter obligamur, præter enim media communia, nobis alia particularia largitus est, & præsertim ad humilitatem parandam, hocque ex regula & constitutione. Sic vt si regulas bene seruauerimus, valde humiles erimus, in illis enim sufficiens ad hoc habemus exercitium. Talis est regula illa & constitutio, quæ præcipua & maximi ponderis est in Societate, quæ iubet, vt omnes errores & defectus, & res quæcunque, quæ notatæ, & obseruatæ fuerunt superioribus per quemuis, qui extra confessionem eas acceperit, manifestentur. Vt & illa, quæ iubet, vt totam conscientiam nostram superiori aperiamus, non celando tentationes, passiones & malas inclinationes, & omnes defectus & miserias: & quamuis verum sit id ob alium finem ordinari, vt suo loco dicemus; tamen non est dubitandum, quin magnum sit humilitatis exercitiū. Notandum, quod dicatur ad maiorem obiectionem & propriam humilitatem, hoc enim est, quod dicimus. Si veram humilitatem assequi vis, gaudebis omnes defectus tuos maioribus manifestari. Ideoq; bonus & humilis religiosus ipse defectus suos superiori declarat, & petit pro illis pœnitentiam, & studet primus esse, à quo superior eorum notitiam habeat. Et non solum hoc sed multo maius humilitatis exercitium in Societate habemus, publice enim & coram omnib. errores tuos indicas, vt te contemnant & vilipendant: quod exercitii huius humilitatis finis est, & non vt te humi-

Societatis homines præ aliis ad grrtias agendas ob vocationē obligati.

3.p.tract.¶6 Reg.9 summarii c.4. Exa.§.8.

3.p.constit.c. 1.§.12.& reg. 40.& 41. summarii.

humilem & mortificatum habeant, hoc enim non humilitatis, sed superbiæ exercitium & actus esset. Eodem spiritu capiendæ & considerandæ sunt reprehensiones, non tantum particulares & secretæ, sed & publicæ, & coram omnibus factæ. Et quantum ad te attinet, gaudendum tibi est, si hoc sincere fiat, & si omnes ita sentiant, & te pro tali habeant. Et in generali vsus & exercitium omnium pœnitentiarum & exteriorum mortificationum, quæ in societate fiunt, multum prodest ad acquirendam, & conseruandam humilitatem, vt sunt: pedes osculari, sub mensa comedere, vel genibus flexis, procumbere & prosterni ad refectorii ostium, &c. Si hæc eo spiritu, quo debent, fiant, multum vtilitatis adferent ad veram parandam & conseruandam humilitatem. Dum sedes vt humi edas, faciendum tibi est cum interiore tui ipsius cognitione, quod indignus sis cum fratribus tuis mensæ accumbere, & dum ipsorum pedes oscularis, quod indignus ne terram quidem, quam pedibus calcant, osculari: Dumque te prosternis, quod dignus sis, vt omnes tibi os calcent: & desiderandum tibi, vt sic omnes de te sentiant optimumque foret, dum quis has facit mortificationes, vt se interius exerceret hisce considerationibus, vt sanctus ille Monachus, qui septem annos in monasterii porta stetit, de quo capite præcedente dictum est, hoc enim pacto vtilissimæ fuerint, & in corde humilitatem gignent. Sin hæc sine spiritu & solum exterius feceris, parum proderunt. Vt enim ait S. Paulus: *Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est.* Idque solum est quid facere ex consuetudine & decoris causa, dum tantum exterius fit sine spiritu, & non habito fine, ad quem dirigitur.

Interior dum exterior exercetur, exercenda.

1. ad Tim. 4. 8.

Si postquam osculatus fueris fratrum pedes, & ipsis te calcandum prostraueris; illis verba austera & morosa dicis; vnum cum altero non recte conuenit, signumque est illud solum consuetudinem, vel hypocrisin fuisse. Eiusmodi & multa alia humilitatis exercitia in Societate ex regula & constitutione habemus. Hic ea memoriæ ergo ponere volui, licet superius ob aliud in medium allata fuerint, vt illa oculis subiiciamus, eaque sint, quibus præsertim humilitatem exerceamus, ad virtutem & mortificationem ostendamus ei esse necessariam, ad exacte ordinis sui regulas & constitutiones obseruandas, in his enim profectus & perfectio nostra præcipue sita est. Etsi vires sibi & virtus non sint, vt in praxin deducas illa, quæ humilitatis & mortificationis sunt, ad quæ te regula & institutum tuum obligat, nihili fac quidquid habes. Vt & de quocunque Christiano dici potest, præcipuum, ad quod necessaria ipsi est humilitas & mortificatio, esse ad Dei legem seruandam, sicque non habeat ad idem, parum vel nihil proderit. Si humilitatem non habeat, & mortificationem, vt erubescendum quid confiteatur, sed verecundia, vel vt rectius dicatur, superbia emittet, & transgreditur, tantum mandatum quid proderit, quicquid habeat vel faciat, quandoquidem ideo solum damnabitur? Idem & suo modo de Religioso dici poterit: si humilitatem non habeas, vt superiori conscientiam tuam aperias, & eam tamque primam regulam serues, ad quid prodest humilitas & mortificatio? Si etiam ferre non possis, vt alter errores tuos ad superiorem deferat, vt reprehendat; vbi tua est humilitas? Si eandem non habes, vt reprehensionem & pœnitentiam recipias, & humile & abiectum munus obeas, & eo gradu ponaris, quo Societas te ponere vult; ad quid seruit humilitas & indifferentia, & ad quem finem volunt superiores? Hac ratione potest quisque Religiosus enumerare speciatim, quæ ordinis sui sunt, & quisque alius ea quæ status eius sunt.

Tract. 1. c. 7.

Exterior humilitas sine interiore nulla est.

CAP.

CAPVT XXVI.

Cauendum ne verba proferamus, quæ nostræ laudi serui-re possunt.

Basil. ser. de exercit. monastica.

SAncti & vitæ spiritualis magistri Basilius, Gregorius, Bernardus, & alij monent, caueamus nos magna diligentia, ne verba proferamus, quæ laudi & existimationi nostræ seruire possunt, secundum illud, quod Sanctus Tobias filium suum monebat: *Superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas.*

Tobiæ 4. 14.

Bern. epist. 87.
2. ad Cor. 12. 6.
Notat Greg. lib. 18. moral. cap. 5.

Exacte perpendit S. Bernardus ad hanc rem illud S. Pauli. *Parco autem ne quis me existimet, supra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me.* Magna quædam de se dixerat Apostolus, quod sic auditoribus conueniret, & ad maiorem Dei gloriam necesse foret, & alia maiora proferre potuisset, quandoquidem in tertium vsque cœlum eleuatus erat, vbi viderat & audiuerat maiora, quam quæ lingua eloqui poterat: sed dicit ea se omittere, ne quis putet plus, quam in eo erat, aut videat in eo. Dicit Sanctus Bernardus: *Quam pulchre dicit: parco. Non parcit sibi arrogans, non parcit sibi superbus, non cupidus vanæ gloriæ, & iactator actuum suorum, qui vel sibi arrogat, quod est, vel mentitur quod non est. Solus, qui vere humilis est, parcit animæ suæ, qui ne putetur quod non est, semper, quantum in se est, vult nesciri, quod est.* Et specialius de eo agens dicit: *Loquens nihil dicat, vnde multum eruditus, multumue religiosus possit putari:* nihilque quod possit laudi tuæ accedere, semperque cauendum ne dicas, quod magnum in eo periculum situm sit, quamuis vere dicere possis, & ad ædificationem, & videaris tibi dicere ad alterius bonum & commodum, sufficiat tuum esse, ideoque non dicendum. Hic valde continens esse debes, ne bonum fortasse, quod fecisti, perdas.

Bern. in speculo monachorum.

S. Bonauentura ait: *Nunquam de scientia, vel de sæculi statu se iactent.* Numquam verba profer, quibus intelligatur, quod scias, vel habilis sis, vel aliquod ingenium, vel singulare talentum habens, ne quid facias, ex quo aduertatur, quod in sæculo aliquid fueris. Valde indecens in religione se de nobilitate & suorum dignitate iactare, stemmata enim & dignitates ventus leuis est, & vt quidam quærebat: Scis ad quid conducat nobilitas? vt contemnatur, vt opes.

Bonauent. in specul. discip. 3. c. 3.
Sui laus vitanda.

Quod hic magni fit, est virtus & humilitas, quam habueris, hoc est, quod hic magni fit, quod extra religionem eras vel non eras; aer & ventus es: & qui de his in religione gloriatur, vel illa magni ducit; vanitatem & pusillanimitatem suam prodit, talis mundum non reliquit nec contempsit. Dicit Sanctus Basilius: *Qui natus est ex spiritu secundum Domini vocem, & potestatem accepit fieri filius Dei, eum cognationis secundum carnem pudet*, & eam obliuiscitur. In omnibus propriæ laudis verba sordent & displicent, ideoque dicit adagium: *Laus in ore proprio vilescit.* Et rectius Sapiens: *Laudet te alienus & non os tuum, extraneus, non labia tua.* Prouerbiorum 27. vers. 2.

Basil. in reg. breui. 90.
Propria laus sordet Humili.

In ore tamen Religiosi magis dedecent, quod tam eius professioni aduersentur, hincque quo quis putat se magni ducendum, eo contemnitur & vilipenditur. Sanctus Ambrosius in illa Prophetæ verba: *Vide humilitatem meam, & eripe me.* Dicit quamuis quis sit infirmus, pauper, & infimæ sortis homo, si non superbiat, nec se alteri præponere nititur: *Ipse humilitate commendat*, & facit se amari & æstimari.

Ambros. ser. 20. Psal. 118. 153.

Hoc totum supplet: & contra quantumlibet quis valde sit diues, nobilis, potens, & quamuis sit valde doctus, & magnis qualitatibus & donis præditus; si se iactet, & extollat: Insolentia sibi vilis est, & hoc ipso se spernit &

contemnit & abiicit, & ab aliis parui fit & contemnitur, nam superbus habetur.

Metaphrastes & Surius in vita Arsenii. De Abbate Arsenio in eius vita legitur, quod quantumuis in mundo illustris & excellens eruditione fuerit, non Theodosii Imperatoris filiorum, Arcadii, & Honorii scilicet præceptor & institutor fuit, tamen nunquam post ex eius ore verbum auditum fuerit, quod magnitudinem saperet, nec prodiret illum eruditum esse, sed cum aliis monachis tanta cum humilitate, & simplicitate egerit, quasi omnis esset eruditionis expers: sed ipse à monachorum simplicioribus petierit ea, quę spiritus sunt, dicens se in altissima scientia indignum esse, vt eorum diceretur discipulus. *Hieronymus.* Similiter in S. Hieronymi vita dicitur, illum nobilissimo fuisse genere prognatum, & tamen in omnib. eius scriptis non inuenire est vllum verbum, quo id indicari possit.

Bonau. de inform. nouit. p.1.c.25. Ratio cur propria laus vitanda. Affert S. Bonauentura aliam bonam rationem: Sciendum vix in te esse non posse, quid bonum & laude dignũ, quod in alios non diffundatur, quodque non sciant & intelligant, sique tu taceas & celes, placebis magis, & laude dignior eris tam ob virtutem, quam quod eam celare volueris: sin illam in lucem profers & aliis apponis, risui eris, & ex quo ritu ædificabantur, & te magni faciebant, te contemnent & vilipendent. Hac in parte virtus precioso odori similis est, qui quo plus tegitur, eo plus odore proditur, & si aperte fertur, breui odorem perdit.

Greg. lib. 3. dialog. c. 33. Refert S. Gregorius de quodam Abbate Eleutherio nomine, qui quodam tempore iter faciens nocte ad Monialiũ cœnobium diuertit, vbi in quadam domo hospitium illi assignarunt, in qua erat iuuenis valde à diabolo vexatus, qui illi nocte fuit socius. Die illucescente interrogarunt moniales; an illa nocte quid iuueni accidisset; respondit, quod non: Tunc dicebant illum valde à diabolo vexari & enixe rogarunt, vt illum secum ad monasterium duceret. Consensit senex, cumque diu in monasterio fuisset, & hostis antiquus illum accedere non auderet; fuit senis cor inordinata aliqua lætitia & vana satisfactione captum ob iuuenis salutem, & monachis dicebat: Fratres diabolus moniales vexando iuuenem ridebat; sed postquam ille ad Dei seruorum monasterium venit, diabolus illum accedere non audet. Illo hæc dicente statim iuuenis à diabolo vexatus fuit; quo viso sanctus senex amare flere cœpit, videns vanam suam gloriam causam tanti infortunii fuisse, & monachos consolando dicebat, ne quis eorum quid ederet, donec iuueni sanitas impetrata esset. Et omnes se in oratione prosternentes, non prius surrexerant, quam iuuenis sanitas impetrata foret. Vnde videre est, quam Deus abhorreat ea, quæ aliqua ex parte propriam laudem sapiunt, licet & ridendo & quasi facetiæ dicantur, vt apparet illa senem hunc dixisse.

CAPVT XXVII.

Qua ratione nos exercere debeamus in hoc secundo humilitatis gradu.

Pater noster in constitutionibus ponit hanc insignem & tantæ perfectionis regulam, de qua superius diximus: Quod quemadmodum mũdani homines tanta cum diligentia diligunt, & quærunt honores, famam, magni nominis existimationem in terra; sic qui procedunt in spiritu, & serio Christum Dominum nostrũ sequuntur, amant, & ardenter exoptant, contrarium nimium, contumelias, falsa testimonia & iniurias pati, ac stulti haberi & existimari, nulla tamen ad id per eos data occasione, eo quod exoptent assimilari ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum nostrum Iesum Christum. Et iubet vt ab omnibus, qui societatem ingredi cupiunt, idem desiderium habeatur. Durum sane videtur, nouitium recenter à mundo resectum & adhuc sanguine stillantem exanimari in tam stricta *Cap. 4. exa. §. 44. & 45. cap. 5.*

& tantæ perfectionis regula. Vnde videre erit, quantam à nobis perfectionem institutum nostrum exigat. Vult homines, qui se vere abnegarunt, & qui mundo toti mortui sunt. Verum quia id difficile & magnæ perfectionis est; addit pater noster, si quis ob humanam fragilitatem & miseriam, huius tam ardens in se desiderium non aduertit, vt ab eo quæratur, an saltem non velit tale desiderium habere, & hoc, quod paratus sit patienter ferre, dum similes se offerent occasiones, contentus est. Hæc enim bona est dispositio ad discendum & proficiendum, sufficitque vt nouitius ingrediatur cum desiderio sciendi, quid sibi faciendum incumbat, & se ei applicet, hocq; modo id assequetur. Religio virtutis & perfectionis schola est; ingredere hoc desiderio, & desiderio tuo potieris.

Incipiamus ergo hinc hoc exercitium & paulatim progrediamur. Dicis te non sentire in te desiderium, vt contemnaris & parui fias, sed te velle sentire. Incipe hinc de oratione exercere in hac humilitatis virtute, & dic cum Propheta: *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.* Domine, quam procul me video à viuis & inflammatis illis desideriis, quæ sancti illi & vere humiles, habuerunt, vt à mundo vilipenderentur. Multum Domine vellem ad huiusmodi desideria pertingere, desiderare desidero. Bonam viam incedis, valde bonum principium & dispositio est ista ad id consequendum persiste, & hic in oratione persta, & roga Deum, vt tibi cor emolliat, & insiste ibi aliquot dies, Deo enim gratæ sunt huiusmodi desideria, & ea lubenter audit: *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Breui dabit tibi Dominus desiderium aliquid eius amore patiendi, & aliquam pœnitentiam pro peccatis faciendi, & tibi dato, in quo opportunius hoc desiderium patiendi impendere poteris? Et in quo maiorem pœnitentiam facere poteris, quam vt contemnaris, & vilipendaris ipsius amore? in tuorum peccatorum compensationem. Vt faciebat Dauid, dum Semei ei maledicebat & ignominia afficiebat: Sinite illum, dicebat, ne forte Dominus has contumelias & contemptus suscipiat in peccatorum meorum compensationem, eritque mihi magna felicitas.

Psal. 118. 20.

Psal. 9. 38.

2. Reg. 16. 11.

Dumque Deus hanc tibi gratiam fecerit, vt in te sentias desideria hæc contemptus & vilipendentiæ, vt sic Christo assimileris & eum imiteris, non cogitandum tibi est, iam confectum esse negocium, & humilitatis virtutem iam partam esse; sed credendum iam incipi hanc virtutem in anima tua plantari & locum sumere.

Diu desiderius humilitatis insistendum.

Ideoque non leui brachio hæc desideria percurrenda, sed in iis persistendum, & diu in illis exercendum, donec talia & tam efficacia sint, vt in opus deducantur. Dumque eo perueneris, vt videaris occasiones æquo animo ferre, quæ se offerunt; eodem in opere multi gradus & ascensus sunt, qui ascendendi, vt ad humilitatis perfectionem perueniatur. Ante omnia enim opus est, vt omnes sese offerentes occasiones æquo animo feras, quæ ad tui cõtemptum & vilipendentiam pertinent. In quo ad aliquot dies negocium habebis, & forsitan diu. Postea progrediendum est, & non subsistendum, nec animo cadendum, donec contemptu & iniuria gaudeas, tantumque in eo voluptatis & delectationis sentias, quantum mundani in omnibus mundi honoribus diuitiis & deliciis, secundum illud Prophetæ: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis.* Dum vere aliquid ex natura desideramus lætamur, dum consequimur, & si multum desideremus, multum lætamur, & si parum, parum. Hoc ergo tibi signum sit, vt scias num vere desideres contemni & parui fieri, etsi in humilitate progrediaris: Idemque valet in cæteris virtutibus.

Psal. 118. 14.

Signum vere humilitatis.

Cap. 16.

Vt medio hoc orationis magis proficiamus, eoque magis cordi nostro virtus impri-

1.p.tract.5. cap.16. imprimatur; in eo ad particulares & difficiles casus descendendum est, qui nobis occurrere possunt, quasi præsentes essent animum sumentes & in actum illas deducentes, donec nihil nobis obstet, sed omnia facilia videantur. Hoc enim modo extirpatur vitium, & virtus imbibitur, & animum intrat & perficit. Apta ad hoc dari potest similitudo ab aurifabris sumpta, qui ad purgandum aurum seruantes illud diu in fornace, dumque iam fusum est, addunt granum vnum sublimati, & incipit aurum magna vehementia feruere, donec sublimatum consumatur, quo consumpto, sedatur aurum. Post aurifaber alterum sublimati granum addit, & feuere rursus incipit aurum, sed non vehementia vt ante, & consumpto sublimato, iterum sedatur aurum.

Rursus tertio iniicit parum sublimati, & rursus feruet aurum sed quiete. Quarto sublimati parum auro addit, tuncque nihil se propter sublimatum commouet aurum, quasi nihil additum esset, tum enim purificatum est, idque purificationis auri signum est. Hoc ergo & nobis in oratione faciendum, ei addere aliquid sublimati imaginando aliquid mortificationis & contemptus ergo se offerre, & si turbari & commoueri incipias, insiste, donec orationis colore sublimati granum consumatur, & resiste, & quiete & tranquille in eo mane.

Post aliud sublimati granum iniice, cogitando, aliud quod difficile & magnæ mortificationis & humiliationis negoitũ se offerre, etsi tamen ferbeat & turbetur natura, persiste donec consumas, & ibi sopiaris: & iterum atq; iterũ aliud adde granum & dum in te motum non excitat, nec turbationem generat sublimatum, sed in quocunque sese offerente & occurrente negotio pacem & quietem habes, aurum probatum & purificatum est. Idque signum est te virtutis perfectionem adeptum esse.

Caput XXVIII.

Qua ratione particulare examen sumendum ex virtute humilitatis.

Particulare examen, vt suo loco diximus, semper de vna re sola faciendum: hac enim ratione medium hoc efficacius & maioris energiæ est, quam si multa simul conglobentur, ideoq; particulare dicitur, quod de vno solo fiat. Idq; tanti est momenti, vt vitium vel virtus aliqua sæpius & plerumque per partes, & paulatim sumenda sit, vt quis facilius id, quod intendit, assequatur. Hocque hac in virtute vsu venit, si sumere examen vis, vt superbiam ex corde extirpes, & humilitatis virtutem assequi, non in generali sumendum est, humilitas enim & superbia multa complectantur & si sic in generali sumas, sicque nusquam superbus, sed vbique humilis eris: latum examen est, & latius erit, si de duobus vel tribus instituatur, sicque nihil efficies, sed paulatim & per partes instituendum est. 1.p.tract.7.c. 4.& 5. *Diuidenda humilitatis exercitia.*

Aduerte in quo communiter soles humilitatis sentire defectum, & superbiam habere, & hinc incipe, & postquam vno absolueris, aliud sume, & post aliud, & sic paulatim in te extirpabis superbiæ vitium, & humilitatem acquires. Hoc ergo hic diuidemus & sub diuidemus, vt tanto commodius & maiore cum fructu fiat huius virtutis tam necessariæ particulare examen. *Ordo seruandus in humilitate.*

Sit ergo primum verba non loqui, quę laudem & existimationem propriam olent. Cum enim vitium hoc appetitus honoris & existimationis nobis quasi congenitum sit, & tam altas in corde nostro egerit radices, vt quasi non sentientibus aut aduertentibus nobis lingua verba effutiat, quæ directe vel indirecte laudem nostram sapiant. *Ex abundãtia enim cordis os loquitur.* Simulatque honorificum quid *1. In verbis nostris curanda.* *Luc.6.45.*

quid se offert, vellemus eius pars esses & dicimus. Illic eram, causa fui cur ita fieret, nisi per me stetisset, &c. Primo hæc res mihi oblata est, affirmo si tale non fuisset negocium, etsi pars illius fuisses, tacuisses. Huiusmodique multa sunt verba, quæ sæpe non aduertimus, donec illa dixerimus. Ideoque conducit de hoc particulare examen institui, vt hac inspectione & bona consuetudine malam illam abrogemus, quam habemus, & nobis quasi congenita est.

2. In laude nostra audienda. *Basil. ser. de exerc. monast.* *Ambrosius.*

Secundum est, quod nos monet sanctus Basilius, vt & SS. Hieronymus, Augustinus, & Bernardus: vt non lubentes audiamus nos ab alio laudari, & bona de nobis narrari: nam & hic magnum periculum situm est. Dicit Sanctus Ambrosius, dum diabolus pusillanimitate & desperatione frangere non potest; laborat nos præsumptione & superbia deiicere, & dum nos dedecore vincere non potest, facit nos laudari & honorari, vt ea nos ratione perdat. In vita S. Bachomii legitur, illum solitum fuisse monasterio exire ad partes solitarias, vt oraret, eoque redeunte sæpius veniebant dæmonia, & vt veniente magno exercitu cum Imperatore multis comitato, illum præcedebant, & impedimentis remotis, dicebant: *Date locum homini Dei, date locum homini Dei*, vt periculum facerent, an hac ratione illum ad superbiam erigere possent, ipse vero ridebat & illudebat illis. Idem & tu fac, quando te laudari audis, vel honoris cogitatio mentem subit. Persuade te diabolum, audire hæc tibi dicentem, & ride & illude illi, sicque hac te tentatione expedies.

S. Pachomius.

Climac. cap. 21.

S. Ioannes Climachus de hoc particulare quid refert. Dicit diabolum cuidam monacho aperuisse prauas cogitationes, quibus alterum impugnabat, quod ideo fecit, vt ille qui impugnatus erat, audiens ex huius monachi ore id, quod in animo habuerat, monachum Prophetam esse duceret, & laudaret, & sanctum prædicaret, & sic superbiret, Vnde facile videre, quanti faciat diabolus, vt superbia hac cor nostrum repleatur, & vana philautia, quandoquidem tot fraudibus & dolis conatur. Quare Sanctus Hieronymus ait: *Nos ergo ad patriam festinantes, mortiferos syrenum cantus surda debemus aure pertransire.* Maris enim huius syrenes vitandæ, quæ homines fascinant, & in iudicio perdunt. Musica hæc humanæ laudis nostris auribus tam suaue est melos, & dulcis harmonia, vt nulla sit Syren, quæ nos ita fascinet, & extra se rapiat: ideoque nos hic surdos esse conuenit, & aures obturare.

Hieronymus.

Climachus quid agendum dum laudamur.

S. Ioannes Climachus dicit; dum laudamur, oculis subiiciamus peccata nostra, & laudibus iis nos indignos reperiemus, sicque ex illis maiorem humilitatem & confusionem referemus. Hoc ergo secundum esse potest, ex quo examen institui potest, vt non gaudeas, quod alius te laudet & bonum de te dicat. Cui & coniungi potest, vt gaudeas, dum alius laudatur & de eo bona dicuntur: quod aliud & maximi momenti est. Dumque inuidiæ aliquem sensum aut motum habes, quod alius laudatur & bona de eo dicuntur, aut delectationem aliquam vanam, quod de te bonum dicatur, errorem & defectum esse persuade.

3. In bonis nostris dissimulandis & occultandis.

Tertium, vnde examen particulare elicere liceat est nihil agere, vt videamur & æstimemur ab hominibus, quod monet CHRISTVS Seruator noster in Euangelio: Matthæi 6. vers. 1. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioqui mercedem non habebitis, apud patrem vestrum, qui in cœlis est.* Hoc valde vtile examen est, & in multas potest partes diuidi.

Primo potest institui, vt nihil faciamus humano respectu: Deinde, vt id fiat Dei solum causa, postea illud exacte facere, vt quod in DEI conspectu fit, & vt DEO non hominibus seruiatur, donec ita fiant opera, vt videantur nos in illis potius amare, quam opera-

operari, vt fusius egimus dum loqueremur de rectitudine, & puritate intentionis, quam in operando habere debemus.

1.p.tract.3. 4. In nobis non excusandis dum arguimur.

Quartum, vnde particulare examen institui potest, est nos non excusare, nam & ex superbia oritur, dum quid erroris commisimus, vel nobis ab alio dicitur, statim excusare volumus, & nobis etiam non aduertentibus vna excusatio post aliam excidit, & quamuis non excusauerimus, statim adhuc excusare conamur. *Ad excusandas excusationes in peccatis.* S. Gregorius in verba illa Iob: *Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam:* ponderat & examinat verba illa, *quasi homo*, & dicit homini proprium esse velle celare & excusare peccatum suum, ex natura enim nobis hoc vitium aduenit, & hæreditate primorum parentum ad nos deuolutum est.

Psal.14.4. Greg. l.12. moral.c.9. Iob.31. 33.

Qui se excusat culpam in Deum refert. Gen.3.12.

Simulatque primus homo peccauit, inter arborum frõdes se abdidit, & à Deo de inobedientia reprǽhensus, statim se muliere excusauit: *Mulier, quam dedisti mihi socium, dedit mihi de ligno & comedi.* Et mulier se serpenti excusauit: *Serpens decepit me, & comedi.* Deus interrogabat de peccato, vt id confitentes & cognoscentes veniam consequerentur.

Ideoque dicit Sanctus Gregorius, serpentem non fuisse interrogatum, quod illi non esset ignoscendum: ipsique qui se humiliare, & peccatum agnoscere debuerunt, vt veniam impetrarent, illud augent, & amplificant excusando, & Deum aliquo modo culpam attribuere volendo: Domine, mulier, quam mihi dedisti, causa huius fuit. Quasi dixisset: Si mihi eam sociam non dedisses, nihil horum contigisset: serpens quem creasti & paradisum intrare permisisti, me decepit, si non permisisses hic intrare, non peccassem.

Dicit Sanctus Gregorius, postquam ore Diaboli audiuerant, se Deo similes fore, quamuis ei in Diuinitate similes esse non possent, volebant Deum sibi similem in culpa reddere: ideoq; culpam maiorem faciunt defendendo, quam fecerunt committendo. Cum ergo talium parentum filij simus, vt hominibus hæc nobis infirmitas adhæsit, simul cum culpa & mala consuetudine, vt simulatque nos quis alicuius vitij arguit, statim conemur id excusando tegere, vt quibusdam frondibus & ramis.

B. Petrus Damianus.

Et sæpe alicui non sufficit se excusasse, nisi culpam in alium transferat. Sanctus quidam ita se excusantes erinacio æquiparat, qui aduertens, venatores illum capere vel tangere velle, sine omni mora caput & pedes retrahit, & totum se spinis velat, & fit vt globus, sic vt neque tangi, neq; capi possit, nisi se quis spinis induat, *vt prius videas sanguinem tuum, quam corpus suum*, vt dicit Sanctus ille, huiusmodi sunt ei sese excusantes, si enim illos tangere & defectus proponere velis, statim se vt erinacius defendunt. Et subinde te pungent, indicantes & te in eo deficere: aliquando dicent & regulam esse, ne quis alium reprǽhendat, aliquando alios magis errare, & tamen tolerari: si erinacium accesseris & tetigeris; videbis an pungat. Hoc totum ex nimia nostra superbia, quæ nos regit, prouenit, defectus enim nostros in lucẽ venire volumus, nec nos deficientes haberi; & peius nos habet defectus nostros sciri, & ideo existimationis iacturam non facere; quam quod illos commiserimus: ideoque illos tegere, & excusare nitimur, quantum possumus. Et sunt aliqui tam male mortificati hac in re, quod antequam quid iis obiiciatur, ipsi præueniunt & se excusant, & rationem eius, quod obiici potest, dare conantur: Si hoc fecerim, id ea de causa actum: si aliud egerim ob aliam id actum causam. Quis te pungit, vt sic exsilias? stimulus & punctio superbiæ, quæ in visceribus dominantur, pungit, & illos exsilire cogit, quamuis ante horam. Qui ergo in se hoc vitium & prauam consuetudinem aduertit, vtile ei de eo particulare examen institui, donec nulla tibi sit voluntas vitia

tua

tua celare, ſed potius lætari te pro vitioſo haberi, ſimulatque peccaſti, vt ſic compenſetur & ſatisfiat pro peccato. Et licet non peccaueris, & tamen arguaris, ne te excuſes: Dum Superior cauſam vel rationem, ob quam quid feceris, volet ſcire, ipſe à te quærere poterit, vel forſitan iam eam nouit, & ſolum humilitatem explorare vult, & videre quo animo repræhenſionem vel monitionem accipies.

B. Petrus Damianus.

5. In cogitationibus ſuperbiæ repellendis.

Quintum, etiam eſt bonum examen, cogere & circumcidere ſuperbiæ cogitationes. Quis tam ſuperbus & vanus eſt; vt multæ vanæ & arrogantes cogitationes mentem eius ſubeant: putans ſe magna indignitate & munere poſitum eſſe. Nunc te in patria tua te concionantem cum magno applauſu, & multo fructu imaginaris, iam tibi videris legere & impugnare tales theſes & concluſiones cum magno aſtantium murmure & approbatione: vel aliis ſimilibus negotiis. Totum hoc ex magna illa, quæ nos habet, ſuperbia prouenit, quæ his cogitationibus germinat & gemmas emittit. Ideoque valde expedit particulare examen inſtitui, ad cogendum & circumcidendum vanas haſce cogitationes: vt & expedit ſtatim cogi & ligari inhoneſtas cogitationes, & iudicia, & omnia vitia, quo quis infeſtatur.

6. Parendo omnibus, & nos ſubiiciendo.

3. p. conſtit. c. 1. § 4. & reg. 29. ſummarii.

Ad Philip. 2 3.

Ad Rom. 12. 10.

Sextum etiam bonum examen erit, omnes habere vt Superiores, ſecundum quod nos docet regula: vt nos animemus ad humilitatem, ſtudendo & petendo alios nobis præponere, omnes in animo vt Superiores habendo, & exterius eum reſpectum & reuerentiam exhibendo, quā cuiuſque ſtatus admittit cum ſinceritate & ſimplicitate religioſa. Quod ex Apoſtolo deſumptum eſt. Licet enim in exteriori differentia habenda ſit pro ſtatuum & perſonarum ratione, tamen quod ad interiorem & veram humilitatem animæ attinet; vult pater noſter, vt ipſe hanc ſocietatem & religionem minimam nominauit, ita quicunq; illi nomen dedit, vult minimū omnium haberi, & vt omnes alios ſuperiores & meliores habeat. Hoc ergo bonū valde & vtile examen fuerit, ſi illud non ſpeculatione tantum, ſed & praxi & exercitio ſincere in actum deducere coneris ad quoſuis ea humilitate & reſpectu, quaſi omnes forent ſuperiores. Si enim alium pro ſuperiore habueris, nō illi libere, nec auſtere loqueris, multo minus verbis mordacibus & pungentibus vel mortificātibus: nec illum tam facile iudicabis, nec grauiter feres te ab illo modo tractari: Et hæc omnia vt defectus annotanda ſunt, dum in horum examen incideris.

7. Omnia bene interpretando.

Septimum, de quo particulare examen in hac materia poteſt inſtitui, eſt in bonam partem accipere omnes ſeſe offerentes humilitatis occaſiones Soles grauiter ferre, dum quis tibi verbulum aliquod dicebat, vel dum quid reſolute & cum imperio iubet, vel dum videris non tanti ab eo, ac, alij fieri. Examen inſtitue vt æqui boni conſulas has & alias occaſiones, quæ in tui vituperationem redundare poſſunt. Hoc examen omnium maxime proprium & vtiliſſimū eſt, quod adferri poteſt ad humilitatem conſequēdam.

Præterquam enim, quod præueniamus quicquid ſe offerre poteſt, & de die neceſſe nobis eſt, hoc examine poſſumus in virtute progredi, & tres illos gradus, quos in virtute poſuimus, aſcendere. Primo an omnia hæc æquo animo tolerare poteris, deinde illa prompte & facile accipere, donec non obſiſtas, nec quid horum magnifacias: poſtea inde conſequi vt cum gaudio illa feras & ob contemptū tuum læteris: in quo, vt diximus, humilitatis perfectio ſita eſt.

Cap. præcedenti.

8. Exercendo actus humilitatis.

Octauum, vnde quis particulare examen facere poterit, tam in hac, quam ſimili materia, eſt aliquos actus & exercitia humilitatis aut alterius virtutis, cuius examen inſtituitur, faceres tam exterius quam interius, in iis ſe toties mane & toties veſperi exercendo, paucioribus actibus incipiendo & plures addendo, donec eius virtutis habitum & con-

ſuetudinem ſibi pariat. Hoc modo inimici ſeparati, & ſingulariter impugnati facilius vincuntur, & breui quod petitur acquiritur.

CAPVT XXIX.

Cum humilitate conſiſtere poſſe, ab hominibus exiſtimari & magni fieri.

SOlet circa humilitatem certum ſe offerre dubium; cuius ſolutio nobis magni eſt momenti, ne nos lateat, quomodo hic nos gerere debeamus. Dicimus communiter & conuenienter Sanctorum doctrinæ, deſiderandum eſſe vt contemnamur, abiiciamur & vilipendamur, & nullo loco ſimus. Statim altera ex parte ſe offert, quomodo ergo cum proximis fructum faciemus, ſi nos contemnant, & nihili faciant? Ad hoc opus authoritate apud illos pollere, & in bona apud eos eſſe opinione & exiſtimatione. Ideoque non malum, ſed bonum videbitur expetere, vt æſtimemur & magni ab hominibus fiamus. De hoc dubio tractant SS. Baſilius, Gregorius & Bernardus, & huic appoſite reſpondent, quod quamuis verum ſit mundi honores & exiſtimationẽ fugienda eſſe ob magnum in iis ſitum periculum, & quod ex noſtra parte, & quantum ad nos attinet, expetendum ſit vt ſpernamur & vilipendamur; tamen ob bonum aliquem finem & maius Dei ſeruitium licite & ſancte hominum honor & exiſtimatio deſiderari poteſt. Ideoque dicit Sanctus Bernardus, quod quantum ad nos pertinet, nobis petendum eſt, vt alii noſcant, & de nobis ſentiant, quod nos de nobis ipſis ſentimus & noſcimus, & nos pro talibus habeant, quales nos ipſos habemus. Sæpius tamen dicit expedire, vt alii hoc ſciant: ideoque aliquando permittitur ſancte & licite petere, vt defectus noſtri ipſos celentur ne inde damnum incurrant, & in ipſis profectus aliquis ſpiritualis impediatur.

Baſil. in reg. breuib. 185. Greg. lib. 22. moral. cap. 9. Bern. ſer. 42 ſup. Cantica. Humili aliquando honos expetendus.

Neceſſe tamen id recte à nobis intelligi & ſtricte & magno ſpiritu, nam huiuſcemodi veritates ſolent ſub veritatum colore aliquibus magno damno eſſe, quod iis vti neſciant. Iidem ſancti clare hanc doctrinam exponunt, ne inde errandi anſam arripiamus. Dicit Sanctus Gregorius: *Nonnunquam etiam ſancti viri de bona ſua opinione gaudent, ſed eum per hanc ad meliorem proficere audientes penſant*, & vt iis in ſpiritualibus maiori auxilio ſint. *Nec iam de opinione ſua, ſed de proximorum gaudent vtilitate, quia aliud eſt fauores quærere, & aliud de profectibus exultare.*

Idque dicit Sanctus Gregorius non eſt de ſua exiſtimatione & opinione gaudere, ſed de proximorum vtilitate & fructu: inter quæ magnum diſcrimen eſt. Vnum eſt honores & exiſtimationem humanam per ſe amare, & in iis ſubſiſtendo pro proprio commodo & delectatione, & vt magnus quis habeatur, & hominum opinione celebris: quod malum eſt: & aliud eſt, quando hoc ob finem aliquem bonum amatur, vt pro proximum commodo, & ad animarum fructum colligendum: idque non malum ſed bonum eſt.

Hocque modo licet nobis honorem & exiſtimationem expetere, & vt bonam de nobis homines habeant opinionem ad maiorem Dei gloriam, & quod ſic neceſſe ad proximorum ædificationem ſit & vt in illis fructus fiat. Hoc enim non eſt de ſuo honore & exiſtimatione gaudere, ſed commodo & bono proximi, & maiore Dei gloria, vt ille qui ſanitatis cauſa purgationem admittit, quam tamen ex natura abhorret; ſic & ille, qui humanum honorem, quem fugit & ſpernit, expetit & admittit, vt eo caſu medium neceſſarium vel vtile ad Dei ſeruitutem & animarum ſalutem, dicitur vere illum nihil aliud niſi Dei gloriam petere.

Sed inquiramus, qua ratione cognoſcatur, num aliquis pure & pro Dei gloria & proximorum ſalute gaudet ob homi-

num

num honorem & existimationem, vel an pro se & proprio suo honore & existimatione gaudeat. Hoc enim delicatum & caput huius rei est, & in quo omnis huius negocii difficultas consistit. Huic S. Gregorius respondet: *Qua in re necesse est, vt cum audientium vtilitati non proficit, mentem nostram fama laudabilis non eleuet, sed fatiget.* Tam Dei causa & tam pure ob honorem & existimationem gaudendum, ad maiorem eius gloriam & proximorum bonum; vt non solum non ideo gaudeamus, sed potius fastidium pariat. Sic vt cor nostrum & desiderium, quantum in nobis est, semper ad dedecus & contemptum propendere debet, dumque eius se nobis offert occasio, animo ea arripienda atque gaudendum est, quasi id adepti, quod expetebamus. Honorem vero & existimationem desiderare debemus solummodo, in quantum illa ad proximorum ædificationem necessaria sunt, & ad maiorem Dei & Domini nostri gloriam & honorem. Et de Patre nostro B. Ignatio refertur, illum dicere solitum, si se à suo feruore & desiderio abripi passus fuisset, illũ per plateas nudum, plumis plenum & luto iturum fuisse, vt ab omnibus stultus haberetur; sed caritas & desiderium, quod habebat iuuandi proximos; hunc tantum humilitatis affectum reprimebat & cogebat illum ea autoritate & decore officio suo fungi, vt personam eius decebat. Propensi tamen eius erat contemni & abiici; & semper dum aliqua se humiliandi occasio offerebat, auide eam arripiebat, imo sæpius non offerentem inuestigabat. In hoc ergo cognosceretur, an authoritate & existimatione gaudeas ob animarum commodum & Dei gloriam, an propter te, & propriũ honorem & cõmodum, si dum se humilitatis & abiectionis aliqua se offerat occasio; illam auide amplectaris, & ex animo ea læteris Tunc boni signi loco est, quando bene successit concio, vel aliud negotium, ideoque magni fias & æstimeris, te non gaudere ob proprium honorem & æstimationem, sed pure ob Dei gloriam & proximorum commodum, quod inde secutum est. Si vero sese offerente humilitatis & contemptus occasione, illam fugis, & non æquo animo fers, dumque id proximorum vtilitas non requirit, tamen laudibus & hominum existimatione lætaris, & id procurare studes; signum est, te & in aliis lætari, quæ ad te spectant, & ob tuum honorem & existimationem, & non pure Dei gloriam, & proximorum commodum.

Signa recte quæsiti honoris.

Lib. 5. cap. 3. vitæ P. Ignatii.

Sicut hominum honor & existimatio vere non mala sed bona sunt, si bene vsurpentur, ideoque licite & sancte possunt expedi: vt dum P. Franciscus Xauerius multo cum comitatu & authoritate Bungi Regem accessit. Imo quis se sancte & licite laudare potest, si fiat vt conuenit. Vt videre est in S. Paulo, qui Corinthiis scribens incipit se laudare & magna de se dicere, enumerans magnas sibi à Deo exhibitas gratias, & dicens se plus omnibus aliis Apost. laborasse, incipitq; referre reuelationes & raptus, quos habuerat vsque in tertium cœlum: Id vero faciebat, quia tunc sic opus erat ad Dei honorem & proximorum ad quos scribebat vtilitatem, vt hac ratione illum æstimarent, & Apostolum esse ducerent, & eius doctrinam reciperent, & ea commodo suo vterentur. Illaque de se dicebat animo non solum honorum contemptore sed & contẽptus & abiectionis amatore. Quando enim ad proximorum salutem id necessariũ non erat; bene se vilipendere & parui facere nouerat, dicens se indignum esse, vt Apostolus diceretur, quod Ecclesiam Dei persecutus esset, & se blasphemum & abortiuum nominans, & peccatorum maximum, & offerentibus sese cõtumeliis & contẽptu, lætitia gestiebat. Talibus bene fidendum, quod quamuis honores recipiant, & subinde quid dicant, quod ad illos faciat, tamen hoc nõ faciant, nisi dum ad maiorem Dei gloriã sic expedit, idq; tunc tam stricte faciunt, vt nihil sibi adscribant, quasi ipsi nihil facerent, suum enim non honorem, sed Dei & animarum commodum amant.

Seipsum laudare aliquãdo licet.

Lib. 4. c. 10. vitæ P. Francisci Xauerii.

2. ad Cor. 4. 11. & 12.

1 ad Corinth. 15. 9.

1. ad Tim. 1. 13.

Laus propria etiam Sanctis periculosa.

Quia tamen per difficile est, honorem accipere, & non superbire, nec in eo, quid vanæ delectationis & complacentiæ sentire; Sancti tantum periculum formidantes, quod in honoribus & existimatione magnisque dignitatibus situm est, totum hoc, quantum in se erat, fugiebat, & referebant se eo, vbi noti non erant, & occupabant se abiectis, & vilibus ministeriis, quod viderent hoc plus ad commodum suum facere, & ad humilitatem conseruandum, & securiorem sibi esse hanc viam.

1.p.l.1.c.7. Chronic. S. Francisci.

Adferebat S. Franciscus huic proposito aptissimam rationem Religiosus non sua, nisi eadem vultus hilaritate & animo honorem & dedecus accipio; si enim honores quo ab aliis afficior suo commodo, gaudeo, dum concionor, vel alia opera bona facio, vbi animam periculo vanitatis expono; multo magis mihi de mea vtilitate & animæ salute lætandum est, quæ mihi certior, dum vituperor. Manifestum est, magis nos teneri de nostro bono & vtilitate & proximi lætari, charitas enim bene ordinata à se incipit.

Si ergo ob proximi bonum gaudes, dum concio vel negotium bene successit & ideo laudaris & æstimaris, quare de proprio commodo non gaudes, dum tu tuo officio fungens contemneris? hoc enim tibi melius & securius est. Si gaudes, dum magnum talentum ad magnũ quid faciendum habes aliorum commodo; cur non gaudes, dum Deus talentum ad ista dedit, ob proprium commodum & tuam humilitatem? Si læteris, dum robur & vires habes, vt aliis labores & eorum cõmodo; quin lætaris, dum Deus vult te infirmum & inualidum esse, & ad nihil vtilem, sed post habitum & abiectum? quandoquidem id tibi commodo est, & valet ad promouendam vtilitatem, coque DEO acceptior eis, quam si magnus esses concionator, ipseque ita vult.

Vnde facile aduertere est, quantum errent, qui in mundi honores & existimationem oculos dirigunt, eo velamine, quod ita expediat ad fructum ex proximis colligendum, eoque prætextu honoratus dignitates & officia, & quicquid authoritatem sapit, ambiunt, fugiuntque quicquid abiectum & humile, persuadentes eo sibi authoritatem derogari. Estque in hoc alius insignis error, quod eo ipso, quo putant authoritatem parari, perdatur, & quo putant perdi, paretur. Putant aliqui paupere & vili veste, officio & exercitio perdi opinionem, & existimationem necessariam, ad fructum ex proximis colligendum, & sua ipsorum superbia decipiuntur; hoc ipso enim potius acquiritur, & contrario, cui tu studes perditur.

Optime hoc docuit Pater noster Ignatius, dum dicebat veræ humilitatis affectum plus facere ad animarum conuersionem, quam authoritatis specimen, quæ mundum oleat & sapiat. Idque ipse in actum deducebat non solum in se, sed & in illis, quos mittebat in vineam Domini, ipsos docens, vt ardua & magna conficerent, semper cum humilitate & contemptu suisternerent; tunc enim opus certum fore, si in humilitate fundatum esset. Ideoque hæc via est, qua solet Deus ardua quæque conficere. In cuius confirmationem, dum mittebat patres Franciscum Xauerium, & Simonem Rodericum in Lusitaniam, docebat eos, vt simulatque eo appulissent, eleemosynam peterent, & sui contemptu & paupertate viam ad alia sternerent. Similiter dum patres Salmeron & Paschasium in Hiberniam, vt Nuncios Apostolicos ablegabat, eis iniungebat, vt doctrinam Christianam pueros & rudes docerent? dumque idem pater Salmeron & pater & Magister Lainez primum irent ad Concilium Tridentinum, eo à Paulo tertio, vt sedis Apostolicæ Theologi missi, hanc eis instructionem dedit, vt priusquam in Concilio suam opinionem proponerent; ad Xenodochium diuerterent, & ibi pauperibus & infirmis seruirent, & pueros principia fidei docerent, & his fundamentis

Lib. 5. cap. 3. vita S. Ignatii.

mentis iactis progrederentur, & opinionem suam in Concilio dicerent; sicque eum fructum & vtilitatem allaturam; vt scimus Dei misericordia contigisset. Nosne prudentia nostra humana experiemur, metuemus & inquiremus, an his authoritas perdatur? Ne time, ne quod doctrinam Christianam doceas, & concioneris in foro, Xenodochiis & carceribus, authoritatem perditum iri. Ne time, ne apud viros graues authortitatem amittas, quod te videant pauperrimorum audire confessiones, aut vestitum vt pauperem religiosum. Eo ipso potius maiorem tibi authoritatem & existimationem parabis, & maiorem animorum fructum facies, humiles enim exaltat Deus, & per hos magna operari solet.

Lib.5. cap.3. vita S. Ignatii.

Et vt hanc rationem missam faciamus, quæ tamen præcipua est; eamque humanæ prudentiæ, & rationes medio excutiamus. Nullum efficacius statui potest medium ad authoritatem & proximorum opinionem parandum, & fructum copiosum animarum colligendum, quam his vti rebus, quæ abiectæ & humiles videntur, eoque maiorem, quo maiorrs tuæ fuerint qualitates. Cuius ratio est quod tanta sit mundi de honore & opinione, & magnis rebus existimatio; vt mundani nihil plus admirentur, quam quod videant ista sperni, & quod ille, qui magnis & honoratis potest occupari, humilibus, & abiectis se exerceat. Idque causa est, quod magnam de tali sanctitatis, & existimationes opinionem concipiant, eiusque doctrinam tamquam cœlitus missam suspicient.

Lib.1.c.12. vitæ P. Fran. Xauerii.

In Patris Francisci Xauerii vita legitur, dum in Indiam profecturus nauem conscenderet, & recusaret necessarium quid ad illud iter accipere: & cum importunus à Comite de Castanenda, qui tum Classis prouisor erat moneretur, vt saltem famulum admitteret, ad ei in mari deseruiendum, dicens authoritatem eius imminutum iri apud illos, qui docendi erant, si illum ad nauis marginem viderent lintea lauantem & cibos parantem: Pater Franciscus ipsi respondit: Domine Comes, modus ille authoritatem, & opinionem parandi, quem Dominatio vestra proponit, Dei Ecclesiam & Prælatos ad eum statum, quo nunc sunt, perduxit, medium ad authoritatem parandam est lintea lauare, & cibum parare, nulloque ad id opus habere, nec tamen cessare ideo saluti animarum, & proximorum inuigilare. Hoc responso tam Comiti fuit satisfactum, & tam ædificatus fuit, vt quid responderet, nesciret. Hoc modo & hac humilitate authoritas acquiritur, & maior fructus colligitur.

Hacque ratione Pater Franciscus in Indiis tantum effecit, docendo Catechismum pueros, & noctu plateas obeundo & campanulam pulsando pro defunctis in purgatorio, & ægros consolando, & aliis abiectis, & humilibus ministeriis. Hocque medio sibi tantam authoritatem & existimationem parauit, vt omnium sibi mentes deuinciret, & Pater sanctus diceretur. Hæc illa est authoritas, ad fructum in hominum mentibus colligendum: æstimatio & opinio humilium, existimatio & opinio Sanctorum & Euangelii prædicatorum. Hæcque illa est, cui nos studere conuenit, aliæ enim, quæ apud nos sunt, authoritates & opiniones, quæ mundum olent & sapiunt, potius damnant, & scandalizant proximos, tam externos, quam internos.

In verba illa S. Iohannes: *Ego autem non quæro gloriam meam: est qui quærat & iudicet*: bene quidem dicit Doctor: Si pater noster cœlestis quærat & procuret nostram gloriam, non necesse est, nos id curare. Stude tu te humiliare, & talis esse, qui debes, & Deo existimationis, & authoritatis tuæ curam ad maiorem cum proximo fructum faciendum, relinque: eo enim medio, quo te humilias & abiicis, ille te multum differente existimationis via exaltabit quam tu tali medio, & prudentia humana adipisci posses. *Ioan.8.50.*

Nec etiam tibi ob oculos versetur religio-

ligionis honor & authoritas, quæ altera est chimera, quæ nobis subinde solet se offerre, vt nostram velet imperfectionem & malam mortificationem. Non id facio (dicunt) mea sed Religionis & ordinis causa, cui respectus & reuerentia debetur. Hunc respectum omitte, nihil hoc modo Ordini decedet, sed plus accedet, si te humilem viderint; in hoc enim Ordinis authoritas, & existimatio sita est, vt Religiosi humiles & mortificati sint, & alieni ab omni eo, quod mundum sapere vel olere possit.

Narrat in Indica historia P. Maffæus, quod concionanti cuidam ex nostris in Iaponia CHRISTI Seruatoris nostri fidem in via publica Firandi ciuitatis, præteriens casu quis Gentilis illusit in doctrinam contempsit, & attracta præpingui saliua repente in mediam inspuit faciem.

Ille sine perturbatione vlla sputum linteolo abstergit, ac ne verbo quidem reddito cœptam orationem eodem prorsus tenore vultuque prosequebatur, quasi nihil accidisset. Id contemplatus ex auditoribus quidam id notauit, & prædicatoris patientiam, & humilitatem aduertens apud se cogitare cœpit, fieri non posse, vt doctrina tanta patientia, humilitate & animi constantia cœlo demissa non sit, & diuinam profecto esse. Quod tam apud illum valuit, vt se conuerteret, & dimissa concione illum adiret, & peteret se in fidem strui & baptizari.

CAPVT XXX.

De tertio humilitatis gradu.

Quis tertius gradus humilitatis. TErtius humilitatis gradus est, quando quis magnis virtutibus & Dei donis exornatus, & magno in honore & existimatione positus, in nullo superbit, nec sibi quid adscribit, sed omnia ad ipsum fontem, qui Deus est, refert, à quo omne bonum & donum profectum est.

Tertius hic humilitatis gradus (teste S. Bonauent.) est magnorum & perfectorum virorum, qui quo maiores, tanto se in omnibus magis humiliant. Vt quis malus & imperfectus; si cognoscat & talem existimet, non multum est, & bonum & laude, sed admiratione dignum; vt etiam non est, quod agricolæ filius, non vult haberi Regis filius, & pauper se pauperem ducat, & ægrotus ægrotum, & pro talibus ab aliis haberi volunt: sed mirandum est, quod diues se faciat pauperem, & magnus se abiiciat & abiectis similem reddat, se paruum faciens. Si ergo dicit Sanctus, mirum non sit, quod quis malus & imperfectus se malum & imperfectum reputet; sed tamen mirum fuerit, si talis se bonum & perfectum habeat: Idemque esset, ac si quis lepra infectus se sanum credat. Sed quod quis multa virtute præditus, & multis donis à Deo ornatus, & vere in Dei conspectu magnus, sese abiiciat & pro paruo habeat, hæc (dicit Sanctus Bernardus) magna & admiratione digna humilitas est: *Magna & rara profecto virtus est, cum magna opereris; magnum te nescire, cum omnib. nota sit sanctitas tua; te solum lateat: cum omnibus mirabilis appareas; tibi soli vilescas. Hoc ego ipsis virtutib. mirabilius duco.* Hæc humilitas perfectissime in Angelorum Regina fuit, quæ cum sciret se Dei matrem electam, se profundissima humilitate eius ancillam & seruum profitebatur: *Ecce ancilla Domini* Dicit Sanctus Bernardus: *Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat.* Et beata ex Elisabeth ore prædicata inter mulieres & ad tantum honorem, vt erat Dei matrem esse, eleuata, nullam sibi tantæ celsitudinis gloriam adscribit, sed omnem Deo acceptam fert; illum propterea magnificans & exaltans, ipsa in profundissima sua humilitate integra & firma permanente: *Magnificat anima mea Dominum, & exaltauit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Cœlestis hæc

Bonau. processε.6.relig. c.22.

Idem dicit Bern ser.43. super Cantica.

Bern. ser.13. super Cantica.

Luc.1.38.

Bern.hom.4. super Missus est.

Luc.1.46.

hæc est humilitas, eaque Sanctorum in cœlo regnantium est. Idque est, quod dicit Sanctus Gregorius, illud fuisse, quod Sanctus Iohannes in Apocalypsi vidit de viginti quatuor illis Senioribus, qui ante Dei thronum eum adorabant, tollentes coronas ex capitibus suis, & ponentes eas ante thronum. Dicitque coronas deponere ad pedes throni Dei, esse sibi victorias non attribuere, sed totum Deo adscribere, qui robur & vires ipsis ad vincendum suggessit, & ei omnem gloriam & honorem dare: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem & virtutem, & vt coronas ad pedes tuos deponamus: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt,* & si quid boni habemus, id fit, quia tu voluisti.

Greg. lib.22. moral. c.15. Apoc. 4. 4. & 10.

Hic ergo tertius humilitatis gradus est vt quis se ob dona & gratias, quæ à Deo accepit, non extollat, nec sibi adscribat, sed omnia Deo attribuat, vt auctori & omnis boni datori.

Poterit tamen quis dicere: Si in eo sita est humilitas; omnes humiles sumus: quis enim ignorat, omne bonum à Deo venire; & à nobis nihil esse nisi peccatum & miseriam? Quis est qui non dicat: Si DEVS mihi manum suam substrahat, ego omnium mortalium nequissimus forem? *Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum:* ex nobis enim non nisi peccatum & perditionem habemus, omne vero bonum à Dei liberalitate est. Hoc fidei Catholicæ est; sicque videmur omnes humilitatem habere, omnes enim facilie hoc verum esse credimus, quod tota Sacra Scriptura id plene doceat. Sanctus Apostolus in Epistola sua canonica dicit: *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendes à Patre luminum* Et sanctus Apostolus Paulus: *Quid habes, quod non accepisti? Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Dicit nos nihil, quod ad salutem nostram facit, nec operari, nec loqui, nec desiderare, nec cogitare sine Deo posse. Et qua meliori similitudine nobis potest id persuaderi, quam ea, quã CHRISTVS Seruator noster ipse in Euangelio adfert: *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis,* nec alicuius meriti opus facere potestis per vos. *Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Quid palmite fertilius, qui viti vnitus est? & quid vtilius palmite à vite separato? Ad quid valet, interrogat Deus Prophetam Ezechielem: *Fili hominis quid fiet de ligno vitis?* Dicit lignum non esse, quod ad fabricandum aptum sit, nec vt stirpes ex eo fiat, cui quid possit alligari, palmes à vite resectus ad nihil, nisi ad ignem valet.

Osea 13.5.

Iacob. 1. 17. 1. ad Cor. 4. 7. 2. ad Cor. 3. 5. Ad Philip. 2. 13.

Ioan. 15. 4.

Ezech. 15. 2.

Similes ergo huic nos sumus nisi veræ viti vniamur, quæ est CHRISTVS Seruator noster: *Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Ad nihilum nisi ad ignem vtiles sumus: si vero quod simus, gratia Dei id fit, vt dicit Sanctus Paulus: *Gratia Dei sum id, quod sum:* Videmur omnes hac de veritate recte certiores facti, omne bonum, quod habemus à DEO esse, & à nobis nihil habere, quam peccata, & nihil boni adscribere debere, sed omnia DEO, cui omnis honor & gloria debetur. Hoc credenti non admodum difficile videtur, vt pro vltimo & perfectissimo humilitatis gradu ponatur, quandoquidem id tam clarum & manifestum est: tale enim prima facie intuenti, & superficietenus facile videretur; sed hoc difficillimum est.

Ioan. 15. 6.

1. ad Cor. 15. 10.

Dicit Cassianus incipientibus facile videri, nihil sibi attribuere, & non inniti nec propriæ industriæ & diligentiæ fidere, sed totum in DEVM conferre & in illi adscribere; sed difficillimum est.

Difficile est virtute præditum, nihil sibi tribuere.

Cassian. coll. 3. de castit. & 17. inter collat.

Vte-

1. ad Corinth. 3.9.

Vt enim partem aliquam in bonis operibus habemus. *Dei enim sumus Adiutores*: vt S. Paulus ait, & cum Deo concurrimus; statim & quasi non sentientes nobis ipsis innitimur & confidimus, & surrepit secreta quædam consumptio & superbia, nobis persuadentes diligentia & industria nostra id factum esse, sicque statim extollimur & euanescimus, & operibus, quæ facimus, nos eleuamus, quasi nostris virib. contigissent, & nostra sola forent, ideoque negocium hoc tam facile non est, vt videtur. Sufficit ergo scire, sanctos hunc perfectissimum humilitatis gradum ponere, dicereque magnorum virorum humilitatem esse, vt intelligamus in eo maiorem difficultatem & perfectionem sitam esse, quam putamus.

Quis sit summus humilitatis gradus.

Magnæ sanæ perfectionis est, si quis à Deo magna dona accipiat, & magna operetur, & in Deum omnem gloriam transfundat, vt debet, nec sibi inde quid adscribat, nec vanam aliquam habeat satisfactionem. Difficile est & paucis datum, honore affici, & vt sanctum laudari, & laudes & honores non pluris facere, quasi nihil essent; magnaque ad hoc virtute opus est.

Chrysostomus.

Dicit S. Iohannes Chrysostomus, inter honores versari, & honoratum nihil ex honoribus in animum demittere, idem esse, ac si quis inter famosas mulieres sit, & eas aliquando impudicis oculis non adspiciat. Difficile & periculosum hoc est, ad quod maxima virtus necessaria est: bonoque capite indiget, qui in magnis ambulat, & vanitatem non sentit, omnes enim huiusmodi capita non habent: Angeli enim in cœlo non habebant, videlicet Lucifer & Socii, hincque euanuerunt, & in abyssum inferni præcipitati sunt. Hoc Angelorum peccatum fuisse dicunt, quod à Deo tam pulchri & cum tot naturalibus & supernaturalibus donis creati. *In veritate non steterint*, nec Deo omnem gloriam dederint, sed sibi fisi sint; non quod putarent se à seipsis hæc dona habere, norunt enim illa à Deo procedere, & se ab eo dependere, quod se creaturas scirent; sed vt dicit Propheta Ezechiel, *Eleuatum est cor tuum in decore tuo, perdidisti sapientiam tuam in decore tuo*, quod in decore suo euanuerit, gloriantes in donis illis, quæ à Deo acceperunt, & in illis delectantes quasi à se haberent, non illa Deo accepta omnia tulerunt, ipsi gloriam & honorem dantes, nisi quod superbierant se vane extollentes, & sibi blandientes, quasi & ex se bonum haberét. Sic vt quamuis intellectu cognoscerent gloriam soli Deo deberi, eandem voluntate furabantur, & sibi adscribebant. Inde videre est, non tam facilem hunc esse humilitatis gradum, vt vulgo creditur, quandoquidem & ipsis Angelis tam difficilis fuit, vt ex altitudine, in qua Deo positi erant, caderent, quod in eo persistere non possent. Si ergo Angeli tantum robur non habuerint, vt celsitudinem suam tuerentur, sed euanuerint, & ceciderint; multo magis nobis timendum est, ne euanescamus, dum in excelso positi & eleuati sumus: tam enim miseri sumus, (teste Regio Propheta) vt tanquam fumus euanescamus: *Mox vt honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient*, Psalm 36. vers. 20. Vt enim fumus, quo altius ascendit, tanto plus dispergitur, & euanescit; sic & homo superbus, & miser, quo plus exaltatur, & honoratur, eo magis euanescit.

Ioan. 8.44. *Ezech. 28. 17.*

Quam recte & apposite Christus Redemptor noster nos de hac re monet? Narrant Euangelistæ, postquam septuaginta duos discipulos prædicatum miserat, illos rediisse lætos, & de sua missione gloriantes & dicentes: Domine miraferimus, & dæmonia ipsa nobis obediunt in nomine tuo. Seruator noster subito respondit: *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Cauete vobis de vana delectatione, ideo enim Lucifer ex cœlo deturbatus est, quod de statu excelso, in quo creatus erat, vane delectaretur, & de se, & donis acceptis se ia-

Luc. 10.18.

se iactaret, nec Deo gloriam & honorem adscriberet, sed se eo vellet extollere. Cauete ne idem vobis cõtingat, nolite extolli miraculis & magnis operibus, quæ meo nomine facitis, & ne ideo vane superbiatis. Nobis idem dicit. Cauete ne superbiatis, quod vestro auxilio multum boni cum proximis fiet, & multæ animæ lucrifiant. Cauete, ne vano hominum applausu & opinione delectemini, cauete ne vos extollatis, & honor & existimatio mentibus vestris inhæreat, hoc enim Luciferum cadere fecit, & ex Angelo in diabolum vertit. In quo, vt ait Diuus Augustinus videre erit, quantum malum sit superbia, quandoquidem ex Angelis facit diabolos: quantumque contra bonum sit humilitas, quę homines sanctis Angelis similes facit. *Humilitas homines sanctis Angelis similes facit, & superbia dæmones ex Angelis fecit.*

Aug. lib. seu exhort. mon: ad quendam Comitem. ca. 18.

Caput XXXI.

Declaratur, in quo tertius humilitatis gradus consistat.

Nondum expositum est, in quo tertius hic humilitatis gradus cõsistat, ideoque necesse id paulo plenius explicari, vt tanto facilius in actum deducatur, quod hic expetitur. Hunc humilitatis gradum aiunt Sancti in eo positum esse, vt quis norit distinguere aurum, quod à Deo in donis & beneficiis eius accepimus, & lutum & miseriam, in qua versamur, & dare cuique quod suum est, Deo, quod Dei, & nobis, quod nostrum est, vtque id debito cum ordine fiat, in quo totum hoc negocium situm est. Ita vt in eo humilitas non sita sit, vt speculatiue sciamus nos ex nobis nihil posse, & bona omnia à Deo solo prouenire, illumque esse qui in nobis operatur & velle, & incipere & finire sua bona & libera voluntate, vt dicit Sanctus Apostolus Paulus. Hæc enim speculatiue nosse, quod fides ita dictitet, facile est, omnesque id Christiani norunt & credunt: sed id practice nosse & exercere, idemque tam certum & firmum habere, quasi oculis cerneretur, & manibus palparetur & tangeretur; hoc teste Diuo Ambrosio excellentissimum donum & magna Dei gratia est.

Phil. 2. 13.

Amb. epist. 84. ad sacram virginem Demetriadem.

Ad quod docendum adfert illud Diui Pauli: *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* Quod quis aduertat & noscat dona à Deo accepta, vt aliena & recepta & Dei liberalitate & misericordia data; ipsius particulare donum & gratia est, dicitque Sapiens Salomon summam esse sapientiam: *Et vt sciui, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia, sciens cuius esset hoc donum:* Et alter textus dicit: *Et hoc ipsum summa erat sapientia.* In hoc ergo, quod Sanctus Paulus dicat esse Dei particulare donum & gratiam, & Salomon summam sapientiam consistit sic humilitatis gradus. *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, qui gloriaris, quasi non acceperis?* Alienum est omne, quod habes & acceptum dicit S. Paulus, à nobis nihil boni habemus, ideoque de eo non gloriandum, quasi non acceptum sed tibi proprium esset.

1. Cor. 2. 12.

Sap. 8. 21.

1. Cor. 4. 7.

Hæc sanctorum humilitas erat, qui quamuis multis Dei donis & gratiis ditati essent, & ab eo ad perfectionis culmen leuati, & ab hominibus ad magnum honorem & existimationem; tamen tam viles in propriis oculis erant, tamq; mentibus eorum infixa erat propria abiectio & humilitas, quasi nihil eorum donorum possiderent. Nulla mentibus eorum adhærebat vanitas, nec quid eius honoris & existimationis, quibus à mundo afficiebantur, optime enim discernere norunt alienum & proprium, eamque ob causam dona, honores & existimationes metiebantur vt aliena & à Deo accepta in illumque refundebant & omnem

omnem laudem & gloriam in illum referebant, persistentes ipsi integre & perfecte in sua ipsorum abiectione, videntes se ex se nihil boni posse nec habere. Indeque fiebat, quamuis ipsi à mundo extollerentur, ipsi se non extollerent, nec pluris se ideo faciebant, & nihil honoris illius cordibus eorum adhæresceret, sibique persuadebant illas laudes ad se non pertinere, sed ad alium, nempe Deum, in quo & eius gloria suum statuebant gaudium & delectationem.

Ideoque bono iure dicunt hanc humilitatem magnorum & perfectorum virorum esse. Primo, quia magnas virtutes & Dei dona requirit, quod aliquem apud illum magnum facit. Secundo quia summæ perfectionis est, aliquem vere magnum in Dei oculis esse, & eminentem in virtute & perfectione, ideoque à Deo & hominibus magni habitum ipsum se vero in oculis propriis vilem & parum habere. In eoque Sanctus Chrysostomus & Sanctus Bernardus Apostolos & alios mirantur, quod quantumuis excellentes in sanctitate, & tantis Dei donis accumulati essent, tamque miranda Deus per eos operaretur, vt erant miracula & mortuorum à mortuis reuocationes, idcircoque tanto in honore apud mundanos essent, ipsi tam se integros in humilitate & abiectione conseruarent, quasi nihil horum habuissent, & hæc non ab ipsis sed aliis gesta fuissent, & totus ille honor, existimatio & laus non ipsis, sed aliis exhibita forent. Sanctus Bernardus ait: *Non magnum est humilem esse in abiectione: magna prorsus & rara virtus humilitas honorata.* Parum siquidem est si quis in abiectione & paupertate se humiliet, hæc enim ex natura sua hominem adiuuat, vt se cognoscat, & pro eo se habeat, qui est: sed si quis ab aliis honoretur & æstimetur, & sanctus & admirandus habeatur, & vere se & integre abiectum reputet, quasi nihil haberet, hæc rara & excellens virtus & perfectio.

Chrysostom. Bernardus.

Bern. hom. 4. super Missus est.

In his (dicit Sanctus Bernardus) secundum Dei præceptum eius lux lucet, & splendet coram hominibus, vt glorificetur non ille, sed pater eius cœlestis, qui in cœlis est. Hi veri Sancti Apostoli Pauli imitatores & Euangelicorum prædicatorum sunt, qui non se sed Iesum Christum prædicant. Hi boni & fideles serui sunt, qui suis commoditatibus non student, nec se in aliquo extollunt, nec sibi quid, sed omnia fideliter Deo adscribunt, & illi omnem dant gloriam. Ideoque ex ore Domini audient illa Euangelii verba: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.*

Bern. ser. 13. super Cantica. Matt. 5 16. 2. Cor. 4. 5. 2. Cor. 12. 14.

Matt. 25. 21.

CAPVT XXXII.

Idem fusius exponitur.

DICTVM est tertium humilitatis gradum esse, dum quis multis virtutibus & Dei donis ornatus, & in magno honore & existimatione positus non superbit, nec quid sibi attribuit, sed totum in ipsum fontem, qui Deus est, refundit, ipsi omnem gloriam adscribens, ipseque in sua abiectione & humilitate integre perseuerans, quasi nihil haberet nec faceret. Ideo tamen inferre nolumus, nos non operari, nec partem in bonis operibus habere, quæ facimus, hæc enim ignorantia & error esset.

Certum est nos & liberum nostrum arbitrium concurrere & cum Deo operari in bonis operibus, homo enim libere in iis consentit, idcircoque operatur homo, quandoquidem propria & libera voluntate petit quod petit, & operatur quod operatur, & in manu & potestate eius est non operari. Sed potius hoc est, quod tam difficilem hunc humilitatis gradum reddit, nam partim omni nobis diligentia incumbendum, & omnibus mediis vtendum, vt virtutē assequamur, & tentationib. resistamus, & recte negociū succedat,

Vnde difficultas huius humilitatis oriatur.

dat,

dat, quasi ei soli sufficeremus: & partim hoc facto omnibus his diffidẽdum, quasi nihil à nobis actum esset & nos seruos inutiles habendos, & in solo Deo fiduciam esse collocandam, vt ipse nos in Euangelio docet: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus*: non dicit aliqua, sed omnia. Vt hic recte fiat, virtute & quidem magna opus est. Ait Cassianus, quod quicunque eo cognitionis peruenerit, vt sciat se seruum inutilem esse, & omnia sua media & diligentias non sufficere ad aliquid boni acquirendum, sed id gratuitum Dei donum esse, non superbiet, dum quid consequetur; & intelliget sed id non sua diligentia, sed Dei gratia & misericordia consecutum; quod idipsum est, quod Sanctus Paulus ait: Quid habes, quod non accepisti?

Luc. 17. 10.

Cassianus.

1. Cor. 4. 7.

Anima Deo sicut corpus animæ subest.

Augustinus.

Sanctus Augustinus ait, non aliud sine Dei gratia non esse, quam quod corpus sine anima: Vt enim corpus sine anima se mouere non potest; sic & nos sine Dei gratia, nec vitæ nec alicuius valoris opera coram eo facere possumus. Vt ergo stultum foret corpus, quod sibi vitam & motum adscriberet, & non animæ, quæ in eo est, & ei vitam dat; sic & cæca esset anima, quæ bona, quæ facit opera sibi attribueret, & non Deo, qui spiritum ei infudit, qui est gratia ad illa facienda.

Aug. l. de natura & gratia c. 26.

Et alio loco dicit: Vt corporei oculi, quamuis integri & sani videre non possunt, nisi à luce iuuentur, sic & homo quamquam multum iustificatus, non potest bene viuere, nisi à diuina luce & gratia adiuuetur. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, dicit Dauid, frustra vigilat, qui custodit eam, *O si cognoscant omnes homines, & qui gloriantur, in Domino glorientur*: Psalmo centesimo vigesimo sexto, versiculo primo: Dicit idem Sanctus. Vtinam cælitus nobis mittat lumen Deus, quo tenebris sublatis noscamus & aduertamus, nullum bonum, nec esse, nec robur in omnibus creatis existere, præter id, quod Deus liberali sua voluntate dare voluit, & conseruare vult.

In hoc ergo tertius humilitatis gradus cõsistit: sed imperfecta nostra verba satis pro dignitate explicare non possunt magnam profunditatem & perfectionẽ, quæ in eo sita est: quare modo sic, modo aliter exponimus, eo quod non solum praxis, sed & eiusdem theoria admodum difficilis sit. Hæc illa est annihilatio sui ipsius toties à spiritualis vitæ magistris repetita & commendata: hoc est se habere & fateri ad omnia indignum & inutilem, quod Sanctus Benedictus & alii Sancti ponunt pro perfectissimis humilitatis gradu. *Ad omnia indignum & inutilem se confiteri & credere*: hoc est illud sibi diffidere & Deo adhærere & depẽdere, quod toties in sacris literis commendatur: hoc est verum illud se nihilum putare, quod in singula momenta audimus & dicimus, si ita in corde sentire vellemus. Si vere & practice intelligeremus, sentiremus & cognosceremus, vt ille qui oculis videt, & manibus tangit quod ex nobis nihil nisi perditionem & peccata habemus, & possumus, & quod quicquid boni habemus & facimus, ex nobis non esse, sed ex Deo, & ipsius esse omnem honorem & gloriam.

Verbis explicari satis non potest humilitas.

Si omnibus hisce nondum ad tertii huius gradus humilitatis perfectionem intelligendam pertingere queas, ne mirare: hæc enim altissima Theologia est, ideoque non mirandum, si tam facile non rapiamus. Recte Doctor quidam ait id in omnibus artibus & scientiis contingere, nam regulas communes & claras quilibet intelligit & scit, sed subtiles & inuolutas omnes non capiunt; sed illi solum, qui in ea scientia vel arte excellunt. Idem & hic contingit, communia enim & ordina-

Solus humilis scit quid humilitas?

ria huius virtutis quisque intelligit, sed eius subtilia, eminentia & alta solum illi, qui in eadem alios excedunt & eminent. Idque est, quod ait Sanctus Laurentius Iustinianus, nemini perspectum esse quid sit humilitas, nisi illi, cui à Deo datum humilem esse. *S. Laurentius Iustinianus.*

Hincq; accidebat, Sanctos, qui profundissima erant humilitate præditi, talia de se dicere & sentire, quæ illi, qui eo perfectionis non peruenerunt, non possunt capere, & videntur ipsis exaggerationes & amplificationes; vt, quod erant omnium peccatorum, qui in mundo erant, maximi; & alia similia. Et si nos hæc dicere nec sentire, nec intelligere possumus, id ideo accidit, quod ad tantam, vt ipsi, humilitatem non peruenerimus, ideoque subtilia & alia huius facultatis non capimus. Labora humilis esse, & in scientia humilitatis progredi & proficere, & tunc intelliges, qua ratione huiusmodi vere dici possunt.

Capvt XXXIII.

Planius tertius humilitatis gradus declaratur, & inde oriri vt vere humilis se omnibus minorem existimet.

Vt clarius tertius hic humiliatis gradus intelligatur, vtque in eo altius fundemur, operæ pretium fuerit paulo altius & ab origine rem ipsam repetere. vt supra dictum est, totum nostrum naturale esse, & omnes naturales operationes, quas habemus, à Deo sunt, nos enim nihil eramus, tuncque vires non erat nobis ad mouendum, nec videndum, nec audiendum, nec gustandum, nec intelligendum nec volendum. Posteaquam vero Deus naturale esse dedit, dedit & naturales hasce potentias & vires; ideoque ei tam esse, quam has operationes naturales adscribere debemus. *à Deo dona naturalia & gratiæ sunt.* Idem etiam & potiori iure dicendum de supernaturali essentia & operibus gratiæ, idque tanto plus quo hæc maiora & excellentiora sunt. Supernaturalem essentiam non à nobis sed à Deo habemus, estque gratiæ essentia, ideo sic dicta, quod naturali essentiæ gratis addita sit: *Eramus natura filii iræ*, nam in peccatis nati & Dei inimici eramus, qui nos ex his tenebris eripuit, *In admirabile lumen suum*, vt dicit Sanctus Apostolus Petrus. Ex inimicis amicos, ex seruis filios nos Deus fecit, & qui antea nihil poteramus & nullius eramus valoris, grates oculis suis effecit. Huiusque causa non præterita nostra fuerunt merita, nec officiorum ipsi post exhibendorum intuitus, sed solummodo ipsius bonitas & misericordia, & merita Iesu Christi vnici mediatoris nostri, vt Sanctus Paulus ait: *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.* *Eph.2.3.* *1. Pet.2.9.* *Rom.3.24.*

Vt ergo ex nihilo in quo eramus, exire nobis non licebat, ad naturale esse, quod iam habemus nec vita opera operari, nec videre, nec audire, nec sentire; sed totum hoc Dei gratuitum donum fuit, sicque ei totum adscribendum est, & quod huius ne minimum quidem gloriæ nobis attribuere possumus; sic etiam ex peccati tenebris exire non dabatur, in quibus concepti & nati eramus, nisi Deus infinita suo bonitate & misericordia nos eripuisset, nec vitæ opera facere, nisi gratiam ipse ad hoc suppeditasset. Non enim à nobis opera valorem & meritum habent, sed à Dei gratia: vt moneta valorem non ex se sed ex superscriptione quam habet, obtinet. Ideoque nullam nobis gloriam sed omnẽ Deo adscribere debemus, cuius est non tam id quod naturale, quam quod supernaturale est, habentes semper in ore & corde illud Sancti Pauli dictum: *Gratia Dei sum id, quod sum.* *1 Cor.15.10. Deus continuo nos conseruat in gratia dum in ea perseueramus.*

Præterea, vt diximus, non solum Deus nos ex nihilo extraxit, & esse dedit, quod habe-

habemus, ſed & poſtquam creati ſumus, & eſſe recepimus, per nos ſubſiſtere non poſſemus, niſi Deus potenti ſua manu nos ſuſtentaret & conſeruaret, ſed ſtatim in profundam nihili abyſſum relaberemur, ex qua ante nos extraxerat: ſic etiam quod ad ſupernaturale eſſe attinet, non ſolum Deus nobis gratiam fecit, vt nos ex peccati tenebris, in quibus eramus, erueret, & ad admirabilem gratiæ ſuæ lucem perduceret, ſed ſemper nos in ea conſeruat & ſuſtentat ſua manu, ne iterum labamur, ſic vt ſi Deus vel tantillum manum ſuam & cuſtodiam à nobis retraheret & leuaret, & diabolo permitteret, vt nos tentaret, dum vellet, ad præterita & multo peiora peccata rediremus. *Quoniã à dextris eſt mihi, ne commouear,* dicebat Propheta Dauid. A latere meo eſt, me ſuſtentans, ne deijciar. Tibi adſcribendum Domine, quod à peccato ſurrexerimus, & quod ad idem non redierimus & relapſi fuerimus. Accidit, eo quod mihi manum porrexeris, & ſi iam erectus ſto, eſt quod me ſuſtentes vt non relabar. Vt ergo diximus, id ſufficere, vt nos ipſos nihili faciamus, quod ex nobis id ſumus, eramus & eſſemus, niſi Deus ſemper nos conſeruaret; eodem modo & hoc ſufficit, vt nos ſemper peccatores & malos reputemus; quantum enim ad nos attinet; tales ſumus, tales fuimus & tales eſſemus, niſi Deus nobis ſemper manum porrigeret.

Pſal. 15. 8.

Cognitio ſui radix humilitatis. Albertus magnus tract. de veris perfectiſque virtutibus c. 2.

Ideoque ait B. Albertus Magnus, quod quicunque humilitatem aſſequi contendit, ei in corde ſerendam humilitatio radicem, hoc eſt, vt intelligat propriam fragilitatem & miſeriam, & inquirat & bene ponderet non ſolum quam vilis & miſeriam eſt; ſed etiam quam vilis & miſer eſſe hodie poſſet & eſſet, niſi Deus potente ſua manu illum à peccatis retraheret, & occaſiones auerteret, & in tentationibus illi auxilio eſſet. In quot & quanta peccata lapſus eſſem, niſi tu Domine infinita tua miſericordia me eripuiſſes? Quantas & quot peccandi occaſiones auertiſti, quæ ſufficiebant vt me præcipitarent; quandoquidem Dauid præcipitarunt, niſi tu illas retraxiſſes, quod fragilitas mea tibi nota eſſet? Quoties diabolo manus ligaſti, vt me non tentaret, dum vellet, & ſi me tentaret, ne me ſuperaret? Quoties vere cum Propheta dicere potui: *Niſi quia Dominus adiuuit me, paulo minus habitaſſet in inferno anima mea?* Quoties impugnatus ſum, & impulſus vt caderem, & tu Domine me tenuiſti, & dulcem & potentem manum tuam ſuppoſuiſti, ne me læderet. *Si dicebam, motus eſt pes meus, miſericordia tua Domine adiuuabat me.* Quoties nos ipſos perdidiſſemus, niſi Deus infinita ſua bonitate & miſericordia ſua nos cuſtodiiſſet? Sic ergo nobis de nobis ipſis æſtimandum eſt; hoc enim eſt, quod ſumus, hoc fuimus, & iam eſſemus, ſi Deus manum ſuam ſubſtraheret à nobis.

Pſal 93. 17.

Hinc erat, quod Sancti ſe confunderent, tam contemnerent & humiliarent, vt ipſis non ſufficeret, quod ſe parui facerent, & haberent malos & peccatores, ſed ſe omnium minimos, viliſſimos & maximos mundi peccatores ducerent. Vnus Sanctus Franciſcus nobis exemplo erit, quem Deus ſic exaltauerat & ad perfectionis culmen perduxerat, vt vnus eius ſocius in natione viderit inter Seraphim ſedem multo auro & lapidibus precioſus ornatam, ipſi deſtinatam. Qui poſt S. Franciſcum interrogans, quid de ſe ipſo ſentiret? reſpondit ſe non credere maiorem in mundo eſſe peccatorem. Idem de ſe ſentiebat & dicebat S. Apoſtolus Paulus: *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum.* Ideoque monet nos, vt ſtudeamus ad hanc humilitatem peruenire, & nos ipſos infimos & omnium minimos ducere, & alios ſuperiores habere. Dicit S. Auguſtinus: *Non fallit nos Apoſtolus, nec adulatione vti iubet, cum ad Philippenſes 2. dicit, in humilitate ſuperio-*

1. p. l. 1. c. 68. Chronic. S. Franciſci.

S. Franciſci humilitas.

1. ad Tim. 1. 15.

Auguſt. l. 83. quaeſt. q. 71. & l. de ſanct. virginit. c. 46. & 47. tom. 6. ad Phil. 2. 3.

res sibi inuicem arbitrantes. Et ad Rom. 12. *honore inuicem præuenientes.* Sancti nec mendacio nec ficta humilitate dicebant se omnium peccatorum maximos, sed vero, sic enim in animo de se sentiebant. Ideoque iubent nos ita sentire, non ficte nec dissimulate.

ad Rom. 12. 16.

Ad hanc rem D. Bernardus exacte ponderat illud Seruatoris dictum: *Cum inuitatus fueris ad nuptias, recumbe in nouissimo loco.* Non dixit, recumberes medio loco, vel sederes inter postremos, vel in penultimo loco, sed vult te recumbere vltimo loco. *Vt solus videlicet omnium nouissimus sedeas, teque nemini non dico præponas, sed nec comparare præsumas.* Non vult te aliis præferas solum, sed nec quidem compares aut alicui æqualem facias, sed vult vltimo loco maneas, nec æqualem in abiectione habeas, te omnium miserrimum & maximum peccatorem ducas. Dicit S. Bernardus: Nullo te periculo exponis licet multum te humilies, & infra omnium pedes deijcias: sed si te vel vni præponas magnum tibi damnum accersere poteris. Et adfert vulgarem quandam similitudinem. Si transeas demissam portam, non tibi noces, si multum te inclines; sin si vel tantillo minus te inclinaueris, quam porta ipsa exigit, potes tibi multum incommodare, & caput offendere. Sic & in anima si quis se valde deijciat & humiliet, non sibi nocet; sed periculosum est, si quis omittat vel paululum humiliare, vel aliis se vult anteponere, vel æqualem esse. Quis scis (dicit Sanctus) si ille solus, quem te peiorem credis (dum putes te iam bene viuere) & omnium malorum pessimum, & omnium peccatorum maximum, melior illis & te potest esse, & talis forsitan ante Deum est? quis scit an Deus (vt Iacob) manus mutabit, & sortes vertentur, & tu sis futurus reprobus & alter electus? *Quis scit* (inquit) *& te & illis mutatione dexteræ Excelsi in se quidem futurus sit, in Deo vero iam sit?*

Bern. serm. 37. super Cantica.
Luc. 14. 10.
Nullum in humilitate periculum.
Gen. 48. 14.

Qui scis, quid Deus in corde eius ab hesterno die operatus sit, & quidem in momento? *Facile est enim in oculis Dei subito honestari pauperem.* Potuit in momento Deus ex publicano & Ecclesiæ persecutore facere Apostolos, vt fecit in SS. Matthæo & Paulo. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Et induratis & adamante durioribus peccatoribus potest Deus filios Dei facere. Quam fallebatur Pharisæus, qui Magdalenam peccatricem iudicabat, & quam recte illum Christus Seruator noster arguit, & ostendit eam illo meliorem esse, quam ipsa publicam peccatricem credebat: Hinc est quod SS. Benedictus, Thomas & alii ponunt hunc vnum ex duodecim humilitatis gradibus. *Credere & pronunciare se omnibus viliorem.* Nec sufficit ore dicere, sed & opus idem in animo sentire. Nihil te puta profecisse, nisi te omnium pessimum credideris: dicit Sanctus quidam.

Eccles. 11. 23.
Marc. 3. 9.
Luc. 7. 39.
S. Benedictus S. Thomas.
Thomas à Kempis.

Caput XXXIV.

Bonos & sanctos vere se posse habere omnibus viliores, & dicere se omnium mundi peccatorum esse maximos.

Non curiositati adscribetur sed vtile censebitur, si exponamus, Sanctos & bonos vere se posse omnium minimos habere, & posse dicere se omnium peccatorum esse maximos, eo quod dixerimus nobis eo vsque perueniendum esse. Huic quæstioni aliqui Sancti respondere nolunt, sed contenti sunt ita se in corde sentire. Refert S. Dorotheus, cum Abbas Sosimus quodam tempore de humilitate loqueretur, & de se diceret; quendam Sophistam vel Philosophum adfuisse, qui quæreret, quomodo se tantum peccatorem duceret, cum sciret se Dei mandata

Doroth. doctrin. 2. de humil.

August. l. de S. virginitate c. 46. & 47.
S. Thomas 2. 2. q. 161 art. 6. ad 1. & art. 3.

mandata seruare? Respondit S. Abbas: Scio verum esse, quod dico, & sic sentio, & ne plus interroga. S. S. vero Augustinus, Thomas & alii huic quæstioni respondent, sed diuersæ sunt responsiones. S. S. Augustini & Thomæ est, quod quis oculos in defectus, quos in se cognoscit, dirigens, & in proximo occulta dona, quæ habet, vel à Deo habere potest, considerans, quisque de se vere dicere potest, se omnium peccatorum vilissimum & maximum esse. Meos enim defectus noui; & dona occulta, quæ alius à Deo habet, ignoro, vel quod tot eum peccata committere video, quæ ego non committo. Quis scis, quid Deus abhinc aliquo tempore in corde eius operatus sit? In momento & secreto possit ille donum aliquod vel gratiam à Deo impetrasse, qua ille te multum excellat. Vt accidit in Pharisæo & Publicano illo Euangelico, qui simul ascenderant in templum vt orarent. *Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo*, qui damnatus est. Hoc nobis sufficere deberet ad terrorem incutiendum, ne aliis nos preferamus nec præferamus, sed vt posteriore loco maneamus quod omnium est tutissimum.

Luc. 18. 24.

Humilis facile se humiliat.

Valde facile est illi, qui vere & ex animo humilis est, vt se omnibus viliorem reputet. Vere enim humilis in aliis virtutes & bona quæ habent, in se autem defectus considerat, & tam in eorum cognitione & remedio occupatur, vt oculos ad alienos defectus considerandos non leuet, sibi persuadens satis se negocii habere, vt mala & miserias suas plangat, ideoque omnes bonos habet, & se solum malum. Quoque quis sanctior, tanto hoc illi facilius est, vt enim in aliis proficit virtutibus, sic & in humilitate & maiorem sui cognitionem & contemptum, quæ simul iuncta sunt. Quoque clariorem à Dei bonitate & Maiestate habet lucem & cognitionem, maiorem & altiorem suæ miseriæ & nihili habet cognitionem, nam *Abyssus abyssum inuocat*. Cognitionis enim diuinæ bonitatis & magnitudinis aperit miseriæ nostræ abyssum & altitudinem, & nobis videndos præbet infantes imperfectionē atomos & puluisculos. Sique nos aliquid putemus esse, ideo fit quod exiguam Dei cognitionem habeamus, & parum à cœlo lucis nobis aduenerit. Radii Solis Iustitiæ nondum animæ nostræ portas introierunt ideoque non solum non videmus atomos, hoc est, imperfectiones nostras paruas & minutas, sed ita caligant oculi, vel potius tam sumus cæci, vt graues errores & defectus non possimus videre.

Humilis quo humilior eo adhuc humilior fit ob lucem à Deo datam.
Psal. 41. 8.

Deus humiles sua dona celat.

His accedit, Deum tam humilitatem diligere & illi placere, quod si quis se paruifecerit, & in eo permanserit, Deus solitus sit in magnis suis famulis, quibus multa beneficia & gratias largitur, tam dona sua celare, vt & qui ea recipit, non intelligat, & putet se nihil habere. Dicit S. Hieronymus: *Tota illa tabernaculi pulchritudo pellibus tegitur & ciliciis.* Sic solet & Deus virtutum & donorum suorum pulchritudinem tegere & celare diuersis tentationibus, & aliquando etiam aliquibus defectibus & imperfectionibus, quos permittit, vt tanto melius, vt sub cineribus prunæ conseruentur. Dicit S. Ioannes Climachus: Quemadmodum diabolus studet nobis virtutes & bona opera nostra proponere, vt superbiamus, vtque sic malum nostrum procuret; sic contra Deus noster qui maius nostrum bonum expetit, solet particularem lucem suis seruis largiri, vt defectus & imperfectiones proprias agnoscant, talique modo dona sua tegere & abscondere, vt ille, qui ea possidet, non percipiat.

Hieronymus in prologo galeato.
Exod. 36. 19.
Climachus.

Dicitque communem Sanctorum doctrinam esse S. Bernardus: *Nimirum conseruandæ humilitatis gratia diuina solet pietas ordinare, vt quanto quis plus profecit, eo minus se reputet profecisse, nam & vsque ad supremum exercitii spiritualis gradum, si quis eo vsque peruenerit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur, vt vix sibi primum videatur adeptus.* Idemque multis locis notat S. Gregorius.

Bern. serm. de 4. modis orandi.
Greg. l. 34. moral. c. 15. In pastorali p. 4. l. 3. dialog. c. 14.

Hinc-

Humilitas Soli comparatur. Hincque aliqui recte humilitatem comparant, & dicunt illam cum aliis virtutibus habere, vt Solem cum aliis stellis, idque propterea, quod sicut lucente Sole aliæ stellæ euanescunt & sese abscondunt: ita in anima fit, quæ humilitate prædita est, tum enim aliæ se virtutes celant, & humilis sibi persuadet se nullam virtutem possidere. Dicit S. Gregorius: *Pone soli bona sua non vident, qui in se videndo omnibus ad exemplum præbent.* & quamuis omnibus manifestæ eorum sint virtutes, ipsi eas non vident. De Moyse refert S. Scriptura, quod postquam Deo locutus erat, magnus faciem obumbrabat, splendor, quem filii Israel videbant, ipse vero non. *Ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.* Eodem modo & humilis in se nullam aduertit virtutem, quicquid videt, defectus & imperfectiones esse arbitratur. Præterea putat minimam errorum suorum partem id esse, quod aduertit & maximam eorum partem se latere. Hincque facile illi est, omnibus se minorem credere, & omnium peccatorum, qui in mundo sunt, maximum.

Greg. l. 22. moral. cap. 5.

Exod. 34. 29.

Deus humilitatem suam quibusdam ostendit. Vt verum fateamur, vt multæ & differentes sunt viæ, quibus Deus electos suos ducit & multos per prædictam viam ducat, vt ipsis dona sua celet, vt & ipsi ea non aduertant, nec putent se habere; tamen aliis ea aperit, quo illa magni æstiment & grati sint. Ideoque S. Apostolus Paulus dicebat: *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis* Sanctissima illa Angelorum Regina exacte gratias & dona magna, quæ in illa erant, & à Deo acceperat, nouerat, dum aiebat: *Quia fecit mihi magna, qui potens est.* Idque non solum humilitati & perfectioni non aduersatur, sed tam sublimi & profundæ humilitati coniunctum est, vt Sancti huiusmodi dicant humilitatem magnorum & perfectorum virorum.

1. ad Cor. 2. 12.

Luc. 1. 49.

Periculosum alta de se sentire. Tamen hic magnum latet periculum & error, quæ cauenda monent Sancti, quod aliqui apud se cogitant se plura Dei dona habere, quam reuera habent. In quo errore miser ille versabatur, cui in Apocalypsi iubet dici Deus: *Dicis diues sum & locupletatus & nullius egeo: & nescis, quia tu es miser, & miserabilis & pauper, & cæcus & nudus.* Eodem in errore erat Pharisæus ille Euangelicus, qui Deo gratias agebat, quod non esset vt alii hominum, putat se habere, quod non habebat, & ideo cæteris meliorem. Et aliquando superbia hæc tam occulte irrepit, vt etiam non sentientes nec intelligentes nostri ipsorum existimationis propriæ pleni simus. Hincque vtilissimum est homini, oculos semper apertos habere vt aliorum intueatur virtutes, & clausos, vt proprias videat, & sancto cum timore vitam agere, quo Dei dona secure custodiuntur.

Apoc. 2. 17.

Luc. 18. 11.

Sed cum Deus huic viæ non sit adstrictus, & electos suos differenter trahat, aliquando, vt ait S. Paulus, hac gratia seruos suos dignatur, vt dona, quæ ab eius manu acceperunt, cognoscant. Hancque ob causam videtur in proposita quæstione maior oriri difficultas, qua ratione Sancti & viri spirituales, qui in se vident & norunt Dei dona, quæ ab eius munifica manu acceperunt, se possint vere omnium minimos habere, & de se dicere, quod sint omnium peccatorum maximi? Ante enim, dum Deus aliquem alia illa via ducit, vt dona sua celat, & quod ille in se nullam videat virtutẽ, sed solum defectus & imperfectiones, hoc tantum difficultatis non habebat; sed in his aliis qui posset hoc vere fieri? Hoc non obstante valde recte fieri potest. Humilis esto vt S. Franciscus & ille te docebit, qui queat fieri. Socio ipsum vrgenti, quomodo vere dese tale quid dicere & sentire posset? respondit Seraphicus ille Pater: Credo & puto, si Deus latroni vel omnium peccatorum maximo tot misericordias & beneficia impendisset, illum me meliorem & gratiorem futurum. Et

Sancti non attendunt quid habeant, sed quid à se.

1. p. l 1. c. 68. Chronic. S. Francisci.

contra

contra credo si Deus manum suam substraheret & non me detineret, quod maiora peccata & mala admitterem, quam omnes homines, & quod illis omnibus peior essem. Hæc sane optima est responsio, profundissima humilitas, & admiranda doctrina. Hæc illa est cognitio & consideratio, quæ Sanctos vsque subtus terram se deijcere & omnium pedibus subijcere, & se maximos omnium peccatores reputare faciebat. In mentibus enim bene insitam humilitatis radicem habebant, quæ est propriæ fragilitatis & miseriæ cognitio, & norunt penetrare & ponderare quid erant & quid de se sentiebant. Quod causa erat, quod crederent, si Deus manum ipsis substraheret, & non semper illos sustentaret, ipsi maximi mundi peccatores futuri erant, & se tales habebant, dona vero & beneficia à Deo accepta non vt sua, sed aliena & commodiora considerabant. Idque illos non solum non impediebat, quin ipsi integri in sua humilitate & abiectione manerent, & se omnium minimos reputarent, sed & multum ad hoc conferret, eo quod illis non, vt debebant, proficerent. Sic vt in quamcunque velimus nostri partem oculos leuemus, vel in id quod à Deo recepimus, semper nos humiliandi & aliis minores habendi occasionem reperiemus.

Hanc ob rationem S. Gregorius examinat verba illa, quæ Saul dixit Propheta Dauid, postquam illum in spelunca repertum trucidare poterat, si voluisset, & liberum dimiserat, & exiens ad illum clamabat dicens: *Quem persequeris Rex Israel? quem persequeris? canem mortuum persequeris & pulicem vnum.* Trutinat bene hæc D. Gregorius; Iam Dauid Rex vnctus fuerat, & à Samuele, qui eum vnxerat, Deum à Saul regnum auferre velle & illi dare, & tamen se humiliat & ante illum abijcit, quamuis se à Deo illi præpositum, & se coram Deo meliorem esse. Vt inde discamus nos minores ducere illos quos nescimus, quo apud Deum gradu sint.

Greg l. 34. moral. c. 16. 1. Reg. 24. 15.

Rodriquez exercit. pars 2.

CAPVT XXXV.

Hunc tertium humilitatis gradum medium esse, ad omnes tentationes superandas, & omnium virtutum perfectionem parandam.

DICIT Cassianus antiquorum Patrum traditionem & quasi primum principium fuisse, neminem ad cordis puritatem & virtutum perfectionem peruenire posse nisi ante noscat & intelligat, omnem suam industriam, diligentiam & laborem ad hoc non sufficere sine speciali Dei auxilio & fauore, qui est præcipuus author & omnis boni dator. Et hæc cognitio (vt ait) non speculatiua esse debet, quia sic legimus & audiuimus, vel quia sic dictitat fides, sed opus id practice & experientia nosse, & ita nos imbibisse & imbutos esse, quasi oculis videremus & manibus tangeremus. Qui est ipsissimus tertius humilitatis gradus, de quo agimus, deque hac humilitate intelligendæ sacræ Scripturæ authoritates, quæ humilibus in munera bona promittunt.

Cassian l. 12. de spiritu superbia c. 13.

Ideoque bono iure Sancti illam ponunt pro vltimo & omnium perfectissimo humilitatis gradu, dicuntque illum esse omnium virtutum fundamentum, & præparationem & dispositionem, ad omnia Dei dona recipienda. Et specialius idem tractans Cassianus, & de castitate agens dicit, nihil ad illam consequendam sufficere, donec noscamus nos illam nostris viribus assequi non posse, sed id à diuina liberalitate & misericordia euenire debere. Cum quo optime etiam conuenit S. Augustinus, nam primum & præcipuum medium, quod ponit ad consequendam & conseruandam castitatem, est hæc humilitas, vt cogites, te ad hanc vires non habere, nec tuas tibi diligentias sufficere, si enim his nitaris,

Cassian. col. 2. Abbatis Cheremontis c. 4. Castitatis conseruatrix humilitas.

August. de S. virginit. c. 39.

mereris illam perdere: sed si tibi persuadeas, Dei esse donum, & tibi superne aduenire debere, & si hic omnem locas fiduciam. Et idcirco quidam seniorum Patrum dicebat, quod quis tamdiu à carne tentaretur, donec exacte cognosceret castitatem Dei donum esse, & non fortitudinem propriam. Palladius hoc exemplo Abbatis Moysis confirmat, qui in quantum homo, magni roboris erat, & quantum ad mentem, pessimus, se ad Deum ex integro corde conuertit: fuitque conuersionis initio grauissime tentatus, præcipue abscœnis & lubricis, ad quæ euincenda sanctorum Patrum suasu apta media quæsiuit. Tam in oratione assiduus fuit, vt sex annos in ea perstaret, plerumque noctu erectus, nec dormiret. Multum manibus laborabat, nihil nisi paululum panis comedebat, cellas seniorum patrum obibat, iis aquam adferens, & alias mortificationes & austeritates addebat. Et tamen tentationes superare non poterat, sed iis æstuabat, & in periculo erat ne caderet & monachorum institutum desereret. Eum in hoc periculo constitutum adiit sanctus Abbas Isidorus, & Dei nomine ei dixit: Abhinc in Dei Iesu Christi nomine tentationes tuæ cessabunt: sicque accidit, nam post illas nunquam sensit. Adiungebatque sanctus Abbas, & causam exposuit ob quam Deus huc vsque plenam ei de ipsis non dedisset victoriam. Ne gloriareris Moyses & superbires, quod tuo exercitio vicisses, ideo Deus hoc ad commodum tuum permisit. Nondum Moyses tanto à Deo dono donatus erat, vt sibi diffideret, & vt acquireret & in propriæ fiduciæ superbiam non caderet, Deus tanto tempore illum reliquit, nec tantis & tam sanctis exercitiis plenam huius passionis victoriam non est consecutus, quam alii minore labore adepti sunt.

Abbas Moyses.

Tentationes permittit homini Deus, vt discat sibi diffidere.

Idem Abbati Pachomio euenisse refert Palladius, qui quantumuis septuagenarius ab inhonestis tentationibus infestabatur. Dicitque illum cum iuramento affirmasse, post quinquagesimum ætatis annum duodecim annorum spatio tam asperam & continuam fuisse pugnam, vt toto hoc tempore nulla ei vel dies vel nox transiret, qua hoc peccato non exagitaretur. In solita multa faciebat, vt hac se tentatione liberaret, sed nihil proficiebat. Cumque quodam tempore casum suum deploraret, quasi à Deo desertus esset audiuit vocem sibi quasi interius dicentem. Vt scias, quid causæ sit, quod Deus te in aspera hac pugna reliquit, fuit, vt intelligas & perspectam habeas propriam fragilitatem, paupertatem, paruitatem vel nihilum, quod ex te habes, & posthac te humilies, nulli rei propriæ confidens, sed omni in re ad me accurrens, & à me auxilium petens. Dicitque hac doctrina tam fuisse confirmatum, vt nunquam postea huiusmodi tentationem sentiret. Vult Deus non vbique illi, & non nobis fidere, nec nostræ diligentiæ & mediis niti.

Abbas Pachomius.

Tentationes humilitatis, ad sui ipsius despicientiam.

Hæc non solum Augustini, Cassiani & sanctorum illorum Patrum doctrina est, sed & sanctus Spiritus, idque iisdem terminis, quos posuimus. Sapiens Sapientiæ libro nobis expresse ponit non solā Theoricam, sed & practicam huius, dum ait: *Et vt sciui, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ sciens cuius esset hoc donum, adii Dominum, & deprecatus sum illum ex totis præcordiis meis.* Continens hic est nomen generale, quod complectitur non solum illum, qui continet & coercet illas animæ passiones, quæ castitati aduersantur, sed & omnes alias passiones & appetitus, quæ rationi repugnant, vt & in illo Ecclesiastici: *Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ.* Nihil tanti ponderis nec dignum, quam persona continens, id est, qui vndique affectus & appetitus continet, vt virtutis & rationis metas non egrediantur. Dicit

Sap. 8. 21.

Virtutem & continentiam à Deo exorat Salomon.

Eccl. 26. 20.

cit ergo Salomon: Simulatque sciui, me sine speciali Dei dono semper has potentias & animæ & corporis mei passiones continere non posse in illo veritatis & virtutis medio, quin aliquando exirent, adii Dominum, & deprecatus sum illum ex totis præcordiis meis. Sic vt hoc vnicum medium sit, vt quis sit continens, & posset regere & coercere suas passiones, & intra terminos tenere, & de omnibus tentationibus victoria potiti, & omnium virtutum perfectionem adipisci. Idque bene aduertit Propheta, dum aiebat: *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. Et nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Ipse est, qui omne bonum nobis dare debet, & datum conseruare; quod nisi fiat, irritus omnis noster est labor.

Psal. 126. 1.

Capvt XXXVI.

Humilitatem magnanimitati non repugnare, sed potius eius esse causam & fundamentum.

S. Thom. 2. 2. q. 1. 29.

Sanctvs Thomas loquens de magnanimitatis virtute, adfert hanc quæstionem. Sancti dicunt, vt & Sanctum Euangelium, valde nobis esse necessariam humilitatem, & etiam in aliis nobis opus esse magnanimitate, præsertim iis, qui ministeriis & officiis altis funguntur: Quæ virtutes sibi oppositæ videntur, nam magnanimitas animi magnitudo est, ad magna & excellentia amplectendum & aggrediendum, quæ ex se honorem merentur, videturque vtrumque humilitati plane repugnare; nam quantum ad prius, quod est magna amplecti, attinet, non videtur cum eadem conuenire, nam vnus humilitatis gradu-um quem Sancti ponunt, est: *Ad omnia indignum & inutilem se confiteri*: & superbiæ & præsumptionis esse videtur, si quis quid complectatur, ad quod aptus non est. Quantum ad alterum, quod est honore digna aggredi, etiam repugnare videtur, vere enim humilis procul abesse debet ab omni honoris & existimationis cupiditate. Huic quæstioni optime D. Thomas respondet & ait, quod quamuis primo intuitu & exteriori nominis sono hæ virtutes videantur sibi opponi, tamen fieri non posse vt vna virtus alteri repugnet; & speciatim si attente has duas virtutes humilitatem & magnanimitatem intueamur, earumque veritatem & substantiam examinemus; inueniemus non solum non esse contrarias, sed sibi multum similes esse, vnamque ab altera multum dependere. Idque apte declarat; quantum enim ad prius, quod est amplecti & aggredi magna, quod proprium est magnanimitati, non solum non est humili contrarium, sed & ipsi valde proprium est, quodque ille solus qui huiusmodi est, bene facere potest. Si nostris viribus & mediis confidentes magna amplecteremur; præsumptionis sane esset & superbiæ. Quæ enim magna, imo etiam parua nostris fidentibus viribus nobis aggredi licet? quandoquidem nec ex nobis sufficientes sumus, vt vel bonam cogitationem habeamus, vt ait S. Paulus: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.* Sed virtutis huius magnanimitatis, ad magna amplectendum & aggrediendum, fundamentum esse debet, nobis ipsis nec humanis mediis fidere, & omnem in Deo fiduciam ponere: quod vere humilitati proprium est.

Magnanimitas & humilitis inter se confligere videntur.

Magnanimitas & humilitas nomine t.nus, non reipsa inter se pugnant.

Magnanimitas humilitatis comes & socia.

2. ad Cor. 3. 5.

Magnanimitas iuxta ac Humilitas Dei ope, non propriis freta viribus magna molitur.

S. Bernardus in illud Canticorum: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitiis affluens, innixa super dilectum suum?* Bene exponit omnem nostram virtutem, fortitudinem & bona opera super dilectum nostrũ inniti debere. Ad quod probandũ allegat Apostoli S. Pauli exem-

 plum

plum ad Corinthios: *Gratia autem Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui.* Incipiebat Apostolus labores & diligentiam, quam in Euangelii prædicatione adhibuerat, enarrare, & quidquid in Ecclesiæ augmentum & bonum fecerat, exponere, donec diceret, se plus omnibus, aliis Apostolis laborasse. Hinc S. Bernardus ait: Vide Apostole quid dicas, quare hoc dicere potes vt idem non amittas: *innitere super dilectum tuum. Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Et ad Philippenses scribens dicit: *Omnia possum*, & statim innititur super dilectum suum, & ait: *In eo, qui me confortat.* In Deo omnia possumus, ipsius gratia omnium potentes erimus, super ipsum innitendum nobis, & ipse magnanimitatis nostræ fundamentum ponendus. Idque est quod ait Propheta Esaias: *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Humanam enim fortitudinem, quæ fragilitas est, in Dei mutabunt fortitudinem, brachium suum fragile & carnis in Dei brachium, sicque fortes & ad omnia potentes euadent, nam in Deo omnia poterant. Idcirco recte dicebat Leo Papa: *Nihil arduum humilibus, nihil asperum mitibus.* Vere humilis est magnanimus, animosus & fortis ad magna amplectendum & aggrediendum, nihil illi arduum vel difficile, sibi enim non fidit sed Deo, & oculos in Deum figens & illi innitens, nihil illi obsistit: *In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.* In Deo omnia potest. Hæc illa sunt, quibus tam egemus, videlicet magno animo, fortitudine & in Deo fiducia, non pusillanimitate, quæ desiderium ministerium nostrum peragendi tollant. Sic vt in nobis humiles esse debeamus, noscentes nos ex nobis nihil posse nec valere: sed in Deo eiusque virtute animosi & fortes ad magna amplectenda.

Magnanimitatis fundamentum est Deus, eiusque gratia.
ad Phil. 4. 13.
Isa. 40. 31.
Per magnanimitatem imbecillum hominis brachium fit potentissimum Dei brachiũ.
Leo Papa serm. 5. de Epiphania. Nihil arduum humilibus.
Psal. 59. 14. Humiles Dei auxilio nixi omnia possunt.

S. Basilius in verba illa Esaiæ: *Ecce ego, mitte me.* hoc optime exponit: Volebat Deus aliquem ad prædicandum populo suo mittere, & vt ipsi propositum omnia in nobis operari nostra accedente voluntate & consensu, dicebat ita vt Esaias audire posset: *Quem mittam, & quis ibit nobis?* respondit Propheta: *Ecce ego, mitte me.* Ponderat S. Basilius verba hæc & examinat, quod non dixerit: Domine ego ibo, & hoc bene faciam. Quoniam humilis erat, & perspectam propriam habebat fragilitatem, & sciebat temeritatis esse, audere dicere tantum se negocium, quod vires eius excedebat, confecturum. Sed dicebat: Domine hic præsto sum & paratus facere quod iusseris: mitte me, & si me mittas; ibo. Quasi dixisset: Domine tam magno officio ineptus sum, vt hoc est, sed aptitudinem & sufficientiam mihi dare potes: tu verba in ore meo ponere potes, quæ corda moueant & mutent. Si me mittas, ire potero, & huic rei sufficiens ero, si in tuo nomine iuero. Et dixit illi Deus: *Vade.* Ecce (inquit S. Basilius) hic Propheta Esaias recepit gradum Prædicatoris & Apostoli Dei, quia in humilitatis materia norat respondere, quia sibi non adscribebat se posse ire, sed insufficientiam & fragilitatem suam agnoscens omnem in Deo fiduciam ponebat, sciens se in eo omnia posse, & ab eo missum sibi ire licere. Quare Deus ipsi concedit, & dicit vt vadat, illum statuens prædicatorem, Legatum & Apostolum suum. Hæc nostra fortitudo & magnanimitas ad magna amplectendum & aggrediendum esse debet. Ideo ne animo cade, quod fragilis & insufficiens sis. *Noli dicere: Puer sum:* dicebat Deus Ieremiæ. *Quoniam ad omnia quæ mittam te, ibis, & vniuersa, quæcunque mandauero tibi, loqueris. Ne timeas à facie eorum, quia tecum ego sum.* Sic vt quantum ad hoc attinet, humilitas non solum non magnanimitati opposita, sed ipsius potius est radix & fundamentum.

Basilius. Isa. 6. 8.
Humilis ad omnia promptus.
Ierem. 1. 7.
Humilitas radix magnanimitatis.

Secundum, quod est magnanimi, est, quod eum magna & honore digna desiderare

derare oporteat. Quod neque humiliati contrarium est, nam vt recte ait Sanctus Thomas, quamuis magnanimus hoc desideret, non id honoris humani gratia desiderat, nec hic eius finis est: bene quidem illum mereri, sed illi non studere nec æstimare. Sed potius animi est tam honores & dedecus contemnente, vt nihil magnum præter virtutem ducat, eiusque amore magna conetur, spernendo hominum honores. Virtus enim tam magnum quid est, vt nec ab hominibus satis honorari, nec sufficienti præmio affici queat, sed à Deo honore & præmio affici mereatur.

S.Thom.2.2. q.129.art.2. ad3.

Magnanimitas laudabilia quidem suscipit: at non laudis humanæ studio.

Ideoque magnanimus, nihili omnes mundi honores facit, quod vile & nullius precii quid illi sint: altius volat, solo Dei amore & virtutis ergo se ad operandum mouet & magna facit, alia omnia flocci pendens. Vt ergo quis tantum, tam generosum animum habeat, quique tam honores & contumelias mundi spernet qualem magnanimum habere oportet, magna opus est humilitate, vt ad tantam perfectionem pertingat, vt cum S. Apostolo Paulo dicere possit: *Scio & humiliari, scio & abundare (vbique & in omnibus institutus sum) & satiari, & esurire, & abundare & penuriam pati*: Noui quid facere conueniat in humiliatione & abundantia, in saturitate & fame. *Per gloriam & humilitatem, per infamiam & bonam famam, vt seductores & veraces, sicut qui ignoti, & cogniti: quasi morientes, & ecce viuimus.* Vt tam vehementes & contrarii honoris & contumeliæ venti, & laudum & detractionum, fauorum & perfectionum tempestates aliquam in nobis gignant mutationem, nec nos vacillare cogunt, sed vt semper in eodem statu permaneamus, magnũ humilitas est fundamentum, multaq; cælo demissa sapientia opus est. Ignoro num te in abundantia gerere poteris vt Sanctus Apostolus Paulus. Poteris fortasse pauperiem pati, mendicare, & in contumeliis & iniuriis humilis esse: sed nescio num in honore, in pulpitis & magnis dignitatibus te humilem exhibere posses. Hoc nec Angeli quidem in corde facere potuerunt, sed superbierunt & ceciderunt. Ad quod etiam dicit Boetius: *Cum omnis fortuna timenda sit, magis tamen timenda est prospera, quam aduersa.* Difficilius est humilitatem in honore & existimatione, & magnis dignitatibus, quam in contumeliis, & abiectis & vilibus officiis seruare, hæc enim secum humilitatem adferunt, illa vero superbiam & vanitatem scientia & alia inflant & euanescere faciunt. Hinc est, quod sancti dicunt, esse magnorum & perfectorum virorum humilitatem, posse inter magna dona & gratias quæ à Deo accipiunt & inter mundi honores humilem esse.

Magnanimus honores humanos respuit intentus virtuti.

Magnanimus per infamiam & bonam famam ad virtutem grassatur.

Philip. 4.12. 2.Cor.6.8.

Boetius.

Difficilius est inter honores seruare humilitatem quam inter contumelias.

Narratur de Sancto Francisco quid, quod valde diuersum esse videtur, dum lutum pedibus calcare incipiebat, vt honorem vitaret, quo illum recipiebant. Dum quodam tempore vicum quendam intraret, honore magno ab incolis excipiebatur, ob opinionem, quam de sanctitate conceperant, & omnes habitum, manus & pedes osculabantur, ipso nullo modo resistente. Socius, qui cum illo erat, putabat illum eo honore delectari; adeoque tentatio illa crescebat vt postea illi diceret. Respondet Sanctus: Frater, hi nihil plane faciunt, si comparetur cum eo, quod ipsis incumbit. Socius amplius hac responsione scandalizatus est, quod mentem eius non intelligeret.

1 p.l 1.c.37. Chronic.S. Francisci.

Tunc ait illi Sanctus: Frater, omnem hunc honorem, quem vides fieri, non mihi sed Deo adscribo, cui proprius est, cum mihi exacte perspecta sit mea vilitas & abiectio, ipsique sibi commodant & viles sunt, quod Deum in creatura sua venerentur. Mirabatur socius sancti perfectionem & abunde sibi satisfactum putauit. Idque merito, nam si quis Sanctus habeatur (qui omnium honorũ, qui alicui exhiberi possunt, maximus est) & sciat omnem huius gloriam Deo dare, vt debet, & nihil sibi attribuat, nec illi quid

Humilis S. Franciscus honorẽ omnẽ sibi exhibitũ in Deum referebat.

adhæreat huius dulcedinis, nec ea delectetur, sed integer in humilitate & abiectione sua permaneat, quasi nihil horum possideret, & quasi honor non illi, sed alteri exhiberetur, altissima hæc sane perfectio & profundissima humilitas.

Humilitati studendum est iis qui sunt lucerna mundi.

Vt ad hanc humilitatem Dei gratia perueniamus, omnes nobis nerui intendendi, qui sumus vocati, non vt in tenebris lateamus, vel sub modio abscondamur, sed in sublimi vt ciuitas supra montem posita, & lucerna super candelabrum ad illuminandum & lucem mundo inferendam, ponamur. Ad quod opus bona iaci fundamenta, &, quantum ad nos attinet, desiderare contemni & parui pendi, vtque id ex profunda nostræ miseriæ vilitatis & nihil cognitione nascatur, quā habebat Sanctus Franciscus, dum lutum pedibus calcaret, vt fatuus haberetur. Ex qua propria sui cognitione vt desiderium contemptus oriebatur; eodem modo ex eodem nascebatur, vt dum honoraretur, & homines habitum & pedes oscularentur, ipse non superbiret, nec pluris se faceret, & tam integer sua in humilitate & abiectione perstaret, quasi nihil ipsi honoris exhibitum fuisset, cum totum in Deum referret & transfunderet. Et ideo quamuis duo hi Sancti Francisci actus sibi repugnare videantur, tamen ex eadem radice & eodem humiliatis spiritu procedebant.

Humilis S. Franciscus lutum pedib. subigebat, Vt pro fatuo haberetur.

Humilitas honores reiicit simul, & recipit.

Capvt XXXVII.

De aliis bonis & commodis, quæ in hoc tertio humilitatis gradu reperiuntur.

1. Par. 29.14. *Tva sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Verba hęc dicebat Rex Dauid, postquam auri & argenti plurimum, & multum materiæ templo ædificando parauerat, & Deo obtulerat. Idemque nobis in omnibus bonis operibus faciendum & dicendum: Domine omnia bona nostra opera sunt tua, ideoque tibi reddimus, quod accepimus. Recte ait Sanctus Augustinus: *Quisquis tibi enumerat merita sua, quid tibi enumerat, nisi munera tua,* quæ à te accepit? hæc tua infinita bonitas & liberalitas tua est, qui vis dona & beneficia tua nobis noua merita esse, & dum nostris seruitiis satis facis, compensas tua beneficia, & pro vna gratia aliam das, & pro vno beneficio aliud: *Gratiam pro gratia.* Non satis est Domino, vt altero Ioseph triticum nobis dedisse, nisi & pecuniam & precium, quo emptum est, dederit. *Gloriam & gratiam dabit Dominus.* Quicquid est, Dei donum est, & ei totum est adscribendum & reddendum.

Deo bona omnia in acceptis referenda.

Aug. l.9. Confess. c.13.

Merita hominū sunt Dei munera.

Ioan. 1.16.

Deus dat gratiam pro gratia gratiam & gloriam, sicut Ioseph dedit frumentum & pretium, quo emptum erat.

Psal. 83.12.

Inter omnia bona & commoda, quę in tertio hoc humilitatis gradu reperire est, hoc vel vnum merito ponitur, quod sit gratitudo & gratiarum actio pro beneficiis à Deo acceptis. Luce meridiana clarius est, quam in Sacra Scriptura commēdetur & æstimetur hæc gratiarum actio, cum aduertamus, dū ipse aliquod in populum suum conferebat beneficium, statim monumētum vel festum aliquod instituebat in gratitudinis signum; tam refert illi gratum esse, vt noua ab illo beneficia & gratias recipiamus. Quod aptissime fit tertio hoc humilitatis gradu, qui (vt dictum est) in eo consistit, vt homo nihil sibi boni adscribat, sed totum Deo, & ipsi omnem gloriam det. Et in hoc sita est vera & sincera gratiarum actio & gratitudo; non in eo vt ore tenus dicas: Ago tibi Domine gratias pro beneficiis tuis, quāuis & ore Deus laudandus sit, & ei gratiæ agendæ: si tamen id solum ore fiat, non illi gratiæ actæ sed solum dictæ fuerint. Vt ergo Deo non solum gratiæ dicantur, sed & agantur, & non solum ore sed & corde & opere fiant; necesse te nosse, quicquid boni habes, à Deo esse, & illi reddere & totum attribuere, de omnibus gloriam dās, & te de nullo extollens? hoc enim modo se honore spoliat, & videt suum non esse, & totum Deo cuius est dat.

Humilitatis est Dei dona agnoscere, pro iis Deo gratias agere.

Ex animo Deo gratias agit pro beneficiis, qui eadem Deo refert accepta.

Idipsum est, quod nos in Euangelio mone-

monere volebat Christus Seruator noster dum decem illos leprosos curauit, & vnus solus rediit, vt de beneficio accepto gratias ageret: *Non est inuentus, qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Et filios Israel Deus monens gratitudinis, & ne acceptorum beneficiorum obliuiscerentur, hoc modo eos hortatur: *Obserua & caue, ne quando obliuiscaris Domini Dei tui, & eleuetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti.* Caue Dei obliuiscaris, dum in terra promissionis in magna temporalium, ædium, hereditatum & pecorum prosperitate & abundantia eris. Caue ne cor vestrum tunc extollatur, & ingrati sitis, & dicatis vos fortitudine & diligentia vestra hæc acquisiuisse. *Fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt.* Hoc est Dei obliuisci, & maxima omnium ingratitudo, si quis Dei dona sibi arrogat. Noli nec tale quid cogitare. *Sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit, vt impleret pactum suum,* quodq; hæc ob merita tua non fecerit, sed vt cõpleret promissionem suam, quam liberaliter fecit antiquis illis patribus. Hæc est gratitudo gratiarum actio & laudis sacrificium, quod Deus Dominus noster honorari vult pro beneficiis & gratiis nobis collatis. *Sacrificium laudis honorificabit me:* Hocque illud est S. Pauli: *Regi sæculorum immortali & inuisibili, soli Deo honor & gloria.*

Luc. 17.18. Obliuiscitur Dei, qui diuina non agnoscit beneficia. Deut. 8.11. 14.17.

Hinc aliud sequitur bonum & magna vtilitas, quod quamuis vere humilis multa Dei possideat dona, ob quæ multum à mundo æstimetur & extollatur, ipse tamen propterea maioris se non facit, sed tam in vilitatis suæ cognitione persistit, quasi horũ nihil in illo reperiretur. Quod optime norit discernere, quantum inter alienum & suum intersit, & suum cuique tribuere & beneficia & dona à Deo accepta non vt sua sed aliena & mutuo data, intuetur, semper oculos dirigit in propriæ fragilitatis & miseriæ cognitionem, & id, quod foret, si Deus manum ei substraheret, & eam non semper teneret & conseruaret. Quoque plura à Deo dona recepit, tanto se plus confundit & humiliet. S. Dorotheus ait: Vt in arboribus valde pomis oneratis, fructus ipse deprimit & incuruat ramos, & subinde etiam pondere frãgit & rumpit: ramus vero qui nullum fructum habet erectus & in altum sublatus est: & vt spicæ, dum triticam & maturitatem vergit, tam se inclinant, vt calamus ipse rumpi videatur: dum vero spicæ erectæ sunt malum est signum, & indicium, quod inanes & vacuæ sint. Idem in spiritualibus acccidit, vbi illi, qui vacui & sine fructu sunt, erecti & eleuati incedunt, se quid esse pũtantes: illi vero, qui fructu & Dei donis onusti sunt, magis humiliantur & confunduntur.

Humilis ex Dei donis non extollitur.

Doroth. ser. de humilit. Humilis quo plura Dei dona habet, eo magis se deiicit, sicut arbor onusta fructibus incuruescit.

Superbus Dei donis vacuus extollitur, sicut arbor vacua fructibus.

Ex ipsis Dei donis & beneficiis maiorem serũi Dei se magis humiliandi, confundendi & in timore viuendi occasionẽ captant. Dicit S. Greg. vt ille qui mutuo accepit magnam pecuniæ summam, ita de de acceptis nummis gaudet, vt lætitia illa minuatur, si cogitet, se obligatum illos restituere, & curam & sollicitudinem adfert, si tempore præfixo creditori suo satisfacere poterit: Idem & humili contigit, quo enim plura à Deo dona accipit, tanto se plus Deo debere agnoscit, & plus se illi obligatum ad seruiendum, & videtur se maioribus hisce gratiis maiori seruitio non respondere, nec maiori seruitio maiori gratitudine non satisfacere, & credit & sibi persuadet, quod cuicunq; Deus dedisset, quod in eum contulit, eundem eo melius vsurum fuisse, & meliorem & gratiorem illo futurum. Hæcque vna illarum considerationum est, quæ seruos Dei multum humiliat & confundit, sciunt enim à Deo non solum exigendam peccatorum cõmissorum sed & donorum receptorum rationem, sciuntque cui multum datum, ab eo & multum petendum, & cui plus iniunctum, plus & exigendum. *Omni autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo, & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo:* dicit Christus Seruator noster. Abbas Macarius ait, humilem Dei dona

Gregor. l. 22. mor. c. 5. & ho. 9. in Euan.

Luc. 12.48.

Humilis ob talenta non gloriatur. Macarius.

dona aspicere, vt Depositorium & Thesaurarium domini sui bona, qui ob illa non vane gloriatur, sed potius timet & sollicitus est, ob rationem, quam scit sibi reddendam, si sua culpa amittantur.

Humilis vilipendit neminem. Ex his aliud bonum & commodum oritur, quod vero humilis neminem spernat & vilipendat, etiamsi illum in multa peccata & culpas labi cernat, nec ideo superbit, nec se aliis præfert, sed inde potius maioris humilitatis occasionem captat, dum videt alium labi aduertit enim se & lapsum ex eadem esse massa, & altero labente se cadere, quantum ex se est.

Aug. in soliloq. c. 15. Vt enim Sanctus Augustinus ait, non est peccatum, quod vnus committit, quod alter committere non posset, si manus Domini misericorditer illum non retineret. Ideoque quidam sanctorum Patrum audiens aliquem cecidisse amare flebat & dicebat: *Ille hodie, & ego cras*, quoniam & ego fragilis homo sum. *Homo sum, & humanum nihil à me alienum puto:* & quod lapsus non sim, singulari Dei beneficio adscribo. *Dolere ob lapsum alterius.* Vtque suadent Sancti si videamus cæcum, surdum, claudum vel infirmum, hæc omnia mala nostra reputemus beneficia, & Deo gratias agamus, quod nos non fecerit cęcos, surdos, claudos vel infirmos, vt alios; sic & de omnium hominum peccatis existimandum est, nam in omnia illa labi potuissemus, nisi Dominus infinita sua misericordia nos liberasset. Hac ratione serui Dei in humilitate se conseruant, nec proximos contemnunt, nec alicui irascuntur, licet in multos errores, & peccata eum labi videant, secundum illud Sancti Gregorii: *Vera iustitia compassionem habet, falsa iustitia dedignationem*: quibus & illud Sancti Pauli memoria tenendum: *Considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Ne forsitan & Dominus illos in eodem, quod damnant, tentari permittat & suis expensis experiantur, quanta sit humana fragilitas, quæ huius culpæ pœna esse solet. In tribus (dicebat quidam seniorum patrum) iudicaui proximos & in tria hæc lapsus sum: *vt sciant gentes, quoniam homines sunt*, & discamus neminem iudicare nec spernere. *Psal. 9. 21.*

Greg. hom. 34. super Euang.
Galat. 6. 1.
Refert Cassia. l. 5. de insti. tenwn. c. 3. de Abate Macheto.

Caput XXXVIII.

De magnis beneficiis & gratiis, quæ Deus humilibus præstat & quid causæ, quod tam eos extollat.

Venerunt milli omnia bona pariter cum illa. *Sap. 7. 11.* Hæc sunt Salomonis verba Dei diuina sapientia, cum qua sibi bona omnia aduenisse dicit. Sed & humilitati apte applicari possunt, & dici quod cum illa bona omnia veniant, quia & idem Sapiens, vbi humilitas est, esse & sapientiam: *Sapientia datur humilibus.* *Vbi est humilitas, ibi & sapientia.* *Prou. 11. 2.* Et alio loco dicit, habere humilitatem summam esse sapientiam & Propheta Dauid, Deum humilibus dare sapientiam. *Sap. 8. 21.* *Sapientiam præstans paruulis.* *Psal. 18. 8.* Adhæc S. Scriptura id in propriis terminis tam in veteri quam nouo docet testamento, promittens aliquãdo humilibus, aliquando paruulis, aliquando pauperibus spiritu (hoc nomine designans vere humiles) magna Dei dona & gratias: *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu & tremẽtem sermones meos.* *Esai. 66. 2.* In hunc dirigit Deus oculos, vt gratias illi largiatur & bonis repleat. Et Sancti Apostoli Petrus & Iacobus in suis Canonicis dicunt: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*: *1. Pet. 5. 5.* *Iacob. 4. 6.* Idemque sanctissima Angelorum Regina in suo cantico docet. *Luc. 1. 56.* *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles: Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* Idem antea prædixerat Propheta Dauid: *Quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis:* *Psal. 17. 28.* Idq; quod Christus in Euangelio ait: *Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* *Luc. 14. 11.* Vt aquæ, quæ in valles defluũt. *Qui emittis fontes in conuallibus*: sic & plu- *Psal. 103. 10.*

uiæ

uiæ diuinæ gratiæ ad humiles descendunt. Vtque valles, ob abundantiam aquarum, quas in se colligunt, solent fertiliores esse & fructibus abundantes, *& valles abundabunt frumento*: sic & abiecti & depressi in propriis oculis, cuiusmodi sunt humiles; proficiunt, & multum fructum adferunt ob multa dona & gratias, quæ à Deo acceperunt. Ait Sanctus Augustinus, quod humilitas Deum ad se trahat. *Altus est Deus, humilias te, & descendit ad te, erigis te, & fugit à te. Quare quoniam excelsus est & humilia respicit & alta à lõge cognoscit.* Scis causam, ait Augustinus, Deus teste Regio propheta altus & supremus est Dominus, & humilia respicit, & illos respicere, est illos bonis implere, & alia à longe cognoscit, vt enim dum quẽ à longe videmus, non illum cognoscimus sic nec Deus superbos cognoscit, vt illis gratiam largiatur. *Amen dico vobis, nescio vos*: Dicit Deus impiis & superbis. Dicit S. Bonauentura, sicut cera mollis valde disposita est ad sigillum recipiendum, quod imprimere volumus, sic & humilitas animam disponit ad virtutes & Dei dona recipienda. In cõuiuiis illis, quæ Ioseph fratribus suis parauit, minimus meliorem habebat portionem.

Psal.64.14.
Humilitas Deum ad se trahit.
Aug ser.2. de Ascẽsione.
Matt.25.12.
Bonauent. in spec. disciplin. ad nouitios §.3.
Gen.43.34.

Sed videndum, quid causæ sit, quod Deus humiles tam extollat, & tantis gratiis cumulet. Causa est, quod omnia ad Deum redeant, nam humilis nulla in re se extollit, nec quicquam sibi adscribit, sed totum in Deum refert & illi omnem gloriam & honorem dat. *Quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur*: His enim (dicit Deus) fidere licet bona nostra, & nostra dona dare, nobis enim non repugnabant, nec sibi attribuent: ideoque cum illis Deus tanquam re propria agit, quod omnis gloria & honor illi cedat. Idem & apud nos videre est, nam magnus aliquis princeps & Rex glóriatur & magnum dicit, si à terra suscitet pauperem, & eum faciat, quod non erat, nec habebat, in hoc enim magis apparet liberalitas & magnitudo Regis, & postea dicitur factura illius esse.

Cap.10.tract. 4.cap.5.
Humilis prædicatur, vt laus illa ad Deum redeat.
Eccl.3.21.

Ideoque ait Sanctus Apostolus Paulus. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis*, qui vasa fictilia sumus.

2.Cor.4.7.

Hincque est, quod Deus humiles tam extollat, & tot beneficiis donet, & superbos admittat inanes nam superbus multum sibi fidit, suæque diligentiæ & industriæ nititur, & sibi multa adscribit & vane in his gloriatur, si prospere negocium cedat, quasi suis viribus & diligentia confectum foret, idq; totum Deo substrahit, se gloria & honore eo extollens, qui solius Dei est. Simulatq; in oratione stamus & aliquid oriatur deuotionis, & vel vnica fluit lachrymula, videmur nobis spirituales & deuoti esse.

Et subinde etiam nos aliis præferimus, & videntur alii non tam profecisse vel non tam spirituales esse, nec eo peruenisse. Idque causa est, quod maiorem à Deo non referamus gratiam, imo subinde & auferat, quod ante dederat, ne bonum nobis male vertatur, nec salus in infirmitatem, theriaca in venenum, & ne accepta dona & beneficia maiori nobis condemnationi sint, eo quod iis male vtamur. Vt enim ægro, qui ex stomacho laborat, non datur cibus, quantumuis bonus, vt gallina, vel aliud simile, nisi parum admodum, quod vires non habeat ad plus digerendum & si plus detur, damno erit, & in malos humores mutabitur.

Superbia priuat nos gratia.

Oleum illud Elizei prophetæ non cessabat fluere, nisi vasis deficientibus, in quæ reciperetur; quibus non præsentibus dicit Sacra scriptura: *stetitque oleum*: huiusmodi & est oleum diuinæ misericordiæ, quod limitem ex se non habet, nam ex Dei parte eius gratiæ & misericordiæ terminum non habent. *Non est abbreuiata manus Domini*, nec conditio eius mutata est, Deus enim non mutatur, nec mutari potest, sed semper in eodem statu permanet, & plus petit ille dare, quam nos accipere. Defectus ex nostra est parte, quod vasa vacua non habeamus, ad Dei gratiarum

Oleum non deficiens est misericordia Dei.
4.Reg.4.6.
Esai.56.1.

& misericordiarum oleum recipiendum, valde pleni nostri ipsorum sumus, & multum mediis nostris confidimus. Humilitas & sui cognitio hominem à se ipso liberat & expedit, facitque vt sibi non fidat, & humana omnia media reiiciat, nihilque sibi attribuat sed totum Deo, & huiusmodi pleno cornu & manu gratias confert. *Humiliare Deo, & expecta manus eius.*

Eccl.13.9.

Capvt XXXIX.

Quantum conferat nos ad humilitatem dare, vt ea suppleamus, quod in virtute & perfectione deest, & cur Deus non nos castiget & humiliet.

Ber. serm. de diuersis serm. 26.

Sanctvs Bernardus ait: *Stultus est, qui confidit, nisi in sola humilitate, quia apud Deum, fratres, ius habere non possumus, quoniam in multis offendimus omnes:* ideoque ius nullum habemus, nisi vt castigemur. Si homo cum Deo intrare voluerit in iudicium dicit Iob: *non poterit ei vnum respondere pro mille, Quid ergo restat, nisi ad humilitatis remedia tota mente confugere, & quicquid in aliis minus habemus, de ea supplere.* Et eo quod remedium hoc magni ponderis sit sæpius à Sancto repetitur his & similibus verbis: *Quicquid vero minus est feruoris, humilitas suppleat pura confessionis.* Quicquid deest bonæ conscientiæ, verecũdia & quicquid feruoris & perfectionis, confusione supple. Et Sanctus Dorotheus inquit Abbatem Ioannem hoc multum commendasse & dixisse: *Humiliemus nos paulisper, vt salutem animæ nostræ consequamur, & si propter imbecillitatem laborare non possumus, humiliare saltem nos ipsos studeamus.* Fratres mei, dum post multa commissa peccata, te inhabilem defectu sanitatis, ad multa pœnitentiæ genera peragenda, sentis recta & plana humilitatis via incede, aliud enim aptum medium non inuenies ad salutem tuam. Si tibi videare in orationem te non posse intrare, in tui confusionem intra & si videare tibi talentum ad magna non habere, humilitatem serua, & ea omnium defectu supplebis.

Humilitas supplet omnes defectus.
Iob.9.3.
Bern. serm. de nat. Ioa. Bap. & de interiori domo c.37.
S. Doroth. de humilit.

Consideremus hic, quam parum requiratur, & quod paucis Deus contentus sit. Petit nostræ vilitati nos conformemus, vtque nos noscamus & humiliemus. Si Deus magna ieiunia, austeras pœnitẽtias, altas contemplationes exigeret, possent se aliqui excusare, dicentes se ad vnam vires non habere, nec ad aliud talentum & habilitatem. Sed num humiliare nos non possumus? hic nulla valet ratio nec excusatio. Non licet tibi dicere, te robur & vires vt te humilies, vel ad id talentum vel habilitatem non habeas. *Nihil facilius est volenti, quam humiliare semetipsum:* dicit Sanctus Bernardus. Hoc omnes possumus, & satis materiæ ad hoc intra nos habemus. *Humiliatio tua in medio tui.* Confugiamus ergo ad humilitatem, & confusione suppleamus quod nobis deest perfectionis, hacque ratione Dei præcordia ad misericordiam & veniam flectemus. Licet pauper sis, esto humilis, hocque modo Deum mouebis & ei satisfacies de tribus, quæ Deo exosa sunt, ponit Sapiens pro primo, *Pauperem superbum*, qui & homines offendit.

Bern. ser. 2. de ieiunii.
Mich.6.14.
Ecclef.25.4.

Præterea humiliemus nos, ne nos humiliet Deus, quod sæpius facere solet. *Qui se exaltat, humiliabitur.* Si ergo non vis, te humiliet Deus, humilia teipsum. Quod sane consideratione dignum punctum, quodque iustum examen meretur. Sanctus Gregorius ait: *Plerumque omnipotens Dominus rectorum mentes quamuis maiori ex parte perficit, imperfectas tamen in aliquibus esse permittit, vt videlicet miris virtutibus rutilent, imperfectionis suæ tædio tabescant, & de magnis se non extollant, dum adhuc contra minima innitentes laberentur. Denique cum extrema vincere non valeant, de præcipuis actibus superbire non audeant.* Nosti, quantum Deus humilitatem

Luc.18.14.
Imperfectiones permittit Deus perfectis ne extollantur.
Greg. in past. 4 p. in fine. & l.34. mor. c. 15. & l.3. dial. c.34.
In venialia peccata labũtur aliqui ne superbifiant.

litatem amet, quantoque odio prosequatur superbiam & præsumptionem? tum odit, vt permittat, vt in peccata venialia & paruos defectus labamur, vt hic nos doceat, quandoquidem nobis à paruis peccatis & tentationibus cauere nō possumus, & quotidie nos labi cernamus in parua & facilia superatu, nobis certo persuadeamus, vires nobis non suppetere ad maiora superanda, & ideo in magnis non superbiamus, nec quid nobis adscribamus, sed semper simus in timore & humilitate, à Deo gratiam & auxilium postulantes. Idem Sanctus Bernardus docet, estque communis sanctorum doctrina Sanctus Augustinus in illa Sancti Ioannis verba: *Et sine ipso factum est nihil*, & S. Hieronymus in illa Ioel: *Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo & eruca*, Deum, vt hominem humiliaret, & eius superbiam contunderet, viles, & paruos vermes & hæc animalcula creasse, quæ nobis tam molesta sunt. Et poterat Deus, vt superbum Pharaonis populum subiugaret, immittere vrsos, leones & serpentes; sed eorum superbiam vilissimis animalculis, vt muscis, culicibus & ranis, vt eos humiliaret, domare voluit. Vt ergo humiliemur & confundamur, permittit Deus, vt nos impugnent prauæ tentationes, & muscæ, & reculæ, quæ nihil omnino ponderis habere videntur Si attente consideremus & subsistamus in eo, quod nos turbat & inquietos reddit; reipsa reperiemus illa huiusmodi esse, vt bene excussa nihil momenti & substantiæ habeant: nescio quod verbulum mihi dictum sit, & quamobrem sic mihi sit dictum, vel cur videantur nihili me fecisse. Ex musca per aera volante, solet aliquando quis turrem venti exstruere, & vnum alteri addendo, sese inquietum reddere. Quid futurum censes, si Deus tigrim leonemue emitteret, dum tam te turbat musca, quid fieret, si grauis aliqua ingrueret tentatio? Tali mōdo ex his eruenda maioris humilitatis & confusionis materia. Sique hanc eruis, ait Diuus Bernardus; *Pia dispensatione nobiscum agitur, vt non penitus auferantur*, multum enim ad conseruandam humilitatem conferunt.

Bern. de 4. modis orandi & serm. in cœna Domini Aug. tract. 1. sup. Ioan. Ioa. 1. 3. Hieronymus. Ioel. 2. 25.

Confundit nos Deus paruis.

Bern. serm. in cœna Domini.

Sed si minuta hæc non sufficiunt, sciendum Deum vlterius progressurum quod carissime emes, quod solitus est facere. Tanto odio superbiam & præsumtionem prosequitur, & tam humilitatem diligit, vt sancti dicant Deum *iusto & secreto suo iudicio*, permittere, vt quis in mortale peccatum labatur, vt se humiliet, & quamuis in non quodcunque, sed in carnalia peccata, quæ sunt omnium turpissima & inhonestissima, quo sic se plus humiliet Deus (aiunt) manifesta luxuria occultam punit superbiā: ad quod probandum allegant id quod Sanctus Paulus de superbis ait philosophis, quod Deus propter superbiam tradidit in cordis sui desideria: *In immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis, in passiones ignominiæ.* Lapsi sunt in inhonesta, turpissima & nefanda crimina, permittente Deo, vt sic humilientur & confundantur, videntes se bestias, vt Nabuchodonosor, factos animo, conuersatione & commercio cum bestiis. *Quis non timebit te ô Rex gentium*? Quis non tantam pœnam horrebit? nulla enim, inferno excepto, maior. Imo & inferni peius est peccatum. *Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?*

Greg. l. 26. mor. cap. 13. Isido de summo bono l. 2. c. 39. ad Rom. 1. 24.

Ierem. 10. 7.

Psal. 89. 11.

Aduertunt sancti duplici Deum ad nos misericordiæ genere vti, magno videlicet & paruo. Misericordia parua est, dum in parua miseria succurrit, cuiusmodi est temporalis, quæ solum corporis est: magna vero misericordia dicitur, dum magna in miseria, quæ in spiritualibus accidit, auxilio nobis est. Ideoq; Dauid, dum hac in miseria se videret à Deo desertum ob adulterium & homicidium commissum, magna voce exclamat & magnam à Deo misericordiam efflagitat, dū ait: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Dicunt quoque in Deo magnam vt paruam iram esse; paruam eam vocant, dum hic temporali punit aduersitate, bonorum & sanitatis amissione, &

Psal. 50. 3.

Ira Dei duplex.

ne, & similibus quæ solum corporis sunt: iram vero magnam, dum pœna, etiam vsque ad animæ interiora penetrat, secundum illud Ieremiæ: *Ecce peruenit gladius vsque ad animam*, & illud, quod Deus per prophetam Zachariam dicit: *Ira magna ego irascor super gentes opulentas*: Dum aliquem deserit Deus & permittit labi in lethalia peccata in aliorum peccatorum pœnam; hæc magna Dei ira est, hæc furoris diuini, non patris, sed iusti & seueri Iudicis vulnera. De quibus illud Ieremiæ intelligi potest: *Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli.* Ideoque ait Sapiens: *Fouea profunda os alienæ, cui iratus est Dominus, incidet in eam.*

Ierem.4.10. *Zach.1.15.* *Prou.22.14.*

Superbia deformitas.

Denique tantum malum est superbia tamque Deo exosum, vt sancti dicant, subinde superbo bonum & vtile esse, vt Deus hac eum pœna afficiat, vt tali modo à superbia, quam habet, sanetur. Ideoque ait Sanctus Augustinus: *Audeo dicere superbis esse vtile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, vnde sibi displiceant, qui tam sibi placendo ceciderunt*, quamuis non senserant secundum illud Sapientis: *Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus.* Idem asserunt Gregorius & Basilius. Quærit Sanctus Gregorius occasione peccati Dauid, cur Deus, quos elegit & ad vitam æternam prædestinauit, & suis variis donis cumulauit, aliquãdo in peccata & aliquando carnalia & turpia labi permittat? Respondet causam esse, quod qui præclara sunt dona adepti, in superbiam cadant, quæ aliquando ita visceribus implexa est, vt ipsi etiam non aduertant, quodque ipsi sibi grati & fidentes, tales & se Deo esse existiment. Vt Sancto Apostolo Petro contigit, qui verba illa, quæ proferebat, superbiam non olere putabat. Quamuis omnes scandalizentur, ego nõ scandalizabor, sed potius magnam animi fortitudinem & magnum in Magistrum suum amorẽ. Ad huiusmodi ergo tam secretas & simulata, superbias in quas quis lapsus est & non cognoscit, sanandas; permittit Deus, vt talis in exteriora & manifesta peccata turpia & inhonesta labatur, hęc enim cognitu faciliora, & manifestiora, hincq; intelligit aliud illud occultum superbiæ malum, quod ante non aduertebat, & curare non satagebat, & se perdidisset, & manifesto illo lapsu agnoscit, & coram Deo humiliatus pro vno & altero pœnitentia satisfacit, & vtrique malo medetur. Vt videre est in Sancto Petro, qui per exteriorem & manifestum lapsum venit in occultæ superbiæ, quam habuerat, cognitionem, & defleuit & deleuit vtrumque peccatum; sicque illi lapsu vtilis fuit. Idem & Dauid vsu venit, ideoque dicit Psalmo 118. versiculo 71. *Bonum mihi quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.* Carissime mihi Domine stetit, & fateor, sed bonum mihi fuit, quod me humiliaueris, vt discam qua ratione mihi posthac seruiendum sit tibi, nec mihi fidere. Vt dum expertus medicus non potest toti dolori mederi, quod humores maligni & rebelles sint, quos digerere & superare non potest, studet illos exterius euocare, & per exteriores partes propulsare, vt tãto dolorem facilius sanet. Sic & Deus vt curet arrogantes rebelles animas, in graues & exteriores culpas easdem labi permittit, vt se sic agnoscant & humilient, & exteriora deiectione curetur malignus & pestilens ille humor interior. Verbum hoc est, quod facit Deus in Israel vt omni, qui hoc audierit, tinniant timore aures eius. Hæ magnæ sunt Dei punitiones, quæ suo auditu tremere carnes faciunt.

Aug l.14.de ciu.c.13.& ser.53.de ver. Domino.

Qui ignorantes superbiunt vt corrigantur in grauia sæpe labuntur scelera. Mat.26.33.

D. Petrus post lapsum superbiam suam agnouit.

Ierem.9.3.& 1.Reg.3.11.

Cum tamen Deus tam benignus & misericors sit, hac tam rigida pœna nec hoc tam infelici & lamentabili medio in hominem non vtitur, nisi ante suauioribus & facilioribus mediis vsus sit. Mittit ante alias occasiones, & dulciores medicinas & remedia experitur, vt nos humiliet, aliquando infirmitatẽ, aliquãdo contradictionẽ, & detractionẽ, aliquãdo ignominiã, & vt quis honore & dignitate sua exuatur. Dũq; hæc tẽporalia nobis humiliãdis

Grauius hominem Deus punit paulatim si suauiter nolit redire in gratiã.

dis non sufficiunt, ad spiritualia recurrit, incipiendo à paruis, & post graues & vehementes tentationes permittendo, talesque, vt nos eo perducat, vt dubitemus an consentiamus nec ne: vt quis sic aduertat & experiatur, quod ex se nec suis viribus illas vincere non posset, sicque vsu ipso intelligat & experiatur suam fragilitatem, quamque opus illi sit diuino auxilio, & viribus propriis diffidat, & se humiliet dumque omnibus his remediis non proficitur, accedit aliud illud tam rigidum & carum, vt permittatur homo in lætale crimen labi, & à tentatione superari. Tunc superuenit titio ille inferni ignis quo sic tandem iam oculis fractis intelligat homo, quis sit, & se humiliet, quod ante clementia facere noluit.

Ex prædictis facile cuiuis intelligere erit, quanti intersit nostra humiles esse, nec nobis fidere, nec præsumere. Vt sic quisque se excutiat, & videat, qua ratione occasionibus vt se humiliet, à Deo immissis vtatur, qui vt pater & medicus, clemens ea prius vsurpat, ne postea mediis illis rigidis & tam caris opus sit. Castiga me Domine castigatione paterna, sana superbiam laboribus, infirmitatibus, ignominiis & iniuriis, & cuiuscunq; generis volueris, humiliationibus, nec permitte me in mortale peccatum labi. Da diabolo veniam, vt me tangat in honore, sanitate & bonis, & me alterum faciat Iob: *Veruntamen animam meam serua.* Sic tamen ne te Domine à me separes, nec permittas me à te separari, hoc enim modo nulla tribulatio, quæ mihi aduenerit, me damnabit; sed potius mihi proderit ad humilitatem parandam, qua tantopere delectaris.

Iob. 2. 6.

Thomas à Kempis.

CAPVT XL.

Supra dicta aliquot exemplis confirmantur.

Seuer. Sulpit dial. 1. §. 14.

NARRANT Seuerus Sulpitius & Surius in vita S. Seuerini Abbatis, de sancto quodam viro virtutibus & miraculis claro, quod ægros sanauerit, dæmonia ex corporibus eiecerit, & alia miranda fecerit. Quam ob causam ex omnibus orbis partibus, ad eum visendum accurrebant magnates & Episcopi, qui magnū bonū ducebant, si vestitum eius tangere, & ab eo accipere benedictionem liceret. Sentiebat sanctus ob hæc animum eius vanitatem aliquam incipere intrare. Et partim aduertens quod populi concursum impedire nequiret, partim quod se importunitate vanarum harum cogitationum expedire non posset, multum dolebat & affligebatur. Quodam die orationi se dans multa cum instantia à Deo petebat, vt remedium aliquod huic tentationi adferret: & vt in humilitate persistere posset, permitteret diabolo, vt corpus eius intraret ad aliquod tempus, & vt alios ab eo possessos vexaret. Exaudit Deus eius orationem, & ingreditur illum diabolus, & horrore & admiratione dignum erat, eum, cui paulo ante possessi à dæmonibus adducebantur, vt eos curaret, videre nunc cathenis vinctum & possessum & furentem, & duci ad alios, vt exorcizaretur, & de eo fieret, quod solet similibus contingere. Sicque habitus fuit quinque menses, quibus finitis sanatus & liberatus fuit, non solum à diabolo, qui corpus eius intrauerat, sed & à superbia & vanitate, quæ animam eius subierat.

Surius 8. die Ianuarii.

Sanctus à dæmone obsideri obtinuit vt humiliaretur.

Simile refert Surius exemplum, dicitque S. Abbatem Seuerinum in suo monasterio habuisse tres monachos arrogantes, & superbia vanitateque infectos: cuius eos quidem monuerat, sed ipsi in malo perseuerabant. Sanctus, cui nihil tam cordi erat, quam vt se corrigerent & essent humiles, cum lachrymis Deum precabatur, illos corriperet, & manu sua castigaret, vt vel sic se emendarent & humiliarent. Et antequam ab oratione desistebat; permisit Deus, vt tres diaboli illos intrarent & vexarent, & illi clamoribus, suam proderent superbiam & cordis tumorem. Pœna sane culpæ propor-

Surius, vt supra.

Superbi à dæmone obsidentur & emendantur.

tionata, vt spiritus superbiæ intrarent superba & vanitate plena corpora. Et quandoquidem nouerat Deus, nihil tam ipsis humiliaturum, fuerunt hoc in statu quadraginta dies, quibus finitis rogabat Deum sanctus Abbas, eos à dæmone liberaret; quod & impetrauit, & fuerunt sanati corpore & anima, & hac punitione à Deo humiliati.

Cæsarius l. 4. dialogorum c. 5.

Refert Cæsarius ad quoddam Cisterciensis ordinis monasterium quendam à dæmone obsessum adductum fuisse, vt liberaretur. Exiuit Prior, & adducit secum iuuenem quendam Religiosum, qui apud alios ob virtutis opinionem bene audiebat, & quem Prior virginem & castum sciebat. Dixitq; Prior diabolo: Si monachus hic iubeat te exire; audebisne manere? Respondet Dæmon: Non illum metuo, superbus enim est.

Dæmon non obedit superbis.

Climac. c. 25.

Narrat S. Ioannes Climachus, quod peruersi spiritus quodam tempore cæperint in corde cuiusdam fortissimi Christi athletæ, quia hac in humiliatis virtute decertabat, spargere quasdam laudes. Ipse vero diuina inspiratione motus breuissimum medium, ad malignorum spirituum peruersitatem superandam inuenit & scripsit in cellæ suæ pariete aliquarum maximarum virtutum nomina, videlicet, perfectæ charitatis, profundissimæ humilitatis, Angelicæ castitatis, purissimæ & altissimæ orationis, & aliarum similium. Et incipientibus malis hisce tentationibus mentem eius subire; respondebat diabolis: Eamus ad examen, & lecto nomine profundissimæ humilitatis, Angelicæ castitatis, purissimæ & altissimæ orationis, & aliarum similium. Et incipientibus malis hisce tentationibus mentem eius subire; respondebat diabolis: Eamus ad examen. & lecto nomine profundissimæ humilitatis, respondebat ille: Hanc non habeo, nam profunda contentus essem, nescio an primum gradum consecutus sim. Lectoque charitatis perfectæ nomine dicebat charitatem quidem habeo: sed perfectam ignoro, nam non valde perfecta est, cum fratribus meis aliquando voce alta & morosa loquor. Angelicæ castitatis lecto titulo: minime (dicebat) nam malas multas cogitationes & peruersos motus in me sentio. Orationis altissimæ: non sic est, nam dormis & multum in illa distrahor. Sibique post dicebat, posteaquam omnes has assecutus es virtutes, adhuc tibi dicendum est, te seruum inutilem esse, teque talem reputare, secundum quod dicit Christus seruator noster: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus.* Quid ergo iam es, cum tam procul ab illis distas. *Luc. 17. 10.*

Tentationes dæmonis quidam superat humilitate.

TRA-

TRACTATVS QVARTVS.

De Tentationibus.

CAPVT I.

In hac vita non defecturas tentationes.

FIli accedens ad seruitutem *Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*: ait sapiens S. Hieronymus in illud Ecclesiastæ: *Tempus* (Eccles.2.1. Hieronymus. Eccles.3.8.) *belli, & tempus pacis*, dicit, quamdiu in hoc mundo sumus, tempus belli esse, & postquam ad aliam transierimus vitam, tempus pacis futurum: *Et factus est in pace* (Psal.75.3.) *locus eius.* Vnde nostra hæc ciuitas cœlestis nomen accepit Ierusalem, quod est, visio pacis. *Nemo ergo se nunc putet securum tempore belli, vbi certandum est, & Apostolica arma tractanda, vt victores quondam requiescamus in pace.* dicit quidam (Aug. serm. 45. de tempore.) S. Augustinus in illud S. Pauli: *Non enim* (Ad Rom.7. 15 & 23.) *quod volo bonum, hoc facio*: dicit hic iusti hominis vitam militiam esse non triumphum, ideoque nunc bellicæ voces audiuntur, vt sunt hæ Apostoli sentientis repugnantiam & contradictionem carnis aduersus bonum, & magnam ad malum inclinationem, & desiderantis se ab illa liberari: *Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum. Et video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati quæ est in membris meis.* Vox vero triumphi post audietur, dum, teste Apostolo, hoc corpus corruptibile & mortale induerit incorruptionem & immortalitatem. Et vox triumphi, quæ tunc audiebatur, teste eodem Apostolo, erit: *Absorpta est mors in victoria, vbi est mors victoria tua: vbi est mors stimulus* (1 Ad Cor. 15.53.) *tuus?* Totum hoc verbis illis breuibus concludit Iob: *Militia est hominis vita* (Iob.7.1.) *super terram, & sicut dies mercenarii dies eius.* Vt enim mercenarii est totam diem laborare & se defatigare, & postea sequitur præmium & quies; sic & nobis dies huius vitæ laboris & tentationis plenus est, & post præmium & quietem adipiscemur secundum laborem impensum.

Vt vero in particulari huius certaminis causa examinetur, eam in Canonica (Causa tentationum rebellio carnis. Iacob.4.1.) sua adfert sanctus Apostolus Iacobus: *Vnde bella & lites in vobis? nonne hinc ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* In nobis ipsis habemus causam & radicem, quæ est rebellio & contradictio ad omne bonum, quæ in carne nostra post peccatum mansit. Etiam carnis nostræ terra maledicta fuit, ideoque carduos germinat & spinas, quæ nos continue pungunt & vexant. Allegant ad hoc sancti similitudinem nauiculæ, quam vt dicit S. Euangelium incipiente vela dare ventis, mare turbatum est, & tempestas & vndæ (Matth.8.14.) tantæ ortæ, vt fluctibus tegeretur, qui illam demergere volebant. Idem est de anima nostra, quæ in hac corporis nostri nauicula perforata & hiulca nauigat, quæ & aquam admittit, & venti & vndæ inordinatorum appetituum

tituum & motuum insurgunt, quæ illam demergere & in fundum detrudere tentant. *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam.*

Sap. 9. 5.

Sic vt continuarum tentationum causa sit naturæ nostræ corruptela, & ille *fomes peccati* & praua propensio, quæ nobis post peccatum inhæsit. Mansit domi nostræ apud nos maximus hostis, qui nobis acerrimum mouet bellum. Vnde nihil habet homo, quod miretur, dum se à tentationibus molestatum sentit, est enim Adæ filius, natus & conceptus in peccato. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea:* & non potest esse sine tentationibus & malis inclinationibus, & appetitibus, quæ continuum illi moueant bellum.

Tentationibus subiacemus omnes.

Psal. 50. 7.

Hincque recte aduertit S. Hieronymus, in oratione quam Christus Dominus noster nos docuit, non dici, vt petamus à Deo ne tentationes habeamus, id enim fieri non potest. *Impossibile enim est humanam animam non tentari*, sed ne nos inducat in tentationem. Idque est quod alio loco Christus suis dicebat discipulis: *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* Dicit S. Hieronymus: *In tentationem intrare non est tentari, sed vinci* à tentatione. S. Patriarcha Ioseph fuit ab adulterio tentatus, sed à tentatione victus non fuit. Sancta etiam Susanna eodem modo fuit tentata, sed adiuuit eam Dominus, ne in tentationem intraret. Hoc ergo est, quod in oratione dominica Deum petimus, vt gratiam nobis & fortitudinem largiatur, vt non labamur, nec à tentatione vincamur. *Non tentationem penitus refutantes, sed vires sustinendi in tentationibus deprecantes.* Et in epistola ad Heliodorum ait: *Erras frater, erras, si putas vnquam Christianum persecutionem non pati.* Tunc maxime impugnaris, si te impugnari nescis. Tunc tibi diabolus maximum bellum mouet, quando tibi bellum non esse videtur. *Aduersarius noster tanquam leo rugiens, aliquem deuorare quærens, circumit, & tu pacem putas? Sedet in insidiis cum diuitibus, vt in occultis interficiat innocentem, oculi eius in pauperem respiciant, insidiantur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.* Absconditus est, insidias struit, & tu te securum credis? dolus hic latet, nam vita hæc tempus belli & certaminis est, mirari tentationes idem est, ac si miles bombardæ sonum miraretur, & ideo miliam deserere vellet, vel si quis sentiens stomachum nausea vexari, nauem exire vellet.

Hieronymus.

Matt. 6. 13.

In tentationem intrare quid sit.

Matt. 26. 41.

Idem notat August. de serm. Domini in monte l. 2. c. 14.

Tentatio continua. Hieron.

1. Pet. 5. 8.

Psal. 9. 29.

Dicit S. Gregorius aliquorum errorem esse, qui dum aliqua graui premuntur tentatione, credunt secum conclamatum esse, & Deum eorum esse oblitum, & sua illos gratia excidisse. Toto erras cœlo, sed potius sciendum, quod habere tentationes non solum est hominibus valde consuetum, sed & spiritualibus, & qui virtuti & perfectioni student, valde proprium, vt satis expresse verbis prædictis docet Sapiens. Idemque ait S. Apostolus Paulus: *Omnes, qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur*, & tentationibus exagitabuntur: alii vero vix norunt, quid sit persecutio, & rebellio, & bellum, quod caro mouet aduersus spiritum, sed potius delicias reputant. Aduertit hoc recte S. Augustinus in illa S. Pauli verba: *Caro concupiscit aduersus spiritum*, dum ait: *In bonis concupiscit aduersus spiritum, nam in malis non habet contra quem concupiscere*, ideoque hi luctam carnis non sentiunt contra spiritum, nullus enim spiritus est, qui contradicat & cum illa pugnet. Ideoque diabolo tempus inutiliter non est traducendum in talibus oppugnandis, quandoquidem hi sine tentatione sequuntur propria voluntate & sine cõtradictione se reddũt. Nõ venãtur venatores iumẽta, sed ceruos & damas, qui veloci cursu se in montes proripiunt. *Quiperfecit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuens me.* Hos venatur diabolus, qui ceruorum & damarum veloci-

Greg. lib. 24. mor. c. 13.

Tentatio signum est bonum.

2. ad Tim. 3. 12.

August. de verb. Domini in Euang. secund. Ioan. serm. 43.

Bonos tentat dæmon.

Psal. 17. 34.

velocitate ad culmen perfectionis currunt, iisque laqueos & tentationes tendit, alios vero, qui vt iumenta viuunt, penes se & in potestate sua habet, nec opus vt illos venatum exeat. *Eos enim pulsare negligit, quos quieto iure possidere se sentit,* dicit S. Gregorius. Ideoque non solum non mirandum nobis, si tentationes sentiamus, sed potius illas boni signi loco habere, vt recte innuit S. Ioannes Climachus. *Nullum certius argumentum est, quod dæmones victi à nobis sint, quam si nos acerrime oppugnant.* Id enim ideo fit, quod iis rebellaris, & eorum te iugo & iuri subtraxeris, idcircoque te persequitur diabolus, tibique inuidet, quod si non esset, non tam te persequeretur.

Greg. l. 24. mor. cap. 12.

Capvt II.

Alios initio conuersionis tentari, alios post conuersionem.

S. Gregorius notat aliquos initio conuersionis hoc tentationis bellum sentire incipere, dumque se recipiunt & virtutem amplectantur. Adque id applicat Christi Seruatoris nostri exemplum, qui idem in se voluit demonstrare & exhibere, mira quadam dispensatione, non enim permisit se à Dæmonio tentare, nisi postquam baptizatus abiit in desertum, vt ieiunaret & oraret & pœnitentiæ opera faceret. Tunc dicit Euangelium diabolum accessisse vt eum tentaret. Quo (vt ait S. Gregorius) Christus Seruator noster omnes admonitos voluit, quo membra & filii eius futuri erant, dum se retrahunt & virtuti studere volunt tentationes sensuros, valde enim diabolo proprium est, tunc eos inuadere vt postquam filii Israel Ægypto exierant; statim collegit Pharao exercitum & omnem potentiam vt illos inuaderet, & Laban videns Iacob à se recessisse, magno cum furore & populo persecutus est eum, & postquam diabolus ex homine exierat assumpsit septem alios spiritus nequiores se, vt in illum reuerteretur, vt ille qui exercitum conscribit contra eum, qui illi rebellunt, vt illum rursus subiuget. Idem & in vsu est diabolo, dum videt aliquem sibi refragari, & velle iugum & dominium ipsius excutere, magis sæuit & crudeliorem se monstrat, & maioribus viribus in illum ruit. Hic allegat S. Gregorius id, quod S. Marcus dicit, dum Christus Seruator noster eijceret dæmonium illud immundum, surdum & mutum. *Et exclamans & multum discerpens eum exiit ab eo:* vbi dicit Sanctus: Ecce eum non discerpserat, cum tenebat, exiens discerpsit: vt intelligamus, illud tunc maxime conari nos turbare & molestare, dum ab eo desciscimus.

Greg. l. 24. mor. c. 12. 13. & 14.
Incipientes bene viuere tentantur à dæmone.
Matt. 4. 1.
Luc. 11. 26.
Greg. l. 33. mor. c. 18.
Marc. 9. 25.

Præterea dicit S. Gregorius, Deum permittere & velle, vt conuersionis principio tentemur, ne quis cogitet se propterea sanctum, quod malæ vitæ valedixerit, & bonæ se dederit: huiusmodi enim cogitationes talibus surrepere solent. Etiam quod securitas negligentiæ mater sit, & ne bonæ vitæ, quam adiit, securitas illum negligentiorem reddat; permittit Deus tentationes illum inuadere, vt sic certior fiat, quæ illum maneant pericula, quo sic excitetur, & ad diligentiam & sollicitudinem prouocetur.

Incipientes cur tentari Deus permittat.
Greg. 24. moral. c. 12. 13. & 14.

S. Ioannes Climachus ait, nouæ vitæ nouitatem solere fastidium & onus parere ei, qui malæ vitæ ante assueuit: & in ipso virtutis amplexu se prodit & sentitur contradictio & vitii pugna, quod virtuti repugnat vt quis tum demum sentit se captum, dum laqueum exire conatur. Ideoque nulli mirandum, nec animo cadendum, si initio difficultates & tentationes sentit, id enim plerumque ita accidit. Addit præterea S. Gregorius, aliquando fieri, vt ille, qui mundum & vitia dereliquit, & incipit Deo seruire, talibus vexetur tentationibus, quales nunquam ante

Climach. c. de discretione.
Noua vita parit tentationes.

ante cõuersionem erat expertus. Sed hoc nõ dicit ideo accidere, quod talium tentationum radix ante in illo non erat, quę tamen erat, sed non videbatur nec apparebat, & nunc se tandem videndam præbet vt dum homo variis distrahitur occupationibus, sæpius se non nouit, & ne quid intus fiat, sed dum se colligit & in se redit; tunc agnoscit malas radices, quę in mente germinabant. Similisque est carduo, qui secundum viam nascitur, & omnium prætereuntium pedibus conculcatur, qui tunc non apparet, & quamuis spinæ eius non videantur, tamen sub terra radix occultatur, quæ post non conculcata, germinat & spinas profert. Sic & in sæcularibus dicit sæpius tentationum radicem occultari, nec extrinsecus videri, quod sicut carduus secundum viam satus conculcetur à transeuntibus, & cogitationum diuersitate, quæ vadunt & veniunt, & à variis occupationibus & sollicitudinibus, quibus homo implicatur. Dum vero quis ab omnibus hisce separat, & se Dei seruitio mancipat, tunc quia nullus est, qui carduum calcet; se videndum dat, & apparet, quod intus celabatur, & tentationum spinæ & punctiones sentiuntur, quæ ex mala radice germinant. Hæcque & causa est, quod aliqui maioribus & frequentioribus tentationibus impetantur orationis tempore, quam dum officiis & occupationibus exterioribus detinentur. Sic vt si quis in Religione eas sentiat tentationes, quas ante conuersionem nunquam aduerterat, non est quod iam peior sit, quam ante in mundo, sed quod tunc homo non se videt nec nouit, nunc autem malas inclinationes & inordinatos appetitus videre & nosse incipit. Ideoque conandum non vt radix illa abscondatur, sed potius extirpetur.

Radix tentationum carduo similis.

Tentatio non est signum vitæ malæ.

Alios reperiri ait S. Gregorius, qui cõuersionis initio tentationibus nõ vexantur, sed magnam pacem delectationem & consolationẽ sentiunt, quos tamen postea Deus tentatione probat. Quod ita à diuina Maiestate diuinoq; consilio decernitur, vt his virtutis via aspera & difficilis non videatur, animoque cadant, & ad id reuertantur, quod paulo ante deseruerũt. Vt factum populo Dei Israelitis, quos statim ab exitu Ægypti non induxit in terram Philisthinorum, cuius & rationem sacer textus hanc allegat: *Ne forte pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptũ*: sed potius illum multis beneficiis prosecutus est, & propter eum plurima miranda & miracula fecit. Sed posteaquam Israelitæ iam mare rubrum transierant, & erant in deserto, & redire non poterant, multis eos laboribus & tentationibus probauit, antequam promissionis terram ingrederentur. Idemq; & illis, qui mundum deserunt, sanctus dicit contingere, & Deum principio tentationes auferre, ne, quod adhuc tenelli in virtute sint, terreantur, & ad seculum redeant. Suauiter cum illis Deus initio agit, & oblectationes & consolationem dat, vt suauitate viæ Domini degustata, postea facilius bellum & tentationum molestias & labores ferant; idq; tanto melius, quanto plus Deum gustarunt, & reipsa experti, quam seruiri & diligi mereatur. Ideoque Deus Dominus noster ante S. Petro in transfiguratione gloriæ suæ pulchritudinem & splendorem ostendit, & postea permisit vt ab ancilla tentaretur, quę eum interrogabat, num Christi discipulus esset: vt tentatione humiliatus, & deplorando peccatum & Deum amando, sciret sibi applicare & vtile reddere, quod in monte Thabor viderat, vtq; timor illum deiecerat, diuinæ bonitatis dulcedo, quã iam erat expertus, erigeret.

Gregorius. Cur incipientes in principio Deus non semper permittat.

Exod. 13. 17.

Israelitæ post transitum maris rubri primum tentantur.

S. Petrus primum transfigurationem Domini spectauit post ab ancilla tentatus.

Hincq; (dicit S. Gregorius) elici poterit error eorũ, qui Deo seruire incipiunt, qui tanta se pace & quiete frui videntes, & Deum tanta illos gratia dignari, vt ingressum in orationem largiatur, & in virtutis & mortificationis exercitio suauitatem sentiant, statim se ad perfectionem pertigisse putant, nec intelligunt puerorum blanditias & incipientium esse, quas Deus largitur, vt tandem à mundanis rebus

Gregorius. Consolatio incipientium.

bus ablactentur. Aliquando (ait idem) abundantius Deus hæc imperfectioribus concedit, quique in virtute tam non profecerunt, non quod tale quid mereantur, sed quod plus indigeant. Eodem modo vt pater quidam, qui quamuis omnes proles tenere amat, tamen non videtur magnifacere eas, quæ sanæ sunt, sin aliqua ægrotet; non solùm medicinis curat, sed & omnes delicias & blanditias, quas potest, adhibet. Vtque hortulanus sæpius rigat & fauore prosequitur plantas teneras, posteaquam vero fortes sunt & altas egerunt radices, rigare desinit & fauere cessat; eodem & regiminis modo in debilibus & paruulis & incipientibus vtitur Deus.

Consolationes maiores malorum aliquando quã bonorum. Dicunt pręterea sancti Deum aliquando maiorem impertiri consolationem his, qui maximorum fuerunt criminum rei, & videtur illos singulari fauore & beneficio prosequi, quam qui semper bene vixerunt, ne huiusmodi diffidant & desperent, alteri vero ne superbiant. Quod nobis exacte exprimitur parabola illa de filio prodigo, & lætitia, musica & gaudio, quo pater illum recepit, mactans vitulùm saginatum, & magnum conuiuium instruens, cum tamen natu maiori filio, qui semper ei seruierat, nec vnquam mandatum eius transgressus erat, ne hædum quidem dedisset, vt se cum amicis suis recrearet. Non enim sanis opus est medicus, sed male habentibus, vt Christus ipse ait. *Matth. 9. 2.*

CAPVT III.

Quid causæ sit, quod Deus velit nos tentationes habere, & de vtilitatibus & commodis inde emanantibus.

Deuter. 13. 3. TEntat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat, vtrum diligatis eum, an non, in toto corde & in tota anima vestra: dicit S. Spiritus in Deuteron. In verba hæc mouet S. Augustinus quæstionẽ, quomodo hic dicatur, quod Deus non tentat? & aliter dicit S Iacobus in sua Canonica: *Deus neminem tentat.* Respondet duos esse tentandi modos, alterum ad decipiendum & in peccata pertrahendum, hocque modo Deus neminem tentat, sed diabolus, cui hoc proprium est, secundum illud Apostoli S Pauli: *Ne forte tentauerit vos is, qui tentat.* Vbi glossa dicit: *Id est diabolus, cuius officium est tentare.* Alius tentandi modus est ad probandum, & alicuius periculum faciendum: hocque modo dicit hic S Scriptura Deum nos tentare & probare. Et vigesimosecundo capite Genesis dicit: *Tentauit Deus Abraham, id est probauit.* Vnam atque alteram tentationem immittit Deus, vt vires nostras noscamus, & sciamus, quantum Deum amemus & timeamus. Ideoque statim Abrahæ dixit Deus, dum gladio manum admouisset, vt filium sacrificaret: *Nunc cognoui, quod times Deum. Id est, feci te cognoscere.* Vt sanctus Augustinus exponit. Tali modo, vt Deus aliquas sua manu nobis immittat tentationes, aliquas diaboli, carnis & mundi, inimicorum nostrorum medio aduenire sinat. *Aug. tract. 43. sup. Ioan. & q. 57. super Genesin. Iacobi 1. 13. Idem B. Tho. 1. p. q. 114. art. 2. 1. Ad Thess. 3. 5. Gen. 22. 1. & 12. Aug. q. 59. super Genesin.*

Tentatio vtilis. Sed quid causæ subest, quod velit Dominus noster nos tentationes habere? sanctus Gregorius, Cassianus & alii clare hanc quæstionem tractant, & primo dicunt, vtile nobis esse tentatos & tribulatos esse, & subinde Deum à nobis manum suam substrahere; nisi enim hoc fieret, non Deum rogaret Propheta: *Non me derelinquas vsquequaque.* Verumtamen quia exacte ei constabat, Deum subinde seruos suos relinquere, & manum & auxilium ad maius eorum bonum & commodum auferre; à Deo petit non vt illum nunquam deserat, nec manum auferat, sed ne plane illum deserat. Et Psalmo vigesimosexto ait: *Ne declines in ira à seruo tuo.* Non petit vt Deus illum nunquam & nullo modo deserat, sed ne declinet ab eo in ira, ne illum tam diu *Psal. 118. 8. psal. 26. 9.*

deserat, donec in peccatum labatur. Imo potius rogat, vt illum probet, & tentationes & tribulationes immittat: *Proba me Domine & tenta me.* Et per Prophetam Esaiam ait idem Dominus: *Ad punctum in modico reliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te, in momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.*

Psal. 25. 2.
Isa. 54. 7.

Verum examinemus bona & commoda, quæ ex tentationibus sequuntur. Ait Cassianus Deum nobiscum, vt cum Israelitis agere, quod noluerit plane perdere populi sui inimicos, sed in terra promissionis tolerauerit Chananæos, Amorrheos, Iebusæos & alios: *Vt erudiret in iis Israelem, vt postea discerent filii eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi.* Eodem & modo vult Deus nos hostes habere, & à tentationibus impugnari, vt bello exercitati, ne nobis damnum inferat ocium vel prosperitas. Quos enim sæpe aperta vi & pugna hostis expugnare nequiuit, falsa securitate decepit & deiecit. S. Gregorius ait, certa & occulta prouidentia Deum velle, vt boni & electi in hac vita tententur & persecutionem patiantur: quod vita hæc via, vel potius exilium sit, quo proficiscimur & peregrinamur, donec ad cœlestem patriam perueniamus. Et quia aliqui viatores videntes in via prata florida, & loca amœna, morari & à via declinare solent, voluit Deus vitam hanc laborum & tentationum plenissimam esse, vt corda & amorem huic non applicemus, nec exilium præ patria eligamus, sed ad hanc vsque suspiremus. S. Augustinus eandem adfert rationem & dicit, tentationes & tribulationes prodesse, vt exploratam huius vitæ miseriam habeamus. *Vt illa vbi erit beatitudo vera atque perpetua, & desideretur ardentius, & instantius inquiratur.* Et alio loco dicit: *Ne viator tendens ad patriam, stabulum amet pro domo sua,* & palatia illa regia obliuiscatur. Dum nutrix infantem ablactare vult, & eum pani comedendo assuefacere; aloën vberibus imponit; sic & Deus amara hæc mundana reddit, vt homines ea deserant, & nihil hic videant suo desiderio dignum, sed omne desiderium & mentem in cœlum dirigant. Hincque D. Gregorius: *Mala quæ nos hic premunt, ad Deum nos ire compellunt.*

Cassianus vbi supra.
Iudith. 3. 1.
Arcet socordiam.
Greg. l. 23. mor. c. 24. & seq.
Aug. l. 3. de Trin. c. 14. Docet amorem patriæ.
Aug. sup. Psal. 46.
Gregorius.

CAPVT IIII.

De aliis bonis & vtilitatibus ex tentationibus oriundis.

BEatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Dicit S. Bernardus in verba hæc: Necesse est, vt veniant tentationes: quis enim coronabitur, nisi qui legitime certauerit? aut quomodo certabunt, si desit, qui impugnet. Omnia bona & vtilitates, quæ S. Scriptura & Sancti tradunt de laboribus & aduersitatibus, secum ferunt tentationes: & vnum eorum & præcipuum est, quod dicitur verbis prædictis, quod Deus eas immittat vt post maius præmium & coronam in gloria consequamur. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Hæc regia cœli via est, videlicet tentationes, vexationes & aduersitates ferre. Et in Apocalypsi legitur, quo vnus seniorum monstrans S. Ioanni magnam Sanctorum gloriam dixerit illi: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni.* Obiter quærit S. Bernardus, quomodo dicatur, quod dealbauerint stolas suas in sanguine Agni? Sanguis enim non solet dealbare, sed rubedine inficere. Dealbatæ sunt (inquit) quia è latere simul cum sanguine exiuit aqua, qua dealbatæ sunt vel nisi dicamus (ait) dealbatas fuisse, quod Agni teneri & immaculati sanguis erat vt lac album & rubrum, secundum illud Sponsæ dictũ in

Iacob. 1. 12.
Bern. serm. 64. super Cantica.
2. ad Tim. 2. 5.
Tentationis superatæ præmium.
Act. 14. 21.
Apoc. 7. 14.
Bern. serm. 1. de Resurr.

in Canticis: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.*

Meretur coronam. Sic vt per sanguinem & tribulationes ingressus patent in regnum cœlorum. Lapides hic secantur: scinduntur & poliuntur, vt aptentur in templo illius cœlestis Ierusalem, illic enim ictus & malleus non audiuntur: *Malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur*, secundæ Regum sexto versiculo septimo. Et quo digniore & nobiliore loco lapides ibi locandi; tanto magis hic scinduntur & tunduntur. Vtque lapis, qui in porta locatur, solet magis tundi & laborari, vt ingressus visu gratior & amænior foret sic & Christus Seruator nôster quia scit cœli portam, statuerunt quæ hactenus clausa fuerat, multis pressuris & tunsionibus secari & scindi voluit. Vtque nos peccatores erubesceremus velle intrare per portam tantis ictibus & tribulationibus præparatam, nisi prius etiam aliquas pateremur, quibus parati & politi essemus.

Lapides in fundamentis ponendi solent poliri & multum tundi; sic & illi, qui in profundum inferni descensuri sunt, non tunduntur nec pulsantur: hi in hac vita lætentur, suis cupiditatibus obsequantur, faciant quicquid lubet, & ducant in bonis dies suos, & hæc merces eorum erit. Illi vero, quibus malorum Angelorum reparandæ & complendæ ruinæ, & possidendæ cœlestes illæ sedes, quam Angeli illi sua superbia perdiderunt, tentationibus & tribulationibus poliendi & aptandi sunt.

Dicit Sanctus Paulus: *Si autem filii & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur & cõglorificamur*, Romanorum octauo, versiculo decimo septimo. Et Angelus Tobiæ ait: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te*, Tobiæ duodecimo, versiculo decimo tertio, quo merces tua & præmium maius foret. Et de Abraham dicit Sapiens quod Deus illũm tentauerit, *Et in tentatione inuentus est fidelis*, constans & fortis. Statim se offert præmium, & cum iureiurando promittit, se semen eius vt stellas cœli & arenas maris multiplicaturum. Hæcque causa est, quod Deus tribulationes & tentationes immittat, vt maiore nos præmio & pretiosiore corona donet. Idcircoque Sancti dicunt maiore nos Deum gratia prosequi non posse, quam si nobis det tentationes, si simul vires ad easdem vincendas suggerat, maiusque id esse, quam si tentationes plane auferat hac enim ratione præmio & gloria, quæ illis meremur, fraudaremur. *Est diuinæ beneuolentiæ fructus.*

Addit huic rationi Sanctus Bonauentura, quod, quia Deus tam nos amat, vt satis ei non sit, vt gloriam, & quidem magnam consequamur, nisi illa cito potiamur & in purgatorio igne non detineamur. Idcirco hic nos variis tribulationibus & tentationibus exercet, quæ sunt malleus & ignis, quibus rubigo & scoria animæ nostræ tollitur, purificatur, & purgatur vt apta sit cęlorũ regna intrare & Deo frui. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum.* Quod nõ mediocre est beneficium & gratia. Præterquam quod tantum & tam grauem pœnam, quæ nobis illic toleranda erat, in paruam illam, quam hic patimur, commutet, quæ parua vel nulla est, si cum altera comparetur. *Bonau. proces. 4. religio. c. 1.* *Purgat.* *Prou. 25. 4.*

Insuper plena est Sacra Scriptura sententiarum, quæ docent huius vitæ prospera humanam mentem à Deo auertere, aduersa vero & tribulationes causa esse, cur homo se Deo coniungat. Quid Pharaonis pincernam tam facile Ioseph interpretis sui obliuisci fecit, quam prosperitas? *Et tamen succedentibus prosperis præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.* Geneseos quadragesimo, versiculo vigesimo tertio. Quid in superbiam extulit Regem Oziam, nisi prosperitas: *Cum roboratus esset, eleuatum est cor eius in interitum suum, & neglexit Do-* *Coniungit Deo.* *2. Par. 26. 16.*

xit Dominum Deum suum. Quid superbire fecit Nabuchodonosor, quid Salomonem, quid Dauid, vt populum dinumeraret? Filii etiam Israel, videntes se auxilio & beneficio, quod à Deo acceperant, potentes euasisse, peiores facti & plane Deum obliti sunt: (Deute.32.15.) *Incrassatus est dilectus & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo Salutari suo.* Contra vero ait Propheta, quod tribulationibus ad Deum reuersi fuerint: (Psal.82.17. Psal.106.13. Daniel 4.13.) *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Et clamauerunt ad Dominum, cum tribularentur. Et cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Nabuchodonosor factus brutum (fuerit reuera, an sola imaginatione) Deum agnouit. Quanto vtilior fuit Dauid persecutio Saul Absalon & Semei, quam prosperitas & deambulatio in solario. Ideoque quasi bene percussus & vulneratus post ait: (Psal.89.15. Psal.118.71.) *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti; annis, quibus vidimus mala.* Et, *Bonum mihi quia humiliasti me.* Quot hac ratione sanati sunt, qui alioqui periissent. (Psal.31.4. Illuminat.) *Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Dum tribulationis & tentationis spina pungit, tunc quis ad se redit & se conuertit, & ad Deum reuertitur. Præterea aiunt, quod verbera stultum sapientiorem reddant; quod & Sanctus Spiritus per prophetam Esaiam dicit: (Isa.28.29. Ecclesi.31.2.) *Sola veneratio intellectum dabit auditui:* Et planius per Sapientem: *Infirmitas grauis sobriam facit animam.* Et, *virga atque correptio tribuit sapientiam.* Quis per prosperitatem sibi liber & indomitus videtur, vt iuuencus, iniicit illi Deus tribulationis & tentationis iugum, vt se colligat. (Iere.31.18.) *Castigasti me, & eruditus sum, quasi iuuenculus indomitus.* (Tob.11.13. Ioan.9.6.) Felle sanabat Angelus Tobiam, & luto Christus Seruator noster cæco visum reddit.

Hanc igitur ob causam Deus tentationes immittit, quæ sunt maximi laboris & molestiæ, & spiritualibus hominibus multum fastidii adferunt. Aduersitates enim corporales, vt opum, infirmitatum & similium sunt seruis Dei qui spiritualia tractant, valde remota, & vt exterius accidentia; hæc enim solum corpus tangunt, ideoque ea parui faciunt. Dum vero interior est aduersitas, & tangit animam, vt tentatio, quæ illos à Deo separare conatur, & videtur illos huic periculo exponere, hoc tandem multum sentiunt, & quod altum illos exclamare cogit, vt Sancto Apostolo contigit, dum hanc carnis contradictionem & pugnam sentiebat, quæ spiritum ad se trahere moliebatur: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Hei mihi misero, malum me ad se trahit, & bonum, quod volo, in actum deducere non possum, quis me ex hoc carcere & seruitute liberabit?

CAPVT V.

Multum tentationes prodesse, vt nos noscamus & humiliemus, & ad Deum recurramus.

ALIVD secum bonum & vtilitatem tentationes adferunt, efficiunt enim vt nos ipsos noscamus. (Thom. à Kempis.) Nescimus sæpe, quod possumus, sed tentatio aperit, quid sumus: dicit sanctus quidam. Et hæc nostri ipsorum cognitio fundamentalis ædificii spiritualis petra est, sine qua nihil diuturnum ædificari potest, & qua anima vt spuma crescit, ad Deum enim accedere nouit, in qua omnia potest. Tentationes ergo homini magnam suam miseriam & ignorantiam aperiunt, quæ illi hactenus oculos ad vnum & alterum occluserant, & sic de se viliter sentire nō poterat, non enim expertus erat. Dum vero quis aduertit, quod paruus illum ventus deiiciat, & quasi nihilo frigidus reddatur, quod

quod vnica tentatione se turbet, & incipiat se irritare, & consilium & maturam considerationem fugiat, & tenebris circumfundatur tunc incipit animum moderari & se humiliare, & humiliter de se sentire. Ait S. Gregorius. Si nobis non essent tẽtationes, statim crederemus nos aliquid esse, & cogitaremus nos valde fortes esse, aduenientibus vero tentationibus aduertens homo seruinæ proximum & nihil fere a casu abesse tunc fragilitatem suam agnoscit, & se humiliat. Ideoq; de se ait Apostolus Paulus: *Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus satanæ, qui me colaphizet.* Quod ad tertium vsque cœlũ raptus essem, & multas & magnas reuelationes habuissem, ideoque in superbiam non extollerer, permisit me Dominus tẽtari, vt nossem, quid ex me essem, & possem, & sic me humiliarem.

Greg. l. 23. mor c. 27. Domat superbiam.

2. Cor. 12. 7.

Hinc aliud bonum & magna vtilitas sequitur, quod vt quis suam agnoscit fragilitatem, nouit & necessitatem auxilii & fauoris diuini, quamque illi necesse sit ad eum oratione accurrere, & ei vt remedio suo semper adhærere, secundũ illud Prophetæ: *Adhæsit anima mea post te.* Et, *Mihi autem Deo adhærere bonum est.* Sicut enim dum mater vult infantem suum ad se venire, id agit vt alii ipsi timorem incutiant vt necessitate coactus ad suum gremium accurrat. Eodem & modo consentit Deus vt diabolus non terreat, & tentationibus horrore afficiat, vt ad ipsius gremium & patrocinium cõfugiamus. Dicit Gerson: *Vt prouocet sicut aquila pullos ad volandum, vt mater filium ad horam relinquit, quo instantius ille clamet, accuratius quærat, arctius stringat, & illa vicissim blandiatur suauius.* Dicit Sanctus Bernardus, quod Deus subinde animam deserat, vt tanto maiori cum desiderio & feruore eius opem flagitet, & fortius teneat & stringat vt egit cum discipulis euntibus in Emaus, fingens se longius ire velle, vt illum detinerent & molesti essent. *Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies.* Hanc & ob causam plus facit auxilium & protectionem Dei, dum aduertit quã illis egeat. Dicit Sanctus Gregorius vtile nobis esse, vt subinde manum suam Deus substrahat, ne si semper ea gaudentes custodia, eandem non tanti faciamus, nec tam necessariam ducamus. Dũ vero paulisper Deus nos & deserit, & iam casum minitari videmur aduertimus illum statim nobis manum porrigere & retinere: *Nisi quia Dominus adiuuit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea:* tunc pluris eius auxilium facimus, & gratiores sumus, & plenius bonitatem & misericordiam eius expendimus. *In quacunque die inuocauero te, ecce cognoui, quoniam Deus meus es tu.* Ad Deũ quis in tentatione clamat, & auxilium aduertit, & suæ Maiestatis fidelitatem experitur, eo quod necessitatis tempore adsit, & eum patrem agnoscit, & in maiorem eius amorem rapitur. Et in laudes eius erumpit, vt filii Israel, dum Ægyptii eos persequerẽtur, videntes se iam mare rubrum transisse, Ægyptios vero in mari submersos.

Docet diffidere sibi & fidere Deo.

Psal. 6 9.
Psal. 72. 28.

Deut. 32. 11.
Bern ser. 74. super Cãtica.
Luc. 24. 29.

Psal. 93. 17.

Psal. 55. 10.

Hinc & aliud resultat bonum, quod quis sibi nihil boni, sed totũ Deo adscribat & in illum gloriam omnem transfundat. Quod aliud tentationum bonum & magnum commodum est, & certum contra easdem remedium, ad maiora à Deo beneficia & gratias consequendas.

CAPVT VI.

Tentatione iustos magis probari & purificari, & virtutem altiores radices agere.

DICVNT & Sancti, Deum velle, vt tentemur, vt cuiusque virtus probetur. Sicut ventis & tempestatibus aduertere est, si arbor aliqua altas egerit radices, vtque fortitudo & militis boni strenuitas non pacis sed belli tempore apparet in pugnis & velitationibus: sic & serui Dei virtus & fortitudo non se prodit, dum deuotio & quies est, sed quando tribu-

tribulationes & tentationes. Sanctus Ambrosius in verba illa: *Paratus sum & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua*. Dicit, vt optimus censetur nauclerus ille & maiore laude dignus, qui scit, & nouit nauem dirigere, dum venti, & tempestates insurgunt, dumque nauis videtur ad fundum maris descendere, vel ad cœlum vsque vndis leuari, quam ille qui tranquillitatis tempore illam regit; sic & maiorem meretur laudem, qui se regere nouit tentationum tempore, vt nec se prosperis extollat & superbiat, nec aduersis & tribulationibus desperet vel animum despondeat, sed cum Propheta dicere queat: *Paratus sum & non sum turbatus.*

Nauclerum tempestas probat, tentatio virum.

Hunc enim in finem Deus tentationes immittit; vt cum filiis Israel, dum reliquit inter eos inimicos illos & repugnantes populos. *Vt in ipsis experiretur Israelem, vtrum audirent mandata Domini, quæ præcepit patribus eorum per manum Moysi, annon*, & probaret eorum constantiam & perseuerantiam in suo amore & seruitio. Et Sanctus Apostolus Paulus inquit. *Oportet & hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis*. 1. Corinth. c. 11. vers. 19. *Quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se*, Sap. c. 3. vers. 5. Ictus sunt tentationes, quibus Deus puritatem metalli explorat, & lapis Lydius, quo amicos suos experitur, ex iis enim statim apparet, quid in illis sit.

Iudic. 3. 14.

Sicut enim homines gaudent se amicos probatos habere, sic & Deus, ideoque eos probat. *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Eccl. ca. 27. versic. 6. Et Sapiens: *Et sicut igne probatur argentum, & aurum camino; ita corda probat Dominus.* Dicit Sanctus Hieronymus, dum massa in igne ardet, non videre est, num sit aurum, vel argentum, vel aliud metallum, omnia enim tunc eiusdem sunt coloris, omnia ignis videntur: sic & consolationis tempore dum feruor viget & deuotio, non dignoscitur quis aliquis sit; totum ignis esse videtur. Sed si massam ab igne remoueris, & calorem exuat, videbis quid sit. Transeat feruor ille & consolatio, ingruat tribulatio & tentatio, & tunc clare videre erit, quis quisque sit. Si quis pacis tempore virtutem sectetur; nescitur an sit illa virtus, vel naturalis quędam propensio, vel singularis delectatio, quam hoc in exercitio habet, vel quod aliud non habeat, quo oblectetur. Ille vero, qui tentatione impugnatus perseuerat, ille docet se hoc ex virtute & amore, quem erga Deum habet, facere.

Probat amico gaudet Deus.

Hieronymus. Gal. 3.

Conducit præterea tentatio, vt ea quis perfectius purgetur. *Igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.* Vt enim aurifaber argentum & aurum igne purificat & omnem scoriam eximit, eodem modo & Deus vult electos suos tentatione purificari, vt tanto eius diuinæ Maiestati acceptiores sint: *Vram eos vt vritur argentum & probabo eos, sicut probatur aurum*: dicit Deus per Zachariam: & per Esaiam: *Et excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum.* Hoc facit tentatio in iustis, nam consumit & destruit vitiorum rubiginem, & mundanorũ, & suiipsius amorem, & reddit eos puriores. Verum quidem esse ait S. Augustinus, quod non omnes hunc fructum ex tentatione referant, sed solum boni aliqua sunt quæ igni admota statim emoliuntur, alia quæ igne indurantur, vt lutũ, sic & boni tentationis igne & tribulatione teneri & molles fiũt, & se cognoscũt & humiliatur; impii vero duriores & ptinaciores reddũtur. Idq; manifestũ in duobus cũ Christo crucifixis latronibus, quorum alter se conuertit, alter blasphemauit: Ideoque ait S. August. *Tentatio ignis est, in quo aurum rutilat, palea consumitur, iustus perficitur, peccator misere perit. Tempestas est, ex qua hic emergit, ille suffocatur.* Filii Israel viam per aquas repererunt, eædemq; illis pro muro à dextris & sinistris fuerunt. Ægyptii iisdem submersi & suffocati fuerunt.

Psal. 65. 10.

Ignis aurum purgat, tentatio iustum.

Zach. 13. 9.

Esaia. 1. 25.

Augustinus.

Exod. 14. 29.

S. Cy-

Quæ premũt, attollunt.

S. Cyprianus hanc adfert rationem, vt animum in tribulationibus & perſecutionibus addat, & doceat non eſſe timẽdum: quod S. Scriptura nos doceat, potius his ſeruos Dei creſcere & multiplicari. Vt de

Exod. 1.12.

filijs Iſrael dicitur, qui quo plus ab Ægyptijs vexabantur & opprimebantur, tanto plus creſcebant & multiplicabantur. Et

Gen. 7.17.

de arca Noe dicitur: *Et multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt arcam in ſublime*, & ſuper Armeniæ montes: eodem modo & tribulationum & tentationum aquæ eleuant, & multum perficiunt animam. Siq; tu tentatione nõ purior euadas, eſt, quod non aurum ſed palea ſis, & ideo niger & turpis ſis. Dicit Gerſon, quod mare tem-

Gerſ. de iuſt. Theol. pract. conſider. vel induſt. art. 6.

peſtatibus immunditias eijcit, quas collegerat, & fit purũ & mundũ: ſic & ſpirituale animæ noſtrę mare tribulationibus & tentationibus mundũ fit, & ab immunditijs & imperfectionibus, quas diuturna pax & tranquillitas collegerat, purgatur, & hunc in finem immittit illas Deus.

Vitis putata vberior.

Præterea, vt bonus vinitor vitem putat, vt maiorem fructum ferat: eodem modo (vt aiunt Sancti) Dominus & Deus noſter, qui ſe in Euangelio vinitori aſſimilat, vites ſuas putat, qui ſunt electi eius, vt vberiorem fructum producant:

Ioan. 15.2.

Omnem palmitem, qui fert fructum, purgauit eum, vt fructum plus adferat. Inſuper, hocque ipſo ſupradicta confirmantur, facit tentatio, vt virtus contraria altiores in anima agat radices. Dicit Ab-

Nilus Abbas.

bas ſanctus Nilus: *Plantas enutriunt venti, & tentatio confirmat animæ fortitudinem.* Vt ventus, gelu, & tempeſtates faciunt plantas & arbores altiores in terra agere radices; ſic & tentationes cauſa

Tentatio virtutem conſolidat.

ſunt, quod contrariæ virtutes altiores in anima radices agant. Ideoque ſic Sancti exponunt hoc ſancti Pauli dictum:

2. Cor. 12 9.

Virtus in infirmitate perficitur, id eſt, ſtabilitur, fundatur, ſtabilis declaratur. Dum aliquam veram theſin, quam tu defendis, alius impugnat, quoque ille plures rationes & argumenta ad illam impugnandam adfert, tanto tu plures ad eam defendendam adducas, & ideo quod reſpondeas & ſoluas argumenta contraria, magis magiſque confirmaris. Sic & Dei ſeruus, quanto plures Diabolus ad virtutem oppugnandam tentationes adfert, plures rationes quærit, & media, vt ſe conſeruet, & tentationi reſiſtat, tuncque nouum propoſitum facit, & illius virtutis actibus ſe exercet, quibus illa confirmatur, ſtabilitur & creſcit. Hincque bene dicunt, tentationem idem in anima facere, quod ictus in incude, qui illam duriorem, ſolidiorem & fortiorem reddunt.

Bonaũ. proceß. 4. relig. c. 13.

Inſuper dicit ſanctus Bonauentura, qui via ordinaria vadit, ſolet Deus Dominus noſter non conſueto modo conſolari & compenſare eos, qui aliquo vitio valde fuerunt tentati, & ſe in tentatione fideles monſtrarunt, dans illis abundanter & excellenter virtutem contrariam.

Gregorius.

Vt refert ſanctus Gregorius de ſancto Benedicto, qui quod viriliter cuidam carnis tentationi reſtiterat, & ſe in rubos & ſpinas deiecerat; tantam illi Deus caſtitatem largitus eſt, vt poſtea nullas amplius ſenſerint inhoneſtas tentationes.

S. Thomas.

Idem & de ſancto Thoma Aquinate legitur, dum ignis titione mulierem, quæ eum ad concubitum ſollicitabat, fugaret. Ideo Deus duos illi miſit Angelos, qui ei lumbos cinxerunt & ſtrinxerunt, in ſignum, quod illi perpetuam concederet caſtitatem.

Eodem modo, dicit ſanctus Bonauentura, ſolere Deum illis, qui fide & blaſphemia tentantur, magnam claritatem & illuminationem dare, & ardentem Dei amorem. Idem iudicium eſt de cæteris tentationibus, ad quod docendum allegat illud Eſaiæ: *Et erunt capientes eos, qui ſe ceperant, & ſubijcient exactores ſuos.*

Eſa. 14. 2.

Quod ſane multum facit ad ſe in tentationibus conſolandum. Conſolare ergo, Frater, & magno fortique animo eſto ad bellandum, hac enim ratione Deus in te firmare vult virtutem contrariam, & angelicam caſtitatem dare.

Ergo confortare.

Iudic. 14. 6. & 8.

Inuadebat Samſonem leo, quem ille arripiens occidit, & & poſt in ore eius inuenit mel: eadem ratione

tione quamuis initio leo videtur; ne illam time, sed inuade, & supera, & postea in eadem valde magnam inuenies dulcedinem.

Hinc intelligere erit, si quis contra se à tentatione abripi sinit, & ei consentit, vitium se extensurum proprijs suis actibus, simulque ipsam tentationem, & validior postea erit, vitium enim maiores agit radices, & maius dominium obtinet. Quod & sanctus Augustinus aduertit: *Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est*, dicit Propheta Ieremias. Quod & Sapiens ait: *Et peccator adijciet ad peccãdum.* Quod grauissimum est consilium his, qui à tentationibus impugnantur: Dæmon enim solet aliquos decipere, & cœcos reddere, illis persuadens tentationem cessaturam, si illi acquiescant & morem gerant. Qui magnus profecto error est; si enim illi satisfacis, plus cresces & firmabitur vitium, passio & appetitus, & maiores post vires sumet, & magis tibi dominabitur, & te facilius, quam ante, superabit.

August. l. 8. c. 5. *Thren. 1. 8.* *Eccl. 3. 29.*

Rectissime dicitur, eandem hydropisi similem esse, quo enim plus bibit hydropicus, tanto plus sitit, & quo auarus habet plus, maior fit & cupiditas. *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* Idem & hic vsu venit. Esto ergo certus, quod, dum te à tentatione abripi sinis, & illi acquiescis, tantum illa crescit, quantum tibi de viribus & fortitudine decedit, eique fit magis subiectus, & post tanto facilius laberis. Dum vero illi resistis, & tibi ipsi vim infers, nec illi morem geris, crescit tanto plus in te virtus & fortitudo. Ideoque medium ad victoriam de tentationibus & malis inclinationbus obtinendam, & ad tranquille viuendum, est illis non obtemperare, & curare, ne vnquam nos deijciant, hac enim ratione paulatim diuino auxilio perit tentationis & passionis vehementia, donec nullam nobis moueat molestiam ac vexationem.

Quod nobis animum addere deberet, vt strenue tentationibus resistamus.

CAPVT VII.

Tentationes hominem reddere diligentem & feruidum.

ALIVD & magnum bonum & commodum secum ferunt tentationes, quod hominem diligentem & sollicitum reddunt, & ei animum & spiritum addunt, quasi cui semper pugnandum est. Diuturna enim pace homines lentos & negligentes facit: bellum vero & armorum exercitium homines fortes, robustos & strenuos reddit. Ideoque Cato in Senatu Romano aiebat: *Carthaginem non delendam, ne Romani otio & torpore languescant. Iterumve* (dixit) *Romæ, si Carthago non steterit.* Idem responderunt & Lacedæmonij, dum eorum Rex ciuitatem quandam delere volebat, quę multum illis molestiæ & negotij facessebat. Sentiebant enim Senatores, nullo modo admittendum, vt cos, qua vires & virtus iuuentutis Lacænæ acuebatur, augebaturque, frangeretur. Cotem ad acuendos animos nominant ciuitatem illam, quæ sæpius illos ad arma excitabat. Sic enim iuuentus se in armis exercebat, & valida pectora & robur cuiusque se prodebat, & magno sibi ducebant fore damno, si bella & expeditiones non haberent. Si ergo homines non habeant tentationes, fiunt torpidi & negligentes; sin habeant, diligentes & feruidi.

Bellis acuimur, vti pace obtorpescimus.

Cato. Idem prudentia vidit huius sæculi.

Paul. Manutius in Apophth. p. 113. §. 24.

Aliquis otiosus est, & manus in sinu gerit, nullusque illud disciplinam & cilicium sumere cogit: in oratione vagatur: in obedientia tardus est, quærit oblectationes: & ecce vehemens aliqua illum inuadit tentatio, in qua diuinæ opis eget, ergo arma capessit & animum, roburque & feruorem mortificationis & orationis flabello suscitat. Ideoque vulgo dicitur: si vis scire orare, mare ascende. Necessitas & periculum docent orare, & ad Deum vere accurrere. Hinc ait S. Chrysostomus, Deum ob maius nostrum bonum & commodum permittere tenta-

Pericula religionem docent.

Chrys. ho. 74. ad pop. Ant. tom. 5. & l. 1. de prouid.

tentationes: *Cum enim nos ad torporem declinantes viderit & ab eius familiaritate resilientes, & spiritualium nullam rationem facientes, paululum nos derelinquit, vt ita castigati ad ipsum studiosius redeamus.* Et alibi ait: *Quando malignus ille perterret nos atque probat, tunc frugi efficimur, tunc nosmetipsos agnoscimus, tunc ad Deum omni studio recurrimus.*

Tentatio medium ad perfectionem.

Sic vt tentationes non solum non sint impedimento, ne in virtutis via progrediamur, sed potius medium & auxilium ad idem sint. Ideoque sanctus Paulus tentationem non gladium aut lanceam, sed stimulum nominauit: *Datus est mihi stimulus carnis.* Vt enim stimulus non occidit, nec nocet, sed excitat & mouet, & velocius incedere facit: eodem modo & tentatio nihil nobis damni, sed permultum commodi adfert, excitat enim, vt melius ambulemus.

2. Cor. 12. 7.

Stimuli cursum docent.

Idque commodum omnibus, etiam multum in virtute prouectis, inseruire solet. Vt enim equus, quantumuis bonus & fortis, calcaribus indiget, & melius currit, dum eadem sentit: sic & serui Dei melius & velocius currunt in Dei seruitio, quando hos tentationum stimulos sentiunt, & tanto sunt humiliores & modestiores.

Greg. lib. 2. mor. c. 32.

Diuersæ Dei & Diaboli in tentatione intentiones.

Dicit sanctus Gregorius, Diaboli intentionem & voluntatem in tentationibus malam esse; Dei vero bonam. Vt enim hirudinis, dum sugit sanguinem ægroti, intentio est eo se exsaturare, & omnem ebibere, si posset; sed medicus illa intendit noxium sanguinem extrahere, & ægrum sanare. Vtque dum æger igne vritur, ignis intentio est vrere, sed Chirurgi curare. Vellet ignis & sanas partes vrere, Chirurgus solum infirmas, & vltra progredi non finit. Eodem modo & Diabolus tentatione virtutem, eius meritum & gloriam nostram perdere nititur: Dominus vero & Deus contrarium intendit & operatur eodem hoc medio. Ideoque lapides, quos in nos iacit Diabolus ad nos lædendos & perdendos, ipse sumit, vt ex ijs nobis insignem & pretiosam coronam contexat & conficiat. Vt de sancto Stephano legitur, qui ab inimicis circumdatus, & lapidibus, quos in eum iaciebant, obrutus, videt cælos apertos, & ibi Iesum Christum, quasi lapides colligentem, & ex illis coronam gloriæ fabricantem.

Deus bona elicit nobis maxima ex tentatione.

Act 7. 35.

Gerson tr. de pusillanimitate.

Aliud magnæ consolationis his addit Gerson, & dicit, communem esse Sanctorum & Doctorum sententiam, quod quamuis quis tentationibus exagitatus, aliquos errores committit, vt sibi videatur aliqua negligentia vsum, & aliquod veniale peccatum addidisse; tamen ex altera parte patientia, quam in hac tribulatione habet, & conformitas cum voluntate diuina, & repugnantia, quam ostendit contra tentationem pugnando, & media, & diligentiam, quam adhibet ad victoriam pariendam, non solum tollunt omnes hos defectus & negligentias, sed præterea maioris gratiæ & gloriæ meritum ipsi conciliant: secundum quod dicit Apostolus sanctus Paulus 1. ad Corinthios cap. 10. vers. 13. *Faciet etiam cum tentatione prouentum.* Ex tentatione Deus bonum elicit, & facit nobis eadem quid accedere & crescere.

Ose. 11. 3.

Vt nutrix vel mater infantem ire doceat, eum parum à se remouet, & statim illum vocat: tremit ille, & ire non audet: illa relinquit solum, etiamsi subinde cadat, hoc minus damnum iudicans, quam quod ire nequeat; eodem modo & Deus nobiscum agit: *Et ego quasi nutritius Ephraim.* Deus nihili hos lapsus & defectus, quos tibi videris committere, facit, si cum vtilitatibus, quæ ex tentationibus resultant, comparentur.

Blos. c. 4. monilis spirit.

Exemplo probatur S. Gertrudis.

Narrat Blosius de sancta virgine Gertrude, quod se valde arguens, ob paruum quendam defectum, quem habebat, desiderarit & petierit à Deo, vt illam plane tolleret. Respondet multa cum suauitate & benignitate Deus: Cur vis me magno honore & te magno præmio spoliari? Quotiescunque enim defectum hunc vel similem agnoscis.

& proponis illum postea vitare, magnum lucraris præmium, & quoties quis laborat mei amore defectus suos superare, tam me honorat, quam quis miles suum Regem, dum pro illo viriliter contra hostes pugnat, & illos vincere conatur.

CAPVT VIII.

Sanctos & Dei seruos non solum tentationibus tristabantur, sed potius ob commodum, quod inde sentiebant, gaudebant.

Tentatio copiosa nobis gaudij materia est. OB magna hæc bona & commoda ex tentationibus oriunda, sancti & serui Dei non solum non tristabantur, & potius ob eas gaudebant, secundum illud *Iacob.1.2.* sancti Apostoli Iacobi: *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in varias tentationes* *Rom. 5.3.* *incideritis.* Et sanctus Apostolus Paulus ad Romanos scribens, ait: *Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem.*

Gregor. li. 8. mor. c 10. Iob. 7. 4. Eodem modo exponit & sanctus Gregorius illud Iobi: *Si dormiero, dicam, quando consurgam? Et rursum expectabo vesperam.* Per vesperam, quam expectabat, intelligit sanctus Gregorius tentationem, & notat illam à Sancto, vt bonum & vtile quid, expetitam. *Expectamus enim prospera, & formidamus aduersa.* Quia vero S. Iobus ducebat tentationem bonum quid & vtile esse, hinc se illam dicit expectare.

Doroth. doct. 13. Ad hoc propositum allegat sanctus Dorotheus exemplum illud, quod in Prato spirituali legitur de quodam sanctorum seniorum Patrum discipulo, qui à fornicationis spiritu impugnabatur, ipseque diuina gratia adiutus viriliter resistebat malis & turpibus cogitationibus, &, vt se mortificaret, ieiunabat, diu orabat, & opere manuum suarum corpus affligebat. Videns sanctus eius magister eum in hac tribulatione, dixit: Si petis, fili mi, rogabo Deum, vt hac te pugna liberet. Respondit discipulus: Quamuis verum sit, Pater, me in magnis esse angustijs; tamen sentio, quod huius tentationis causa plus proficio, nam sæpius ad Deum confugio oratione, mortificatione & pœnitentia. Ideoque hoc vnum te volo rogatum, Deum ores, vt mihi patientiam & fortitudinē largiatur, ad hanc tribulationem tolerandam & vincendam pure & sine reprehensione aliqua. Valde sanctus senex hac responsione gauisus est, & dixit: Nunc tandem aduerto, te in perfectionis via progredi. Nam dum quis ab aliquo vitio impugnatur, & ille strenue resistere conatur; humilis, sollicitus & anxius est, & his afflictionibus & tribulationibus paulatim anima purgatur & mundatur, donec ad magnam puritatem & perfectionem perueniat. Et de alio sancto monacho refert Dorotheus, quod ob certam quandam illi à Deo ademptam tentationem tristatus fuerit, & amare flens Deo dixerit: Domine eram ego dignus tui amore aliquanto tempore affligi & vexari? *Doroth. vbi supra.*

Sanctus Ioannes Climachus refert de sancto Ephrem, quod videns se in altissima pace & tranquillitate positum, quam ipse cœlum terrenum & impassibilitatem nominabat, Deum rogauerit, vt veteres pugnas tentationem redderet & renouaret, ne occasionem & materiam merendi & coronam conficiendi perderet. *Climac. c. 19.*

Et de alio sancto monacho narrat Palladius, quod quodam tempore Abbatem Pastorem adierit, & illi dixerit: Iam Deus pugnas abstulit, & pacem mihi dedit, quod tale quid eum rogauerim. Respondit Pastor: Redi ad Deum, & roga, vt pugnas tuas renouet, negligens euadas: Deum adijt, & dicebat, quod eum Pastor monuerat. Dicebat Deus, bene suasisse Pastorem, & suas illi tentationes reddidit. In huius robur & confirmationem, scimus sanctum Apostolum Paulum, dum peteret à tentatione liberari, non fuisse exauditum, sed à *De Abbate Ioanne Breui.*

Deo

2.Cor.12.9. Deo fuisse responsum: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.*

CAPVT IX.

In tentationibus hominem erudiri, non solum sibi, sed & aliis.

Docet tentatio magisterium perfectionis.

ALIVD eximium & magni ponderis commodum tentationes adferunt, ijs necessarium, qui proximis studere nituntur. Estque, quod in illis anima non solum sibi sed & alijs docetur; in se enim experitur, quod post illi notandum in his, quos tractare & dirigere debet. Qui in spirituali militia se exercet, & attente considerat introitum & exitum Diaboli, næ ille perfectus vitæ spiritualis magister euadit, ad animas regendas: nam vsus & experientia magister optimus: ideoque dici solet, neminem esse meliorem chirurgum, quam qui multa vulnera acceperit. Qui mundum lustrando obeunt, fiunt practici prouidi & experti. *Qui nauigant mare, enarrant pericula eius:* (Eccl.43.26.) idem & in tentationibus euenit; ideoque dicebat Sapiens: *Vir in multis expertus cogitabit multa, qui non est expertus, pauca recognoscit.* (Eccl.34.9.) Qui practicus & exercitatus est in hac spirituali militia, bonus erit pastor. Hæc ergo causa est, quod Deus velit nos tentationes habere, vt in hoc spirituali magisterio docti & habiles euadamus, vt post animas ducere & dirigere queamus.

Ad planiorem huius expositionem, vult Deus nos tentari, vt videntes proximum tentatum & afflictum, ei condolere queamus. Vt enim in corporalibus multum prodest quem ægritudinem & malam dispositionem habuisse, vt post alijs eisdem morbis afflictis compati possit, & eis cum charitate auxilio esse; idem & in spiritualibus locum habet.

Cassia. coll.2. Abb. Moys. c.13.

De quodam monacho refert Cassianus, iuuene & religioso, qui valde ab inhonestis tentationibus exagitabatur, & alium seniorem monachum adijt, & aperte ei omnes has tentationes & malos motus, quos tolerabat, exposuit, credens se eius oratione & consilio aliquod solamen & remedium inuenturum. Sed contrarium plane ei contigit, nam hic solum annis, sed non prudentia & discretione senex erat, & iuuenis tentationibus intellectis, cœpit mirari & obstupescere, & illum arguere austeris & asperis verbis, illum infelicem & miserum nominans, & monachi nomine indignum dicens, quod tales tentationes admitteret, & tandem illum suis rigidis repræhensionibus adeo turbatur, vt monachus pro curatione maiori afflictus vulnere abiret, & tantam in tristitiam, & desperationem incideret, vt iam non de tentationis suæ remedio, sed de consensu cogitaret, & viam ciuitatem versus ingrederetur, hac cum resolutione & intentione. Forte fortuna in via obuium habuit Abbatem Apollinem, sanctissimum & expertissimum virum: hic ex vultu aduertit, eum graui aliqua tentatione laborare, & cœpit magna benignitate expiscari, quid sentiret? quæque turbationis & tristitiæ esset causa, quam vultu & exterius prodebat. Iuuenis adeo à cogitationibus suis victus, & profunda imaginatione tam erat absorptus, vt verbum ei non redderet. Senior tantam esse tristitiam & turbationem videns, vt eum loqui non permitteret, & quod causam celare conaretur, multa suauitate & amore ei importunior fit, vt eloqueretur. Victus tandẽ eius importunitate monachus, candide ait: Cum non possit tam religiose carnis motus & tentationes coercere, vti senex ille exigebat, se decreuisse monasterium relinquere, & ad sæculum redire, & vxorem ducere. Tunc sanctus senex Apollo cœpit illum consolari & animum addere, dicens, & se quotidie huiusmodi tentationibus vexari: ideoque illi minime mirum videri debere, nec diffitendum esse: talia enim non tam labore nostro, quam Dei gratia & misericordia vinci & superari. Tandem ab illo petit, vt vel vnum diem expectet,

Exemplo probatur.

& ad cellam redeat, & ibi à Deo lucem & in necessitate sua remedium efflagitet. Quodque tam breue esset spatium, quod senex petebat, facile annuit. Quo impetrato, vadit Apollo ad senioris cellam, qui illum tam aspere reprehenderat. Cui vicinior factus se orationi dat, & flexis genibus, erectisque manibus, & oculis lachrymis oppletis, cœpit sic Deum rogare: Domine, qui cuiusque vires & fragilitatem nosti, & benignus es animarum medicus, transfer iuuenis huius tentationem in senem hunc, vt in senectute sciat condolescendum esse iuniorum infirmitatibus & tribulationibus. Vix oratione finita, videt paruum quendam Æthiopem valde deformem sagittam versus senis cellam emittere, qua percussus senex, statim cella exijt, & quasi insanus nihil aliud faciebat, quam cellam exire & intrare, & tandem nullam quietem inueniens, eadem via versus ciuitatem, quam iuuenis ingressus erat, inijt. Abbas Apollo, qui hoc adspiciebat, & ex visis tentationem norat, illum accedit, & quærit, quo vadat, & quid causæ vel tentationis haberet, quæ eam grauitatis & maturitatis, quam ætas illa requirebat, oblitum, tam celeriter, & tam inquiete ire cogeret. Ille confusus, & mala conscientia erubescens, facile intelligebat illi suam tentationem notam, & non poterat illi respondere. Tunc manum eius apprehendens sanctus Abbas, cœpit illum monere, & dicere: Reuertere in cellam, & certior esto, hactenus te Diabolum non nouisse, vel parui te fecisse, quod tecum non pugnaret, vt sueuit cum illis, quibus inuidet. Et hinc paruam tuam agnosces virtutem, quod post tot annos, quot monachus fuisti, non vni potuisti tentationi resistere, nec vnum quidem diem tolerare & expectare, sed statim te vincendum dedisti, & paratus opere eandem implere. Scito ergo ideo permisisse Deum hanc tibi tentationem venire, vt & in senectute scires aliarum infirmitatibus compati, & ex ipsa discas tales cum consolatione esse dimittendos, & non cum desperatione, vt iuuenem illum, qui ad te venit, quem Cacodæmon proculdubio hisce tentationibus appetebat, & tibi molestus non erat, quod eius magis inuideret virtuti & profectui, quam tuo, & videbatur illi tanta & tam constans virtus vehementi & forti tentatione impugnanda esse. Disce igitur posthac a te ipso alijs condolendum esse, & manum cadentibus porrigendam, & lapsos blandis & amicis verbis erigendos, & non in ruinam impellendos asperis & austeris verbis: secundum illud Esaiæ: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum, qui lassus est verbo.* Esa. 50. 4. Et idem disce Seruatoris nostri exemplo, de quo idem ait Esaias, & allegat sanctus Euangelista Matthæus: *Calamum conquassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* Esa. 42. 3. Matt. 12. 20. Conclusit post sermonem senex, dicens: Et quandoquidem nullus potest carnis motus & ardores extinguere & reprimere, nisi gratia & auxilio diuino; rogemus Deum, vt te ab hac tentatione liberet, ipse enim est, qui verberat & sanat, qui humiliat & exaltat, qui mortificat & viuificat. Deditque se Sanctus orationi, & vt eius rogatu senem inuaserat tentatio, ita & eam abstulit Dominus. Atque hac ratione & iuueni & seni prudenter fuit consultum.

CAPVT X.

Agitur de remediis contra tentationes, & primum de animis, viribus & gaudio in illis concipiendo.

DE *cætero fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius: induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli:* ait sanctus Apostolus Paulus. Ephes. 6. 10. Sanctus Antonius vir in conflictibus hisce & spiritualibus agonibus apprime exercitatus dicere solitus fuit, nullum ad inimicum nostrum debellandum efficacius reperiri medium,

Generoso animo cedit Satan.

quam

quam animum, robur & hilaritatem ostendere; hoc ipso enim ille tristatur, animum despondet, & nos perdendi spem amittit. Sanctus Pater noster Ignatius libro spiritualium exercitiorum, adfert valde bonam regulam & doctrinam huic materiæ accommodam. Dicit Diabolum in tentationibus nobiscum agere, vt mulierem litigantem cum viro aliquo, si enim videat virum sibi resistere, & animum ostendere, statim illa animo cadit & abit; sed si virum parui aduertit esse animi & timidum, statim illa cristas attollit, audacior fit, & vt tigris sæuit. Eodem & modo, dum nos tentat Diabolus, si videat sibi à nobis resisti viriliter, statim animum despondet, & se victum credit; sin pusillanimitatem in nobis aduertit & timorem, sumit maiorem animum & robur, & vt tigris & leo in nos sæuit. Ideoque ait sanctus Apostolus Iacobus: *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis.* Idem à sancto Gregorio confirmatur illo sancti Iob, vbi secundum septuaginta Interpretes vocatur Diabolus *Mirmicoleon*, id est, *leo & formica*. Est leo formicarum, si enim illi leonis fortitudinem objicias, tibi formica erit. Ideo suadent Sancti, ne in tentationibus tristemur: hoc enim modo pauorem & pusillanimitatem nobis accersemus: sed vt cum animo & gaudio pugnemus, vt refert sacer textus de Iuda Machabæo, fratribus eius & socijs: *Et præliabantur prælium Israel cum lætitia*, & ideo vincebant.

Iacob.4.7.

Gregor. li. 5. mor. c 17. Iob.4.11.

Mach.3.2.

Animat diabolum nostra pusillanimitas.

Alia his accedit ratio, quod, quandoquidem Diaboli tam nobis & saluti nostræ inuident, nostra lætitia illis magno est dolori & tristitię; contra tristitia & abiectus noster animus gaudium illis affert. Et licet aliud non subesset, totis viribus nobis laborandum, ne vel minimum abiecti animi & tristitiæ signũ exhibeamus, ne ipsis gaudium & delectationem paremus, sed magnum potius animũ & lætitiam prodamus, quo sic ad furorẽ adigantur. Referunt Ecclesiasticæ historiæ, nihil Tyrannos maiore furore affecisse, quam quod viderent sanctos Martyres tantum animum & robur in tormentis ostẽdere, sic vt eo ipso, quo Tyranni Martyres excruciare putabant, ipsi cruciarentur. Eodem modo & nobis cum Diabolo in tentatione faciendum, quo sic ad furorem agantur & confundantur. Quoniam vero hoc tanti momenti medium est ad tentationes superandas, & victoriam obtinendam, & triumphum ex hoste nostro agendum; dicemus sequentibus capitibus aliqua, quæ ad hunc animum & robur parandum nobis valde conferent.

Martyrum animus Tyrannorum dolor.

CAPVT XI.

Quam parum in nos possit Diabolus.

NON parum ad hunc animum & robur in tentationibus habendum nobis proderit, si inimicorũ nostrorum debilitatem, & quam parum in nos possit Diabolus, expendamus: quandoquidem nec in vnum quidem peccatum nos pertrahere potest, nisi velimus. Hinc recte S. Bernard. *Videte, fratres, quam debilis est hostis noster, qui non vincit nisi violentem.* Qui ad bellum contra hostes pergens si certus esset se victurum, si vellet, & in manu sitam esse victoriam, quam is lætaretur? Valde sane. Nam certus iam de victoria esset: hoc de ipso enim constat, illum vincere, & non vinci velle. Hac ratione nobis ad bellum contra Diabolum ire licet, nam certo nobis constat ab illo nos vinci non posse, nisi vinci velimus. Hoc recte aduertit sanctus Hieronymus *super cap. 4. Matth.* in verba illa, quæ Diabolus Christo Seruatori nostro dixit, dum in pinnaculum templi translatum tentabat, & illi persuadere nitebatur, vt se deorsum mitteret, dicens: *Mitte te deorsum.* Vbi sanctus Hieronymus: *Vox Diaboli est, qui semper omnes cadere deorsum desiderat.* Potest quidem suadere Diabolus, vt te deorsum mittas, sed ipse mittere neq; si nolis. Mitte te deorsum, dicit Diabolus te tentans: mitte te in infernum. Sed tu illi dicito: Mitte tu te, qui iam viam nosti, nam me ego mittere nolo. Si ergo

Non vincit nisi volentem Dæmon.

Bernardus.

Elegans nota S. Hieronymi.

Matth.4.6.

ergo te mittere nō vis, ipſe te mittere nequit: ſi tu ad infernum ire non vis, ille te eo ducere non poteſt. Quidam tentatione quadam valde vexabatur, & quaſi eadem conſumptus & deiectus, quod Diabolus interius ei diceret: Suſpende te. Aperit ille tentationem cuidam Religioſo, qui dicit: Frater, non eſt neceſſe hoc fieri, ſi velis, ergo illi dic: Nolo: & poſt octo dies fac me certiorem, quî ſuccedat negotium. Et hac ratione tentatio illa euanuit, & ablata eſt, & gratias Confeſſario egit, qui tale illi conſilium dederat. Hocq; illud ipſum medium eſt, quod ponimus.

Aug. ſerm. 167. de tempore. Cum his optime quadrat id, quod ait ſanctus Auguſtinus, quod ante Chriſti in mundum aduentum Diabolus ſolutus erat: Sed Chriſtus in mundū veniens Diabolum ligauit, qui in mundo ſibi vires *Matt. 12.29.* collegerat, teſte ſancto Euangelio, idque *Apoc. 20.1.* eſt, quod ſanctus Iohannes in Apocalypſi ait: *Et vidi Angelum deſcendentem de cœlo, habentem clauem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua. Et apprehendit Draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt Diabolus & Satanas, & ligauit eum per annos mille, & miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignauit ſuper illum, vt non ſeducat amplius gentes, donec conſummentur mille anni. Et poſt hæc oportet illum ſolui modico tempore.*

Dæmonis vis ligata. In locum hunc dicit ſanctus Auguſtinus, Diabolum ligare, eſſe, non illi permittere, quidquid mali vellet vel poſſet, ſi permitteretur tentando & decipiendo mille excogitatis modis homines. Poſtquam Antichriſtus venerit, paulo maior quædam dabitur illi licentia, ſed nunc ſtricte valde ligatus eſt.

Sed dicet quis; Si ligatus eſt, quomodo præualet, & tantum mali facit? Ve- *Aug. l. 20. de ciuit. c. 8.* rum eſſe dicit ſanctus Auguſtinus, quod præualeat, & mali multum committat, ſed hoc eſt negligentibus & otioſis: Diabolus enim vt canis catenis ligatus eſt, & neminem mordere poteſt, niſi accedere volentem: *Latrare poteſt, ſollicitare poteſt, mordere omnino non poteſt, niſi volentem*, & accedentem. Vt ergo fatuus habereris, & omnium te riſui & ludibrio exponeres, ſi te morderi à cane permitteres, qui forti catena ligatus eſt; ſic & (teſte diuo Auguſtino) riſu & ludibrio digni ſunt, qui ſe à Diabolo morderi & vinci permittunt, qui vt canis rabidus ſtricte ligatus eſt, & nemini nocere poteſt, niſi accedere illum volenti. Tu voluiſti, nam illum acceſſiſti, vt te morderet, ille te non poteſt accedere, nec te in peccatum aliquod facere labi, ſi velis, ideoque illum potes ridere.

Ad quod declarandum exponit ſanctus Auguſtinus illud Pſalmi: *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei.* *Pſal. 103.26.* Nonne vidiſti, quomodo cani vel vrſo ligato inſultetur & illudatur, & pueri cum eo ludant, & ſe recreent? Eodem & tu modo Diabolo illudere potes, dum tibi tentationes adfert, & illum canem nominare & dicere: Vade miſer, nam ligatus es, mordere nequis, latratu nocere non potes.

Dum ſancto Antonio Diaboli diuerſa & horribili forma apparerent, aliquando ferarum, vt leonum, tigrium, taurorum, ſerpentum, & ſcorpionum, & illum circumſtarent, & vnguibus, dentibus, rugitu & ſibilo terribili minarentur, & illum ſtatim deuoraturi viderentur; Sanctus illis illudebat, & dicebat: Si aliquæ vobis eſſent vires, vnus veſtrum ſolus ſufficeret, vt cum homine pugnaret; ſed quod debiles ſitis, totam hanc colluuiem ad terrorem incutiendum colligere voluiſtis. *Generoſus Antonij animus.* Si Dominus vobis mei poteſtatem dedit; en præſto ſum, deuorate me; ſin poteſtatem non habetis, cur fruſtra laboratis? Sic & nobis facere licet: nam poſtquam Deus homo factus eſt, nihil virium habet Diabolus, vt ipſe ſanctus Antonius faſſus eſt, qui ideo reſpondit: Gratiæ Deo agendæ, nam quamuis ſis mendacij pater, tamen hic verum dicis, cum Chriſtus ipſemet nobis idem dicat: *Confidite, ego vici mundum*: *Ioan. 16.33.* ego mundum à Diaboli iugo & poteſtate liberaui, ideo nolite animo cadere, ſed confidite. *Deo autem gra-* *1. Cor. 15.57.*

tias,

tias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.

Capvt XII.

Magnum nobis animum & robur accedere debere in tentationibus, eo quod nos Deus adspiciat.

Magnũ theatrum est luctanti cum tentatione.

MVltvm etiam profuerit ad vires & animum in tentationibus colligendum, & strenue pugnandum, si attendamus Deum nos adspicere. Dum miles strenuus cum hostibus pugnat, & aduertit Regem vel Imperatorem se adspicere, & eius valore delectari sumit nouos animos & audaciam in pugnando; idem & vere in certaminibus nostris spiritualibus accidit. Quando ergo contra tentationes decertamus, nobis persuadere debemus nos in theatro quodam circundatos ab Angelis & tota cœlesti curia esse, qui exitum prælij præstolantur, & luctæ & pugnæ nostræ præsidem & iudicem esse omnipotentem Deum. Idque à Sanctis consideratur, se fundantes illo Euangelij: *Et ecce Angeli accesserunt & ministrabant ei.* Pugnam illam & certamen spirituale Christi cum diabolo Angeli adspiciebant, eoque confecto, cœperunt ei seruire, & triumphum canere. *Matth. 4.11.*

Antoniano certamini spectator Deus adest & protector.

De sancto Antonio legitur, quod quodam tempore à Dæmonibus flagellatus, & conculcatus, oculum attollebat, videbatque cellę tectum diuidi, & radium intrare, cuius præsentia omnis illa Dæmoniorum turba fugit, & dolor vulnerum cessauit, & dicebat suspirijs & præcordijs adductis ad Dominum tunc illi apparentem: Vbi eras, bone Iesu? Vbi eras, dum tam male me Diaboli haberent? cur initio pugnæ non hic adfuisti, vt impedires, & vulnera mea sanares? Cui Dominus respondit: Hic à principio fui, sed adspexi, quomodo te in pugna habebas, & quia strenue pugnasti, semper tibi auxilio ero, & te per totum terrarum orbem celebrarifaciam. Sic vt Deo & Angelis, & toti curiæ cœlesti spectaculum simus. Quis ergo non sumet animum, vt coràm tali theatro magnis viribus & animo non pugnet.

Præterea, dum dicitur, Deum nos adspicere, idem est, ac si diceretur, Deum nos sanare. Ideoque nobis vlterius progrediendum, & considerandũ, quod non solum nos Deus adspiciat vt Iudex, vt premium & brauium det, si vincamus: sed & id facit, vt pater & patrinus, vt auxilium & fauorem suggerat, vt victores euadamus. *Oculi enim Domini contemplantur vniuersam terram, & prebent fortitudinem.* *2. Para. 16.9.* *Quoniam à dextris est mihi, ne commouear.* *Psal. 15.8.* Quarto Regum libro narratur, Syriæ Regem misisse omnem suum exercitum cum curribus & equis ad ciuitatem Dothaim, in qua erat Propheta Elisæus, vt eum caperet. *4. Reg. 6.16.* Et quod surgens mane famulus eius Giezi, & tantam videns multitudinem, ad Elisæum accurrerit, indicans, quid accidisset, & dicens: *Heu, heu, heu, Domine mi, quid faciemus?* putabat enim omnia iam perdita. Dixit illi Propheta: *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis*: petijtque à Domino, vt oculos illi aperiret, vt videret. Aperit illi Deus oculos, & videt totum mundum plenum equitibus & curribus igneis ad eos defendendos, quo viso valde confortatus est: quod & nobis ad idem seruire debet. *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me*, dicit sanctus Iob. *Iob. 17.3.* Similiter Propheta Ieremias: *Dominus autem mecum est, quasi bellator fortis, idcirco, qui persequuntur me, cadent & infirmi erunt: confundentur vehementer.* *Ierem. 20.11.*

Sanctus Hieronymus in illud Prophetæ: *Domine vt scuto bonæ voluntatis coronasti nos.* *Hieronymus. Psal. 5.13.* Dicit, notandum esse, in mundo aliud esse scutum, aliud vero coronam: apud Deum autem idem est, scutum & corona: dum enim nos Deus scuto suo bonę voluntatis defendit, nobis auxilium & protectionem adferens, hoc eius scutum & defensio nostra est victoria & corona. *Si Deus pro nobis, quis contra nos.* *Rom. 8.31.*

CAPVT XIII.

De duabus rationibus, vt magno animo & fiducia in tentationibus pugnemus.

Basil. ser. 21. ex 28. de variis argum.

SANCTVS Basilius dicit, furorem & inimicitiam, quam erga nos habet Diabolus, non solum in hominem, sed & in Deum se extendere: & quia in Deum nihil potest, nec ibi furori suo facere satis, videns hominem ad Dei imaginem & similitudinem creatum; omnem suam rabiem in hominem vertit, eo quod imago & similitudo Dei sit, quem tanto odio prosequitur, & de eo vindictam sumere conatur, quare, quid mali & damni potest, illi inferens. Quasi quis Regi valde offensus, omnem iram in eius imaginem effundat, quod contra Regem nihil valeat. Et vt taurus, dicit S. Basilius, videns se ab homine stimulatum & vulneratum, statuam & figuram inuadit, & omnem iram & furorem in illam effundit, & eam disrumpens, vt se de homine vindicet.

De Dei honore agitur, & mea salute.

Hinc Sancti duas eruunt rationes valde accommodas, vt animum in tentationibus addant, & fiduciam parent, vt de ijs victoria potiamur. Prior est, quod hic non de solo nostro, sed & de Dei honore agitur, quem Diabolus iniuria afficere, & per nos offendere conatur. Cui tam forti nos animo occurrere oportet, vt potius vitã perdere, quam deficere velimus, nec Diabolus voti sui compos fiat, quod contra Deum hanc vindictam quęrat in nobis, vt in eius imagine, quam ipse tantopere amat, & tanti æstimat. Adeo vt iam non solum partem nostram defendamus, sed & pro Dei parte & causa stemus, ideoque potius hic moriendum, quam consentiendum, ne Dei honor detrimentum patiatur.

Ergo & Deus in partem veniet auxilij.

Posterior est, quandoquidem Diabolus propter Deum & odium, quo diuinam eius Maiestatem prosequitur, nobis bellum mouet; certo nobis sperandum & confidendum, Deum causæ nostræ adfuturum, & hoc negotium vt suum curaturum, & nobis adfuturum, ne vincamur & superemur, sed vt inde victoriam & & triumphũ referamus. Nam & in mundo videre est, si quis Rex vel magnus Princeps videt quempiam sua causa & respectu in angustijs & tribulatione positum, statim accurris, & negotium vt suum defendit. In libro Esther dicitur, quod Mardochęi causa Amman omnes Iudęos in periculum mortis adduxerat: sed Mardochæus ita negotium verterit, vt Amman & suis mensura illa mensus fuerit, qua illi metiri nitebatur. Multo hoc facilius faciet Deus, ideoque audacter Deo dicere licet: *Exsurge Deus, iudica causam tuam. Apprehende arma & scutum, & exsurge in adiutorium mihi.*

Psal. 72.22. Psal. 34.2.

CAPVT XIV.

Deum non permittere quem plus tentari, quam ferre potest, & animo non cadendum, crescente vel durante tentatione.

1. Cor. 10.13.

FIDELIS *autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere:* ait sanctus Apostolus Paulus, sed crescente tentatione, crescet & auxilium & fauor ad vincendum, & de hostibus vestris triumphum agendum, & lucrum ex tentatione referendum. Magnæ consolationis hæc res est, & quæ animum in tentationibus addit: Vna ex parte nobis constat, Diabolum non plus posse, quam illi à Deo permittitur, nec vel minimum tentationem augere. Alia ex parte certi sumus, Deum non permissurum, nec licentiam daturum, vt plus nos tentet, quam tolerare possumus: vt hoc loco ait Apostolus: Quis ergo non se consoletur, & animum sumat? Non est medicum reperire, qui tanta cum sollicitudine ponderat & taxat aloes vncias, quas ægro dari conuenit, secundum subiecti morbi dispositionem; vt

O benignum Dei prouidentiam.

vt

vt medicus & physicus ille cœlestis ponderat & taxat aloem illam tentationum & tribulationum, quam seruis suis vult dare, vel dari permittere secundum cuiusque vires & robur. Dicit sanctus Abbas Ephrem: Si figulus, qui ex luto vasa fingit, & fornaci imponit, exacte tempus nouit, quo illa igne excoqui necesse est, vt bene temperata, percocta, & hominum vsibus accommodata, extrahantur, nec diutius igne excoqui patitur, quam par est, ne comburantur & rumpantur; nec etiam breuiori ad id tempore vtitur, nec incocta & manibus sublata rumpantur: quanto magis Deus sic nobiscum aget, cuius infinita est sapientia & bonitas, & paterno & magno nos amore prosequitur.

Ephrem ser. 1. de patientia.

Ambros. l. 6. super Matth. Matt. 8. 23.

Sanctus Ambrosius in illud Matthæi: *Ascendente Iesu in nauiculam, sequuti sunt eum discipuli eius, & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus: ipse vero dormiebat.* Dicit notandum esse, etiam Dei electos, & qui in eius sunt consortio, tentationibus exagitari, & subinde se dormire simulare, amorem, vt bonus pater, quem ad nos filios habet, abdentem, vt tanto plus ad illum accurrant; sed ait, Deum non dormire, nec nostri oblitum esse.

Habac. 2. 3.

Dicit Propheta Habacuc: *Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.* id est, citissime veniet. Videtur tibi tardare Deus, sed vere non tardat.

Nox ægroto longa videtur, & diem tardare; sed sic se res non habet, non tardant, sed suo tempore adsunt: Sic nec Deus tardat, quamuis tibi vt ægro ita videatur. Ipse tempus & oportunitatem nouit, & necessitatis tempore aderit.

Aug. ep. 143. ad Demetr. virg. Ioan. 11. 4.

Ad hoc propositum allegat sanctus Augustinus, quod Christus Seruator noster Mariæ & Marthæ Lazari sororibus respondebat: *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam.* Iusserant ei nuntiari, Lazarum amicum eius infirmari, & duos dies expectauit, & eo non iuit, vt insignius esset miraculum.

Eodem modo & Deus cum seruis suis agit, relinquit illos aliquo tempore in tentationibus & tribulationibus, vt eorum oblitus videatur. Sed non eorum oblitus est, sed ei propositum illos post maiore cum gloria & triumpho eruere. Vt enim Ioseph multo tempore in carcere detineri permittebat, vt inde illum post cum honore & gloria liberaret, vt & fecit, constituens illum totius Ægypti rectorem. Eodem modo, ait, & tibi persuadendum; si enim moretur Dominus, & permittit tentationem durare, id ideo fieri, vt post te maiore tuo commodo & profectu inde eruat.

Chrys. Hom. Psal. 9. 15.

Idem notat & sanctus Ioannes Chrysostomus in hæc verba: *Qui exaltas me de portis mortis.* Aduertendum, ait, Prophetam non dicere: Liberas me de portis mortis, sed exaltas. Deus enim seruos suos non solum à tentationibus non liberat, sed eos progredi patitur, iisdem illos eminentiores & insigniores reddens. Et quantumlibet te depressum sentis, & licet tibi videaris vsque ad inferni portas peruenisse; tamen fidendum tibi est, Deum te inde eruturum: *Quia Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit,* dum videris tibi iam perditus esse. Hincque dicebat S. Iob: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* *Iob. 13. 15.*

S. Hieronym. Iona 2. 1.

Sanctus Hieronymus recte examinat factum illud Ionæ Prophetæ, qui putans iam se perditum, & nullum remedium superesse, sed se in mari (quo præcipitabatur) submergendum: *Præparauit Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam,* vt illum reciperet, seruaret, & in terram exponeret, non vt deuoraret, sed vt pisce tanquam naui in littus appelleret. *Animaduertendum est, quod vbi putabatur interitus, ibi custodia est & vita,* ait sanctus Hieronymus.

Idem & nobis ait contingere, qui putamus nobis esse perditioni, quod lucro est, & quod mortem, vita est. Vt enim qui vas vitreum ab gesticulatore va- *Aptum simile.*

rie iaci videt, timet ne in terram labatur, & disrumpatur, sed posteaquam bis terve est proiectum, metus eximitur, laudatque gesticulatoris dexteritatem, ac miratur.

Eodem modo & serui Dei, quod habilis & dexter sit Deus, & longo rerum vsu & experientia probatus, optime nobiscum ludere nouerit, nos exaltando & humiliando, vulnerando & sanando, idcirco nec prospera nec aduersa metuunt, licet se fragiles & quasi vitreos norint; sciunt enim boni artificis manibus se teneri, qui vitream illam phialam non Psal.30.16. franget, nec labi finet. *In manibus tuis sortes meæ.*

In Ecclesiastica historia refertur, dixisse Abbatem Isidorum: Iam quadraginta annos cum vno vitio pugno, & Isidorus Abbas. nunquam consensi. Et de alijs sanctis monachis similia exempla continuarum & longarum tentationum leguntur, cum quibus magna fiducia & robore dimica- Baruch 3.26. bant. *Illi fuerunt gigantes scientes bellum*, quos tanquam bello expertos nos imitari oportet.

Cypr. l. de exhort. martyr. Sanctus Cyprianus, vt hic nobis fiduciam & animū addat, allegat illud Esaiæ: Esa.43.1. *Nolite timere: Quia redemi te, & vocaui te nomine tuo; meus es tu. Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te: quia ego Dominus Deus tuus, Sanctus Israel Saluator tuus.* Ad hoc etiam multum faciunt blanda illa & suauia verba, quæ per eundem Esa.66.11. Prophetam dicit Deus: *Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur; ita ego consolabor vos.* Aduerte, quanto amore & suauitate mater infantem recipit, dum quid timens ad eam accurrit, quomodo illam amplexatur, & vbera dat, quomodo os ori eius applicat, & illi blanditur & fouet. Maiore multo tamen amore, & blanditijs amplexatur Deus eos, qui ad eum in tentationibus & periculis accurrunt. Hoc dicebat Propheta sibi in tentationibus & tribulationibus magno solatio fuisse, & vires & animum suggessisse: *Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti. Hæc me consolata est in humilitate mea, quia eloquium tuum viuificauit me.* Psal.18 49. Idem & nobis solatio esse deberet, & nobis animum dare, & fiduciam in tentationibus addere: Deus enim verbis suis deesse non potest. *Impossibile est mentiri Deum:* Heb.6.18. dicit sanctus Paulus Apostolus.

CAPVT XV.

Sibi diffidere, omnemque in Deo spem ponere, magnum esse medium ad tentationes superandas, & quid causæ sit, quod Deus tam succurrat, qui in illo confidunt.

SIBI diffidere, & omnem in Deo fiduciam ponere, singulare & efficacissimum est medium ad victoriam & triumphum de tentationibus adipiscendum. Hincq; videre est, Deum in multis sacræ Scripturę locis non aliam assignare rationem, ob quam aliquē protexerit, & tempore tribulationis & tentationis liberauerit, quam quod in illo sperauerit, & illi fisus fit. *Quoniam in me sperauit, liberabo eum.* Psal 90 14. *Qui saluos facit sperantes in te.* Psal.16.7. *Protector est omnium sperantium in se.* Psal.17.31. Vnde Ecclesia illam orationem sumpsit: *Protector in te sperantium Deus.* Et Psalmo 56. idem Psal.56.2. allegat, & Deo proponit Propheta, vt illum obliget, ad illi misericordiam exhibendum: *Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea. Et in vmbra alarum tuarum sperabo.* Idem & Propheta Daniel facit: Dan.3.40. *Quoniam non est confusio confidentibus in te.* Et Sapiens ait, neminem vnquam in Deo sperantem confusum fuisse: Eccles.2.11. imo tota sacra Scriptura similium sententiarum plena est: de quo superius planius diximus, & ideo necesse Tract.3.c.35. l.38. non erit hic pluribus de eo agi.

Sed videamus, quid causæ sit, quod hoc medium tam sit efficax, id auxilium à

Deo obtinendum, & cur Deus tam illis adsit, qui in illo confidunt, & sibi diffidunt. Ratio huius & sæpius ante posita est, & eandem ipse Dominus Psalmo 90. allegat: *Quoniam in me sperauit, liberabo & defendam eum.* Quare? *Protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.* Exacte illud sanctus Bernardus exponit, dum ait: *Si tamen cognouerit nomē meum, ne sibi tribuat, quod liberatus est, sed nomini meo det gloriam.* Tunc enim Deus negotium sibi sumit, & onus in se suscipit & ad gloriam & honorem suum dirigit. Dum vero quis sibi medijs & diligentiæ suæ fidit, totum sibi adscribit, & Deo aufert, & se eo honore & gloria, quæ Dei solius est, extollit, illum Deus in fragilitate permanere sinit, vt nihil efficiat; vt enim ait Propheta: *Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in iis, qui sperant super misericordia eius*; hisque copiosam & abundantem misericordiam, fauorem & auxilium impertitur.

Psal. 90.14. Bern. ser. 15. sup. Ps. Qui habitat. Psal. 146.10.

Sanctus Augustinus ait, ideo Deum subinde dona & fauorem suum differre & permittere, vt diu in nobis remaneant aliquorum vitiorum reliquiæ, & prauæ inclinationes, quas habemus, quas plane vincere & delere non possumus. Non vt damnemur, sed humiles simus. Commendans nobis gratiam suam, ne facilitatem in omnibus assequuti, nostrum putemus esse, quod eius est: qui error multum est Religioni pietatique contrarius. Si n. hęc facile acquireremus, nō tanti ea faceremus, persuadentes illa nostra diligentia parata esse. Sanctus Gregorius in verba illa Iob: *Ecce non est auxilium mihi in me*, dicit: Plerumque enim virtus habita deterius, quam si deesset, interfecit: quia dum ad sui confidentiam mentem erigit, hanc elationis gladio transfigit: cumque eam quasi roborando viuificat, eleuando necat: ad interitum videlicet pertrahit, quem per spem propriam ab interna fortitudine fiducia euellit. Sæpius tam male Dei donis & virtute vtimur, vt vtilius nobis foret ea non habere, eis enim superbimus, & statim nobis valde fidimus, & nobis, viribus nostris & diligentijs adscribimus, quod pura puta Dei gratia & misericordia possidemus. Ideoque Deus nobis sua sæpe dona negat, & millies suam quis insufficientiam & fragilitatem experitur in multis operibus bonis, magnis & paruis, quæ facere non potest, dum vellet, & permittit, vt longo tempore hæc insufficientia duret, vt se discat humiliare, & sibi non fidere, nec sibi quid adscribere, sed omnia in Deum referre. Tuncque canere & dicere poterit: *Arcus fortius superatus est, & infirmi accincti sunt robore.*

August. li. de pecc. meri. & remiss. c. 19. Greg. lib. 7. mor. c. 16. Iob. 6.13. D. Vinzent. tract. de vita spirit. c. 3. 1. Reg. 2.4.

Capvt XVI.

De orationis remedio, vbi & aliquot iaculatoriæ orationes ponuntur tempori tentationum accommodatæ.

Orationis medium semper nobis valde commendatū esse debet, nam medium omnium est generalissimum & præcipuum, quod ideo sacra Scriptura & Sancti nobis proponunt. Idemque Christus nos docet, vt videre est in Euangelio: *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* Idque non solum verbo, sed & exemplo nos ipsa passionis nocte docere voluit, dum se longa & prolixa oratione ad pugnam illam pararet. Non quod ipse eo opus haberet, sed vt nos erudiret, sic in omni nostra aduersitate & tentatione agere. Abbas Iohannes dicebat, Religiosum esse oportere similem homini, qui sinistra manu ignem, dextera vero aquam fert, vt ignem incendentem aqua statim extinguat. Sic & in nobis incipiente ardere, turpium & inhonestarum igne ardere & incendi, statim aqua ad manum habenda, & orationis aqua vtendum, vt extinguatur. Adducit & aliam similitudinem, & dicit: Religiosum similem esse homini, qui sub ma-

Abbas Ioannes.

gna recumbit arbore, qui videns se à serpentibus & multis feris inuadi, quibus cum resistere non potest, arborem adscendit, & ibi se tuetur.

Eodem modo & Religiosus aduertens tentationes ingruere, adscendere oratione debet & ad Deum recurrere, & sic seruabitur, & à Diaboli laqueis & tentatio-
Prou.1.17. nibus liberabitur. *Frustra autem iacitur rete ante oculos pennatorum.* Frustra ille laqueos suos tendet, si nos volare & in sublime orationis alis tendere noueri-
Psal.24.15. mus. *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.*

1. part. tr.15. Prima parte fusius de hoc orationis medio egimus: nunc solum colligemus aliquot iaculatorias orationes, quibus tali tempore vti poterimus: plena his est sacra Scriptura, præcipue Psalmi orationibus huc pertinentibus repleti sunt; cuiusmodi sunt: *Domine vim patior, respon-*
Psal.38.14. *de pro me. Exsurge, quare obdormis, Domi-*
Psal.43.23. *ne? exsurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam auertis? obliuisceris inopiæ no-*
Psal.34.2. *stræ, & tribulationis nostræ? Apprehende arma & scutum, & exsurge in adiutorium*
Psal.12.1.3. *mihi: dic animæ meæ: salus tua ego sum. Vsquequo Domine obliuisceris me in finem? Vsquequo auertis faciem tuam à me? Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? Respice, & exaudi me Deus meus: Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in mortem, ne quando dicat inimicus meus, præualui*
Psal.9.10. *aduersus eum. Adiutor in opportunitati-*
Psal.56.1. *bus, in tribulatione. In vmbra alarum tua-*
Psal.62.8. *rum sperabo. Et in velamento alarum tuarum exultabo.*

Vt pulli sub matris alis se abdunt veniente miluo, eodem modo & nos Domine sub alis tuis seruabimur, & custodiemur.

Augustinus. Multum sanctus Augustinus hac consideratione lætabatur, & Deo dicebat:
Psal.16.8. *Si non me protegis, quia pullus sum, miluus me rapiet. Sub vmbra alarum tuarum protege me.* Ad hoc præcipue multum va-
Psal.67.1. let Psalmi 67. initium: *Exsurgat Deus, & dissipentur inimici eius: & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius.* Vt enim ipsis non virtutes nostras, sed Deum opponimus, nobis non fidentes, & contra ipsos suæ Maiestatis auxilium implorantes; deficiunt & fugiunt, quod illum pro nobis arma sumpturum videant.

Aliquando nobis his & similibus sacræ Scripturæ verbis, quæ singularis sunt energiæ, vtendum: aliquando huiusmodi, quæ necessitas in nobis exprimit (quæ etiam valent plurimum) hoc remedium in manu habendum, & ad Deum per orationem recurrendum.

Ideoque dicere solitus erat Pater Magister Iohannes Auila: Tentatio ad te, M. Auila.
tu vero ad Deum. *Leuaui oculos meos in* Psal.120.1.
montes, vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram. Nobisque enitendum, vt clamores hi & suspiria non ore, sed & ipsis præcordijs exeant, secundum illud Pro-
phetæ: *De profundis clamaui ad te Domi-* Psal.129.1.
ne. Ait sanctus Chrysostomus in hæc ver- Chrys. tom.1.
ba: *Non dixit solummodo ex ore, neque so-* hom.l. super Psal.129.
lummodo ex lingua: nam errante etiam mente verba funduntur: sed ex corde profundissimo, cum magno studio & magna animi alacritate, & ipsis mentis penetralibus: magnoque feruore ad Deum clamabat.

CAPVT XVII.

De duobus alijs contra tentationes remedijs.

Ait Sanctus Bernhardus, quod dum Bern. de inte-
Diabolus aliquem fallere vult, prius rior. dom. c.
diligenter naturam, conditionem & in- 47.
clinationem eius exploret, eoque, quo magis illum propendere aduertit, illum adoriatur. Facilioris & suauioris naturæ inhonestis tentationibus & vana gloria inuadit: asperæ vero & austeræ conditionis ira, superbia, indignatione & impatientia tentat.

Idem annotat & diuus Gregorius, id- Gregorius.
que probat similitudine ab aucupibus sumpta, quibus id vel primum est, vt

sciant,

sciant, qua esca aues maxime delectentur, vt ea insidias & laqueos tendant: eodem modo & aduersarijs nostris Diabolis id ante omnia propositum est, vt indagent, quibus maxime recreemur, & delectemur, vt ijsdem nobis insidientur & vexent. Ideoque videre est, Diabolum Adam muliere tentasse & aggressum, norat enim illum ea multum affici: Similiter & Sampsonem eodem modo impugnauit & superauit, vt ænigma exponeret, in quo fortitudo eius sita erat. Explorat Diabolus vt astutus miles, & circumit, vt aduertit, quæ debilior sit animæ nostræ pars, quæ passio in vnoquoque prædominans, & ad quid magis propendeat, vt inde quem inuadat. Ideoque & nobis illa maxime munienda, prouidenda & sepienda sunt contra inimici nostri dolum & stratagema: aduertendo, quæ debilior animæ nostræ pars, quæque virtute inanior (quæ illa merito censetur, cui naturæ inclinatio, vel passio, vel praua consuetudo maxime imperat) illaque maiore cura & sollicitudine defendenda.

Aliud remedium cum præcedente conueniens adferunt Sancti & spiritualis vitæ Magistri, dicuntque pro generali regula sumendum, tentatione aliqua ingruente, statim ad eius contrarium recurrendum, & inde defensionem parandam. Hac enim ratione medici corporis infirmitates curant. *Contraria contrariis curantur.* Ægritudini ex frigore orientur calida, ex siccitate vero, humida applicantur, hoc enim modo humores temperantur, & ad debitam proportionem reuocantur. Eodem modo & nobis ægritudinibus & tentationibus animæ medendum. Idque est, quod Pater noster ait: Anteuertere oportet tentationes, adhibitis earum contrarijs; vt cum quis animaduertitur ad superbiam esse propensus, exerceri is debet in rebus abiectioribus, quæ ad humiliandum illum vtiles futuræ videantur: & sic de alijs prauis animæ propensionibus. *3.p.const. c.1. §. 13. & reg. 14. summar.*

CAPVT XVIII.

De duobus aliis remediis magni momenti, quæ sunt principiis obstare, & nunquam otiosum esse.

ALIVD bonum & generale remedium hic assignant Sancti, vt nimirum principijs obstemus: hincque ait sanctus Hieronymus: *Dum paruus est hostis, interfice: nequitia elidatur in semine*, ne forte crescat, & post id facere nequeas. Similis est tentatio ignis scintillæ, quæ si semel cœperit, crescit & vrit. *A scintilla vna augetur ignis.* Ideoque & recte alius dixit: *Hieronymus. Eccl. 11.34.*

Principiis obsta, sero medicina paratur:
Cum mala per longas inualuere moras.

Rectius id Spiritus sanctus per Prophetam Dauid monet: *Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* Et per Salomonem: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Dum tentationum vulpeculæ paruulæ sunt, dum incipiunt superbiæ, affectiuncularum, amicitiarum, singularitatis cogitationes, tunc illæ tibi frangendæ fortissima illa petra, qui est Christus Seruator noster, eius exemplo & adspectu, ne crescant, & animæ tuæ vineam demoliantur. Penes nos non est impedire, ne tentationes veniant, nec prauæ cogitationes; sed beatus ille, qui initio & incipientibus nouit valedicere. Sic locum hunc exponit sanctus Hieronymus: Multum refert principijs occurrere, dum debilis est hostis, & paruas habet vires; tunc enim facile illi resistitur; sed post valde difficulter. *Psal. 136.9. Cant. 2.15. Hiero. epi. ad Eustochium.*

Idem similitudine sanctus Chrysostomus declarat: Si ægroto nascatur cupiditas quid noxium edendi, etsi hanc cupiditatem superat; hic se damno illo, quod noxium adferre poterat, liberat, & citius conualescit: sed si vt paruæ illi delectationi obsequatur, noxium illud edit, *Chrys. contra concubinar.*

edit, grauior fit ægritudo, & mortem adfert, vel difficulter sanatur. Quod malum vitare potuisset, si quid laboris & operæ posuisset, vt inordinatum illum appetitum cogeret initio, & gulositatem noxium illud edendi refrænaret. Eodem modo si homini cogitatio vel cupiditas videndi quid irrepat, & se hic initio vincit visum compescendo, & cogitationem statim propulsando, se molestia & labore tentationis liberat, quæ inde erat oriunda, & damno, quod consensu forsitan incurrisset. Si vero initio se non vincit & compescit, parua illa negligentia & delectatione, quam videndo vel cogitando cepit, mortem sibi animæ adsciscit; vel saltem magnum laborem & difficultatem resistendi experitur. Sic vt quod initio paruo vel nihilo constitisset; post caro emendum est. Hincque concludit Sanctus, multum referre, vt principijs obstetur.

In vitis Patr. 1.p.pag.913. In vitis Patrum refertur, Diabolum quodam tempore Abbati Pachomio apparuisse in formosę mulieris figura, & increpante illum Sancto, quod tanta malitia ad fallendos homines vteretur; respondit Diabolus: Si titillationibus nostris ingressum aliquem aperitis, statim maiora incendia excitamus, vt vos ad peccatum prouocemus, sin aduertamus principio resisti, & ingressum imaginationibus & cogitationibus à nobis propositis negari, vt fumus euanescimus.

Vtile etiam contra tentationes remedium est, nunquam esse otiosum. Hincque ait Cassianus, Ægyptios Patres id vt primum principium habuisse, & vt antiquam traditionem obseruasse, tanquam à maioribus traditam, quam & discipuli studiose emendabant vt singulare remedium: *Semper te Diabolus occupatum inueniat.*

Idque & Dominus sanctum Antonium docuit, vt vnicum medium, quo in solitudine duraret, dedit, vtque se contra tentationes muniret: quod sanctus Augustinus allegat, & ait, sanctum Antonium non semper potuisse orationi vacare, quamuis sanctus Antonius esset, & sæpius varijs cogitationibus fuisse exagitatum, ideoque Deum orasse, dicens: Domine vellem bonus esse, quid faciam? cogitationes non permittunt. Et audiuit vocem sibi dicentem: Antoni, si cupis Deo placere, ora, & dum orare non poteris, manibus labora, & semper aliquid facito: Fac, quod in te est, & non deficiet tibi auxilium de Sancto. Alij dicunt, iuuenis forma Angelum illi apparuisse, qui paulisper fodiebat, & post genibus flexis, & leuatis manibus paulisper orabat: quod ad idem tendebat. Otium multarum tentationum & malorum radix & origo est; idcircoque plurimum nostra interest, ne Diabolus nos vnquam otiosos, sed semper occupatos inueniat. *Aug. ser. 17. ad fratres in eremo.*

CAPVT XIX.

De tentationibus, quæ boni specie & prætextu oriuntur, & magnum esse remedium contra omnes tentationes, illas huiusmodi cognosci & haberi.

SANCTVS Bonauentura aliud quid, commune quidem, sed tamen necessarium in medium adfert: quod sciendum sit, Diabolum solere bonos, & qui virtuti & perfectioni student, aggredi specie aliqua & similitudine boni, seque transfigurare in Angelum lucis. Venena non dantur (ait sanctus Hieronymus) nisi saccaro & re aliqua delectabili, & gustui grata tecta, ne sentiantur, & auceps laqueum esca tegit. *Bona. process. 4. relig. c.12.* *Hieronymus.*

Idem & Diabolus facit. *In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.* Si enim manifeste malo illos inuaderet; qui virtutem amant, & Deo seruire student, fugerent, & nihil cum illis conficeret. Idcircoque ait sanctus Bernardus: *Bonus nunquam nisi boni simulatione dece-* *Psal. 141.4.* *Bern. ser. 66. in Cant.*

deceptus est. Astutus valde est Diabolus, exacteque nouit, vnde quem impugnari oporteet, & ideo vt facilius voti sui compos fiat, simulatus aggreditur. Ante omnia (ait sanctus Bonauentura) ex se bona proponit, deinde cum malis permiscet. post falsa offert bona vereque mala, & dum quem laqueo suo irretitum habet, vt difficulter se queat expedire, tunc manifeste venenum ostendit, & in manifesta peccata propellit. Estque scorpioni similis, qui facie quidem est blanda & grata, sed in cauda venenum, quo occidit, habet.

Bonauen. fur.

Quot (dicit Bonauentura) amicitiam & familiaritatem cum aliquibus colore pietatis contraxerunt, sibi persuadentes, totum hoc Dei causa susceptum esse, & commodum animæ acquisitum: & initio forsan sic se res habuit; sed id stratagema Diaboli est, quod post aperitur. *Non enim ignoramus cogitationes eius*, vt ait sanctus Apostolus Paulus 2. ad Corinthios 2. vers. 11.

Hinc ipse incipit prius à bonis, statim vero longa colloquia & conuersationes sequuntur, quæ subinde de Deo, post de mutuo amore sunt: inde aliqua dona & munuscula in amoris signum dantur, vt sui vtrinque recordentur: quæ, vt sanctus Hieronymus *epistol. 2. ad Nepotian. tom. 1.* inquit, amoris non sancti signa sunt, nam *sanctus amor non habet*. Diabolus iam mala bonis miscet, deinde falsa bona & vera mala sequuntur.

Hac ratione Diabolus in hoc & alijs multis vitijs fallit, quæ velo virtutis tegit, ne id, quod sunt, videatur & intelligatur. Vt qui se alteri amicum simulat, vt ad illum accessum habeat, & post post proditione occidat; vt fecit Ioab Amasæ, & Iudas Christo Seruatori nostro, tradendo, & osculo pacis vendendo eum.

2. Reg. 20 9. Luc. 22. 48.

Hincque necesse has tentationes, quæ colore boni superueniunt, cauere, & excubare, tanto enim periculosiores, quanto ignotiores sunt. Hinc petebat Propheta à Deo, vt illum liberaret *ab incursu & dæmonio meridiano.* Nam nec Diabolo satis est se in Angelum lucis transfigurasse, vt dicit sanctus Apostolus Paulus 2. ad Corinthios 11. vers. 14. sed & se transfigurat in lucem meridianam, & fingit valde clarum & splendens, quod ipsamet obscuritas & tenebræ est; persuadens nil timendum, nec quid periculi esse, sed vere clarum & bonum esse, quod vere malum & ex se periculosum.

Bern. ser. 33. super Cant. Psal. 90. 6.

Aliqui reperiuntur fures, qui tam compti & sericis vestibus induti sunt, vt à nullo noscantur, & nemo cogitet tantam nequitiam in homines sic indutos cadere posse, donec cum furto in manibus capiantur & prehendantur. Tunc omnes mirantur hosce fures esse, & dicunt: Quis tale quid cogitasset? Idem & de tentatione, quæ sub boni specie irrepit, sentiendum.

Communis Sanctorum & spiritualis vitæ Magistrorum opinio est, magnum contra tentationes remedium esse, nosse id, quod nos impugnat, tentationem esse; vt & est, quempiam inimicum esse, vt illum caueamus. Ideo & superius dictum efficacissimum ad superandas tentationes medium esse propriam cognitionem. Potestque huius medij energia facile hinc elici: quodsi adueniente tentatione, motu & appetitu prauo videres horribilem & terribilem Diabolum, qui hoc tibi persuadere niteretur; quid faceres? Statim te signo crucis signares, & nomen Iesu inuocares: nulla alia re opus foret, quam scire Diabolum esse, qui hoc tibi persuadet, vt intelligeres fraudem & tentationem esse, & vitares.

Tract. 1. c. 11.

Idem & in nostris tentationibus accidit. Vt enim omnes nobiscum habemus Angelum custodem, secundum illa Christi verba: *Videte, ne contemnatis vnum ex pusillis his: Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* In quæ verba ait sanctus Hieronymus: *Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum deputatum.*

Matt. 18. 10.

Hieron. super Matth.

tum. Vt pater filio, quem multum diligit, pædagogum adiungit, qui eum custodiat, & doceat bonos mores: sic & Deus valde nos amat, & tanti facit, vt cuique Angelum vt pædagogum dederit.

Vt ad propositum redeamus; vt Angelum habemus; habemus & Diabolum, cui nihil aliud curæ, quam nos ad malum prouocare, & in nobis malas cogitationes, & deteriores motus excitare. Hinc semper occasionem & opportunitatem ad hoc expectat; nunquam enim dormit, & inclinationem nostram aduertit, idque, quod magis nobis arridet, explorat, vt eo nos aggrediatur & tentet; hoc vt medio, carne & sensualitate nostra vtens, vt nobis noceat. Ideoque dicebat Deus Diabolo: *Nunquid consideraſti ſeruum meum Iob?* vt qui illum obseruabat. *Et Diabolus eſt à dextris eius.* Iob.2.3. Psal.108.6.

Dum ergo aliquis motus vel cogitatio tibi surrepit, quæ ad peccatum aliquod vel imperfectionem excitat, intellige Diaboli tentationem esse, & crucis signo te signa, & caue, quasi Diabolum videres, qui tibi diceret, vt tale quid faceres.

Gregorius. Sanctus Gregorius *libr.* 2. *Dialog. capite* 75. quoddam citat exemplum, quod sancto Benedicto cum quodam Monacho contigit, quo hoc clarius exponitur. Dicit Monachum quendam vocatione valde tentatum fuisse; videbatur Religionis austeritatem ferre non posse, & ad sæculum volebat redire. Sæpe ob hanc tentationem ad sanctum Benedictum veniebat, cui ille dicebat Diaboli esse tentationem, & ideo faceret, quod oportebat.

Cumque id sæpius contingeret, & nihil proficeret, quod nouitius semper instaret, & veniam exeundi peteret. Cuius instantia Sanctus defatigatus consensit vt abiret, & iussit illi vestes dari. Sed vt pater non potuit non dolere & pro illo orare. Et exiens portam monasterij Monachus, vt ad sæculum reuerteretur, videt sibi obuium fieri magnum Draconem, qui patulo ore illum deuorare nitebatur.

Qui timore correptus, & tremens magna voce clamare cœpit: Succurrite, fratres, succurrite, fratres: nam hic draco me deglutire nititur. Accurrunt Monachi, & draconem non vident, sed solum Monachum trementem, & quasi morti proximum: quem in Monasterium referunt, & ille se intus videns vouit nunquam se inde exiturum. Quod & re ipsa compleuit, & postea non amplius illam sensit tentationem.

Notat in dicto exemplo sanctus Gregorius, quod sancti Benedicti oratione draconem viderit, qui illum deuorare volebat, quem antea non viderat, quamuis illum insequeretur, quod illum nec draconem nec Diabolum duceret, sed illum videns, & noscens, cœpit vociferari, & auxilium implorare, vt ab illo liberaretur.

Sic vt hoc non imaginatio, nec hominis inuentum sit; sed ita vere & re ipsa contigerit, & quotidie contingat, Diabolum esse, qui nos in tentatione aggreditur. Et id nos sanctus Apostolus Petrus vt bonus pastor monet, & sancta Ecclesia nobis quotidie in memoriam reducit, vt magni ponderis negotium: *Fratres, sobrij eſtote, & vigilate, quia aduerſarius veſter Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem deuoret. Cui reſiſtite fortes in fide:* nec vos dolis & persuasionibus seduci permittite. 1. Pet. 5. 8.

Capvt XX.

Quid nobis faciendum in turpium & malorum cogitationum tentationibus, & de remedio contra easdem.

IN hoc primo considerandum, aliquos esse, qui graui tristitia & dolore afficiuntur, dum se malis cogitationibus, vt blaſphe-

blaſphemijs, vel contra fidem, vel turpibus & inhoneſtis vexari animaduertunt; tali modo, vt ſibi perſuadeant, ſe à Deo deſertos, & obliuioni traditos, & ipſius in illos iram inflammatam eſſe; quod talia ipſis in mentem veniant: qui magnus error eſt.

Gerſon. Narrat Gerſon 3. *part. fol.* 71. de Monacho quodam, qui vitam ſolitariam in deſerto agebat, & multum cogitationibus & blaſphemijs, & turpibus & inhoneſtis imaginationibus exagitabatur: iamque annos viginti tentatio hæc durabat, & nemini hanc aperire audebat, credens inauditum & nunquam viſum quid id eſſe, & aliquem ſcandalizandum, ſi tale quid audiret.

Tandem finitis viginti annis, acceſſit ſenem quendam & expertum Patrem, cui nec verbo audens cogitationes ſuas exponere, ſcripto eaſdem exhibuit. Senex ſcriptum legit, & ridere incipit, & monacho ait: Impone manum capiti meo. Qua impoſita, dicit Senex: Totum hoc tuum peccatum in me recipio, ne plus de eo poſthac te mordeat conſcientiæ vermis. Monachus miratus ait: Quî ſic? Videbar mihi iam in infernum deſcendiſſe, & tu dicis vt hoc nihili faciam? Dicit illi Senex: An forſitan delectationem aliquam in malis & turpibus hiſce cogitationibus habuiſti? Dicit alter: Bone Deus! minime; ſed magnum dolorem & afflictionem. Inde ergo patet (aiebat Senex) te hoc non agere, ſed contra voluntatem pati, Diaboli inſtigatione, qui hoc ipſo te ad deſperationem protrahere conatur. Ideo, fili mi, conſilium meum ſequere, & ſi poſthac malæ hæ tentationes redierint, dicito: Super te ſpiritus maligne ſit hæc blaſphemia & turpis cogitatio; ego hic partem nullam volo, ſed credo & recipio, quidquid ſancta noſtra mater Eccleſia credit & recipit, & potius vitam perdam, quam Deum offendam. Hoc modo monacho ſuccurſum eſt, qui poſtea nunquam eandem tentationem ſenſit.

Verbo, vel ſcripto indicata tentationes euaneſcunt. Initio igitur aperienda.

Et hic obiter notetur, illis, qui ob difficultatem aliquam, quam ſentiunt, non aperiunt tentationes ſuas; maiorem eſſe dolorem eas non aperiri, quam operiri: vt ſuo loco dicetur. *3. p. tr. 7. c. 6*

Viginti annos monachus hic magna cum afflictione & dolore vixerat, eo quod tentationem non declarauerat, qua declarata, ſtatim quietem & tranquillitatem adeptus eſt. Quanto labori peperciſſet, ſi quod poſt viginti annos fecit, initio feciſſet. Sic vt nouum quid & inſolitum non ſit tentatio, nec eam vt talem mirari.

Supereſt, vt dicamus, quomodo nos in ſimilibus malorum & turpium cogitationum tentationibus gerere debeamus.

Aliqui, quid ſibi in his agendum, ignorant; nam omnes neruos intendunt, vt cogitationes has repellant, & profligent, compeſcendo tempora, contrahendo frontem, mouendo caput, claudendo oculos, quaſi dicere volentes: Hac non intrabititis. Et ſubinde, niſi dicant: Nolo; videntur ſibi conſenſiſſe. Maius eſt damnum, quo quis ſe hoc agendi modo afficit, quam quod à tentatione patitur. *Ridiculus modus illas abigendi.*

Famulus Regis Saul, qui Regi vicinior erat, altum vociferabatur, & arguebat illum, qui à longe vociferabatur, quod Regem excitaret & turbaret: *Quis es tu, qui clamas & inquietas Regem?* Tu te ipſum inquietum reddis, & te ipſum vicinum turbas, & de tentatione, quæ foris eſt, quereris. *1. Reg. 26. 14.*

Bene hoc notandum; nam multorum hoc capita obtundit, præſertim ſcrupuloſorum. Nec oratio, nec exercitia ſpiritualia capita obtundunt, nec vexant, & ſanitati nocent, ſed eorum ſcrupuli & indiſcretiones. Idque Diabolus petit, qui probe nouit illos quam longiſſimeà conſenſu abeſſe. Idem illi non paruo, ſed magno commodo & lucro eſt, nec negotium eſt, quod magna vehementia peragendum ſit.

Qua ergo ratione tentationib. hiſce obſta-

ſtandum & reſiſtendum? Sancti & vitæ ſpiritualis Magiſtri docent, modum his reſiſtendi non eſſe, vt pugnetur, quo fugentur, fatigando & vim ſibi inferendo imaginatione, ſed ſolum illas parui faciendo.

Quod quibuſdam ſimilitudinibus à rebus abiectis ſumptis, ſed rem exacte exprimentibus declarant. Vt dum caniculi alicui allatrant, ſi illos nihili faciat; ſtatim abeunt; ſin illos alicuius faciat, & ad eoſdem veniat, iterum latratum redeunt: idem & in his cogitationibus euenit.

Ideoque optimum in his remedium eſt illos flocci pendere, ſic enim celerius nos relinquent. Vel faciendum monent, vt ille, qui plateam tranſit, & cui ventus multum pulueris in faciem conijcit, ille vero hoc nihili facit, ſed occludit oculos, & progreditur.

Et ad maiorem eorum, qui his tentationibus vexantur, conſolationem, vtque tandem aliquando inducantur hoc remedio vti; monent Sancti, quod quantumlibet peruerſæ ſint cogitationes, nihili tamen eaſdem faciendas, ſed quo deteriores ſunt, tanto minoris ducendas, quod non tam periculoſæ ſunt. Poſſuntne illis deteriores eſſe, quę ſunt contra Deum, & Sanctos, contra fidem & Religionem? In his vero minus periculi eſt; quo enim deteriores, tanto à voluntate noſtra & conſenſu remotiores. Hincque nihil hic timendum, licet ſurrepant, nulla namque hoc culpa committitur, nec penes te eſt, nec tu hoc agis, ſed contra voluntatem pateris Dæmonis aſtus, qui te deſperare & animum deſpondere, vel in magnam aliquam triſtitiam labi & protrahere conatur.

S. Catharina Senenſis. Refertur de Catharina Senenſi, quod quodam die his cogitationibus valde exagitatæ & afflictæ apparuerit Chriſtus Seruator noſter, & ſtatim omnes nubes hæ euanuerunt. Ipſa ſuauiter ſponſo ſuo conqueſta eſt: Hei, Domine mi, vbi eras, dum talia cor meum tranſirent? Dicebat illi Chriſtus: In corde tuo, filia, eram. Inter tam turpes & prauas cogitationes, Ieſu mi, eras? Reſpondit Ieſus: An gaudebas, illas te cogitationes habere? Animam vulnerabant, Domine, & neſcio, quid præ illis elegiſſem. Quis tibi (inquiebat) illas diſplicere faciebat, niſi ego, qui aderam? Sic vt quantumlibet turpes & prauæ ſunt cogitationes, ſi illis non delecteris, ſed potius tibi dolori & triſtitiæ ſunt, non ſolum non reliquit te Deus, ſed illud tibi potius loco ſigni eſſe poteſt, Deum te inhabitare, ipſe enim eſt, qui tibi odium hoc peccati & hunc timorem Deum perdendi concedit. *Cum ipſo ſum in tribulatione*, dicit Dominus. In ruborum, ſpinarum & ignis medio eſt Deus. *Pſal. 90 15. Exod. 3. 2.*

Dicit ſanctus Bernhardus *de interiori domo, cap. 19.* Moleſta eſt lucta, ſed fructuoſa: quia ſi habet pœnam, habebit & coronam: non nocet ſenſus, vbi non eſt conſenſus: imo quod reſiſtentem fatigat, vincentem coronat. In huius confirmationem ait Ludouicus Bloſius *in Speculo ſpirituali, capit. 6.* Qui delectatur vane ſibi placere, quamuis ſolum ſemel fiat, peius eſt in oculis Dei, quam ſi multos annos ſimiles pateretur motus, quantumlibet mali ſint, ſi conſenſum non præbeat. Ideoque non eſt, quod triſtetur, nec magni faciat ſenſus & cogitationes has, & in ijſdem te habere, quaſi non per te, ſed alium tranſirent. Et potes tibi perſuadere (ait Sanctus quidam) eas extra te fieri, cogitationes enim prauæ in te ſunt, ſi illis conſentias, & non aliter; & ſi non conſenſeris, domum tuam ingreſſæ non ſunt, ſed ſolum foris oſtium tuum pulſarant.

Animaduertant hic ſpiritualis vitæ Magiſtri, iſta nimis anxie timere & magni facere, non ſolum non vtile, ſed malum & damnoſum eſſe, eo quod tentationem augeat: quod vſu ipſo patet, & huius ratio naturæ conuenit, idemque Philoſophi docent.

Timor enim imaginationem mouet,

&

& quid sæpius cogitare & perpendere, altius idem memoriæ imprimi facit, quo augetur & crescit tentatio. Vt videre est aliquem tabulam angustam humi positam sine timore transire, dum vero tabula in sublimi collocata est, timor impedit, ne securus & sine metu eandem transeat, sed magno cum cadendi periculo: timore enim sanguis se circa cor colligit, & membris virtute sua & vigore priuatis, magno cum periculo vadit & cadit.

Idem & timor & pusillanimitas in tentationibus operatur, ideoque non conuenit nimio timore in similibus corripi, nec huiusmodi magni facere: hoc enim modo in obliuionem venirent. Attamen Gerson & plures alij hic aduertunt, quamuis particularis ille timor hic non tam sit necessarius, tamen generalem peccati timorem hic multum conducere & vtilem esse, petendo à Deo: *Ne permittas me separari à te*: & firmiter statuendo potius millies male mori, quam semel mortaliter peccare, non cogitando tamen in particulari de hac tentatione, quę te tunc temporis oppugnat *Gerson.*

His aliud punctum accedit, quod multum a Sanctis commendatur, & conducet contra omne interiorum tentationum genus. Estque huiusmodi. Adueniente praua tentatione, intellectum diuertere ad aliquam considerationem & cogitationem bonam: Vt de morte Christi crucifixi, vel simili argumento. Id tamen non debet fieri vim imaginationi inferendo, nec se defatigando, vel anxium reddendo, sed solum malæ cogitationi corpus subtrahendo, & bonæ applicando.

Sicuti dum quis vadit, vt alium conueniat, qui tamen semper se fingit impeditum, & otium ei non esse: vel sicut dum viro prudenti aliqua absurda & importuna dicuntur, & ille caput alio vertit, dedignans illis respondere, vel attendere.

Hic his tentationibus resistendi valde vtilis, facilis, & securus est modus: nobis enim bona cogitatione occupatis, difficile fuerit malæ consentire. Hinc vtile fuerit aliquem altius penetrare in orationem earum rerum, quæ plus illum mouere solent, ijs se adsuescens: hac enim ratione adsequetur, vt dum aliqua tentatione, & mala cogitatione defatigatus & vexatus est, vt ibi statim refugium reperiat.

Ideoque conducit, vt quilibet aliqua habeat refugij loca, quibus similibus in periculis latere & refugere queat, vt ille, qui loca sacra adit. Aliqui ad Christi vulnera confugiant, præsertim ad illud lateris, & ibi se securos sentiant: *In foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Aliqui sibi consultum putant memoria mortis, iudicij vel inferni. *Quis mihi hoc retribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus?* Quisque sumit, quod sibi vtilius ducit, & magis mouet, & conatur aliquod horum penetrare, & familiare reddere, vt facile eo recurrat, & statim ingressus illi tali tempore pateat & detur. *Cant. 2. 14.* *Iob. 14. 13.*

Narrat Abbas Smaragdus *libr. de gemma anima.* mirandum quid, sed huic materiæ aptum & vtile. Dicit, Religiosum quendam duos Dæmones inter se colloquentes audisse, & vnum alterum interrogasse: Quî tibi cum monacho tuo agitur? Respondit alter: Recte; dum enim cogitationem suggero, statim subsistit, & incipit cogitare, & post reflexionem facit: qualis fuit illa cogitatio? an diu hæsi? si mea causa accidit? si restiti? si consensi? vnde aduenit? an aliquam causam ad eandem dedi? an fecerim, quod potui? hacque ratione cerebrum turbo, & quasi ad insaniam redigo. Feliciter res Diabolo cadit, dum quis rationes quærit, & interrogationes & responsiones in tentationibus proponit; certum enim est illi argumenta & contrarias rationes non defuturas. *Smaragdus Abbas.*

Alter Diabolus dicebat: Non recte mihi cum monacho succedit negotium: simulatque enim ei malam cogitatio-

nem offero; statim ille ad Deum confugit, vel aliam bonam cogitationem assumit, vel ex sede surgit, & aliqua se re occupat, vt de hac non cogitet, vel eam nihili æstimet, ideoque mihi ad eum accessus non patet.

Hic optimus est his tentationibus & cogitationibus resistendi modus: illis ingressum non dare, nec respondere, nec rationes proponere, nec disputare cum tentatione; sed caput & faciem auertere, & illam flocci pendere. Dumque fugiuntur, & aures eis non dantur, sed auertit se quis ad bonam aliquam cogitationem, vt diximus, melius est. His vero non sufficientibus, nec cogitationem diuertere valentibus, conducit exteriore aliquo se opere occupare.

CAPVT XXI.

Differenti modo differentibus tentationibus resistendum.

Clim. c. 16. SANCTVS Ioannes Climachus de discretione agens, docet differenti modo differentibus cogitationibus resistendum: aliqua enim vitia ex natura sunt tædiosa & fastidiosa, cuiusmodi sunt ira, inuidia, rancor, odium, vindictæ cupiditas, impatientia, indignatio, animi amaritudo, tristitia, contentio, & similia.

Alia vitia secum delectationem adducunt, qualia sunt peccata carnis, edere, bibere, ludere, ridere, loqui, & aliæ sensuales delectationes & recreationes. Quandoquidem posterioris generis vitia eius naturæ sunt, vt quo plus adspiciuntur, & oculis hærent; tanto plus cor ad se trahunt alliciunt; dicit contra eadem fugiendo pugnandum esse, hoc est, occasiones vitando, & oculos, memoriam, & illorum inspectionem auertendo summa cum velocitate. Contra prioris vero generis vitia decertandum, contra eadem luctando, attente inspiciendo naturam, malitiam, & eorum turpitudinem, vt tanto facilius expugnentur. Quod minori cum periculo fit, quod non tam facile adhæreant, quanquam & iræ & vindictæ cupiditati corpus sit subtrahendum, nihil cogitando, quod nos ad illas incitare queat.

Idem hoc docent Cassianus & sanctus Bonauentura, & addunt, quod in prioris generis vitijs cui licet expetere se exercere, & occasiones quærere cum illis certandi, vt conuersando & agendo cum illis, qui se persequuntur & offendunt, ad patientiam parandam, & illi se subijciendo, qui plane voluntatem flectat, vt discat obedire & humilis esse. In vitijs vero carnalibus temeritas & periculosum foret has tentationes expetere, & occasiones captare. Hincque Christus Seruator noster hoc vitio tentari noluit, vt doceret, nos simili tentationi non exponere debere, quamuis id fiat maioris præmij & triumphi spe. Hoc enim vitium naturæ humanæ valde est conforme, & quia secum non solum in voluntate, sed & in corpore voluptatem & delectationem fert, facilior & periculosior est eius ingressus.

Ad quod docendum sanctus Bonauentura egregiam allegat similitudinem; Vt hostis, qui ciuitatem aliquam oppugnat, facilius illa potitur, si aliquos sibi studentes intus habeat: eodem modo & hostis Diabolus hoc intus habet, qui singulariter illi faueat in huiusmodi tentatione, quod est corpus nostrum, ob magnam, quam inde percipit, voluptatem, secundum illud sancti Pauli, 1. ad Corinthios 6. versic. 18. *Omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est.* In reliquis vitijs non tantam partem habet corpus, quam hic magnam habet. Ideo necesse valde occasiones auerti, & cogitationes & imaginationes magna cum diligentia vitari & amoueri, quæ de hoc vitio surrepunt: idcirco ibi addit Apostolus, 1. ad Corinthios 6. versic. 18. *Fugite fornicationem.* Fugiendo ergo huic resistendum tentationi, & vincendum: hoc

hoc modo hunc locum Cassianus & sanctus Thomas exponunt.

1.p.l.6.c.38. Chron. sancti Francisci.

In Chronicis sancti Francisci refertur, quod quodam tempore ad spirituale colloquium congregatis, Fr. Ægidio, Fr. Ruffino, Fr. Simone de Assisio, & Fr. Iunipero, dixerit alijs Fr. Ægidius: Quomodo Fratres vos armatis & resistitis sensualitatis tentationibus? Respondit Fr. Simon: Ego, Frater, turpitudinem & fœditatem peccati aduerto, & quam non solum Deo, sed & hominibus sit exosum, qui quamuis peruersi sint, se abscondunt & latent, ne videantur peccatum sensuale committere. Hacque consideratione magnum mihi paro odium huius peccati, & sic tentatione me expedio. Frater Ruffinus ait: Ego me humi deijcio, & multis cum lachrymis Dei & sanctissimæ Virginis opem imploro, nec surgo, nisi me plane liberatum sentiam.

Frater Iuniperus dixit: Dum huiusmodi diabolicas tentationes sentio, & introire percipio carnis sensus, statim cordis portas occludo, & magnam sanctarum meditationum, & bonorum desideriorum turbam tanquam vigilum ibi colloco. Pulsantibus inimici suggestionibus & oppugnantibus portam, intus ego respondeo, nullo tamen modo aperiens: Procul hinc este, abite, iam locus occupatus est, ideoque non patet vobis ingressus; sicque nunquam vili illi popello aperio, quare victus & confusus abit.

Omnibus auditis, respondit Frater Ægidius: Tecum, Frater Iunipere, facio, hoc enim cum vitio optime pugnatur fugiendo. Vnde apparet, optimam huic tentationi resistendi rationem esse, ingressum prauis cogitationibus & tentationi huic in animam non dare; hoc enim omnium facillimum est. Si vero vel semel intrauerint prauæ hæ cogitationes, non facile, sed valde difficile fuerit illas abigere: facile ingressus defenditur, eo vero occupato, magnis viribus opus. Tertia parte, in tractatu de castitate, fusius de hac tentatione eiusq; remedijs agemus, quæ etiam alijs tentationibus vtilia esse poterunt.

CAPVT XXII.

De aliquot magni momenti monitis tentationis tempore necessariis.

IAM satis de tentationis remedijs dictum: verum quantumlibet multa adferantur, nunquam omnia adferri possunt. Vt enim corporis ægritudines, earumque remedia tot & tam diuersa sunt, vt omnia nec scribi nec doceri possint; sed plurima medici arbitrio & opinioni permittenda, qui secundi subiecti conditionem & specialem circumstantiam applicare potest tale remedium, quod maxime illi conuenire videtur; idem & in spirituali ægritudine accidit.

Monitum I. *Tentationes aperiendæ.*

Quam ob causam Sancti & vitæ spiritualis Magistri ponunt vt generale & ad omnes tentationes expediens remedium, vt illę spirituali medico aperiantur & detegantur. Veruntamen quia de eo tertia parte agemus fusius, hic solum vnam ponemus, quam monet sanctus Basilius de hoc negotio. Dicit Sanctus hic, vt corporis ægritudines non cuiuis, sed illi soli, qui eas curare potest, qui est medicus, aperiuntur; eodem modo & tentationes, & spirituales ægritudines non omnibus aperiendæ sunt, sed illis solum, quos Deus ad hoc vt medicos constituit, qui sunt Superiores vel Confessarij; secundum illud D. Pauli: *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum portare.* Ideo Regula nostra ait, in similibus ad Præfectũ rerũ spiritualiũ, vel ad Confessarium, vel Superiorẽ recurrẽdum esse. Quod consiliũ maioris mométi, quã forsitan aliqui putant. Solet enim contingere aliquem suas tentationes ei nolle detegere, cui debet, & ei detegere, cui non debet, cuique damnum detegendo inferret, quod & in ipsum redundabit. Fieri enim poterit, alterum eadem tentatione & fra-

3.p.tract.7.

Basil. in reg. breuior. 229.

Sed non omnibus promiscue.

Rom.15.1.

3.p.const.c.1. §.12. reg.41. summarij.

& fragilitate teneri, eoque ambos magis confirmari.

Vt ergo hoc & alia similia pericula vitentur, multum profuerit, aliquem suas tentationes & spirituales ægritudines communicare medicis spiritualibus, qui illas sanare possunt; de quibus certus erit, se damnum non illaturum, sed vtilitatem consequuturum. Hincque ait Sapiens, Eccles. 8. 22. *Non enim omni homini cor tuum manifestes.* Et alibi, Eccles. 6. 6. *Multi pacifici sint tibi: & consiliarius vnus sit tibi de mille.*

Monitum II.

Nihil omittendum de spiritualibus exercitiis.

Aliud præterea monitum seu consilium dant tentationis tempore valde necessarium. Vt curemus tali tempore exercitia nostra spiritualia continuare, & in eis diligenter perseuerare, & nunquam illa intermittamus, vel diminuamus.

Quamuis enim non aliud Diabolus tentatione sua efficeret, quam nos ab his separaret; sane permultum effecerit, & abunde sibi satisfactum crediderit. Tunc enim maxime hac continuatione nobis opus est, præstaretque illis quid addi, quam demi.

Si enim Diabolus nos armis spiritualibus, quibus nos defendimus, illum offendimus, spoliauerit; certum est illum nos facile eo perducturum, quo volet. Hincque multum expedit tempore tentationis nos Deo fideles esse; hoc enim tempore veri eius serui explorantur: *Vos estis, qui mecum permansistis in tentationibus meis.*

Luc. 22. 28.

Non magnum, quem in bonis suis exercitijs perseuerare, dum tranquillitas & deuotio; sed perseuerare, dum tentationes, tempestates, siccitates, & ariditates insurgunt, bonum & laudabile: euidens enim veri amoris signum est, & quod pure Deo seruiat, cui se totum dedit.

Monitum III.

In mentis æstu nihil innouandum.

Tertium monitum est tentationis tempore seruandum; ne quis mutet, vel nouum propositum vel resolutionem ineat; hoc enim tempus huic rei appositum non est.

In turbida aqua nihil videtur; subsidat lutum, & clarior fiat; & videbis minimos lapillos & arenulas, quæ in fundo sunt. Tentatione quis multum turbatus & inquietus est, non exacte cernere potest, quod deberet: *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.* *Psal. 39. 13.*

Ideo hoc non deliberandi & resoluendi tempus est de re aliqua noua. Subsidat & clarior fiat aqua, dumque quietior eris, poteris melius aduertere, quid tibi expediat: multum hoc consilium à spiritualis vitę Magistris laudatur & commendatur: & Pater nobis id exercitiorum libro proponit in Regulis, quas adsignat ad diuersos spiritus discernendos, bonamque huius rationem addit. Vt enim quis consolationis tempore fertur, & à Deo mouetur ad bonum; eodem modo tentationis tempore fertur & instigatur à Diabolo, cuius instigatione nunquam bonum fit.

P. Ignat lib. exer. spir. reg. 5. ad discern. varios animi motus.

Monitum IV.

Præscripta diligenter opere ipso exequenda.

Quarto, tentationis tempore oportet nos diligentes esse, vt prædictis remedijs vtamur, & ne otiosi simus. Quod exemplo sequente facile erit intelligere. Narratur in Patrum viris, Monachum quendam valde à spiritu fornicationis vexatum fuisse, & desiderans eo liberari, accessit quendam probatissimæ vitæ Patrem, cui magno cum animi dolore dixit: Curam mei, venerande Pater, habe, & roga Deum mihi auxilio sit, multum enim me impugnat fornicationis spiritus. Quo audito, sanctus Senex non cessauit die & noctu pro illo Deum orare, vt illi auxilio esset. Aliquot elapsis diebus ad Patrem redit Monachus, & orat, vt maiori instantia pro illo Deo supplicet, quod tentatio non minueretur. Maiore feruore Deum postea orabat Pater, vt Monacho vires suggerat, & cum gemitu & suspirio Diuinam Maiestatem flectere conabatur. Sæpius ad Senem redibat Monachus, & dicebat, orationibus suis nihil profici: vnde Senex confusus, & miratus fuit, quod Deus illum non audiret. Qua cogitatione fatigatus nocte sequente, reuelat Deus causam

In vitis Patr.

causam huius esse monachi negligentiam & abiectum animum in resistẽdo. Reuelatio autem huiusmodi fuit: Vidit monachum ociosum & sedentem, & fornicationis spiritum ante eum stantem, qui diuersas ei mulierum formas exhibebat ludẽdo & vim inferendo: & monachus adspiciebat, & eis delectabatur. Videbat & Angelum Dei ipsi adstãtem, valde monacho irascentem, quod inde non surgeret, & ad Deum confugeret, & in terram caderet & oraret, & non cessaret cogitationibus suis delectari Hinc bonus senex animaduertebat, monachi negligentiã causam esse, cur Deus illum non exaudiret. Idcirco dum cursus illum visitaret, dixit: Tua culpa me nõ audit Deus, quod malis cogitationibus delecteris. Fieri non potest, vt obscœnus ille fornicationis spiritus te deserat, quamuis alii pro te Deum orent; nisi tu ipse labores multis ieiuniis, orationibus & vigiliis, Deum gemitibus & suspiriis & lachrymis rogans, vt tibi auxilio sit & misericordiam largiatur, & vires suggerat, vt malis possis cogitationibus resistere: quamuis enim medici necessarias ægro applicent, & omnem diligentiam adhibeant; tamen illi non prosunt, si ille noxia & damnosa edat. Idem & in animę ægritudinibus vsu venit, licet enim venerandi patres, qui animæ medici sunt, omni attentione & ex toto corde pro talibus orent, qui pro se orationes petunt, parum tales medici proficient, si tẽtati spiritualibus se operibus non exerceant orando, ieiunando, & alia Deo grata agendo. Monachus hæc audiens cordeq; compunctus postea senis consilium secutus est, & ieiuniis, vigiliis & orationibus se afflixit, eoque pacto Dei misericordiam consecutus est, & cessauit tentatio. Idem & nobis in tentationibns faciẽdum, quantum in nobis est collaborantes, & mediis, quibus opus est vtentes: hoc enim modo Deus victoriam largiri paratus est.

Ieiuniis, orationibus, vigiliis, lacrymis adlaborandum.

Frustra medicus pharmaca præscripserit, si æger vel ea non applicet, vel insuper noxia sumat.

P.2.l.7.c.8.

Et quoniam resistentia hæc tentationũ intendi vel minui potest; non statim satis nobis esse debet qualicunque ratione resistere, sed optima ratione & modo vti. In S. Francisci Chronicis refertur, Deum cuidam magno suo famulo, eius ordinis Religioso, nomine Ioanni de Aluernia ostendisse differentem rationem, qua religiosi vtebantur contra tentationes, præsertim carnales cogitationes. Videbat quasi innumeram dæmonum multitudinem, qui contra Dei seruos multas omittebant sagittas, quarum aliquæ magna vi in dæmones ipsos retorquebantur, a quibus emissæ erant, qui post multo cum clamore fugiebant, quasi erubescentes. Aliæ sagittarum à dæmonibus emissarum Religiosos tangebant, sed statim sine eorum læsione humi cadebant. Aliæ vsq; ad carnem tangebant, alię totum corpus transfigebant. Secundum hæc ergo optimus resistendi modus, & qui nobis seligendus primus est: vulnerantes diabolum iisdem tentationibus & sagittis, quibus nos vulnerare conatur, illum in fugam agentes. Idque accommode facere licebit, dum diabolo nobis suis tentationibus nocere moliente; nos maiorem inde consequemur fructum, vt si ex superbiæ & vanitatis tentatione, quam diabolus suggerit, maiorem humilitatem & abiectionem consequamur: Et ex turpi & inhonesta tentatione maiori huius vitii odio afficiamur, & maiore inflammemur castitatis amore, & maiori cum continentia viuamus, & feruentius Deo seruiamus. Hincque ait S. Augustinus in hæc verba: *Draco iste, quẽ formasti ad illudendum ei*: seruos Dei sic huic draconi illudere, quod eodem loqueo, quo illos capere nitebatur, capitur & illigatur, secundum illud Regii prophetæ. *In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum. Captio, quam abscondit, apprehendat eum. Et in laqueum cadat in idipsum.* Venit vt capiat, & capitur.

Chronic. S. Francisci.

Vulnerandus & Dæmon iisdem sagittis, quibus nos petit.

Augustinus. Psal. 103.26.

Psal. 9.16. Psalm. 34.8. Psal. 7.17.

Conuertetur dolor in caput eius, & in uerticem ipsius iniquitas eius descendet.

TRACTATVS QVINTVS.

DE INORDINATO PARENtum affectu.

CAPVT I.

Quam Religioso conducat, visitationes parentum & profectiones in patriam fugere.

Cap.4.exa. §.7.& reg.8. summa 29.

VANTVM ad amorem & affectum, quem in parentes habere debemus, attinet, ponit nobis pater noster regulam, quæ omnes Religiosos decet. Vnusquisque eorum, qui Societatem ingrediuntur, consilium illud Christi sequendo. *Qui dimiserit patrem* & existimet sibi patrem matrem, fratres & sorores, & quicquid in mundo habebat, relinquendum. Imo sibi dictum existimet illud verbum: *Qui non odit patrem & matrem, insuper & animam suam non potest meus esse discipulus.* Et ita curandum ei est, vt omnem carnis affectum erga sanguine iunxtos exuat; ac illum in spiritualem conuertat, eosque diligat eo solum amore, quem ordinata charitas exigit, vt qui mundo ac proprio amori mortuus, Christo Domino nostro soli viuit, eumque loco parentum, fratrum & rerum omnium habet. Non satis est mundum corpore reliquisse, sed & necesse animo fieri, omnes affectus qui illi annexi sunt, & ad mundana inclinant, deserere. Non malum consanguineum amare, quia consanguineus est; sed ideo plus amandus eo, qui non est huiusmodi. Si vero hic amor solum in natura fundatur; non est amor Christiano proprius, multo minus Religioso. Omnes enim homines etiam Barbari & gentiles consanguineis suis fauent, & iis, qui ipsis natura coniuncti sunt. Christiano autem, & plus Religioso altius ascendendum, & amor hic in fornace probandus diuini amoris igne (vt ait Sanctus Gregorius) & illi amandi, non tam quod natura moueat ad illos amandum, quam quod Deus iubeat illos amari, circumcidendo & restringendo, quicquid nocere & separare à summi boni amore potest, & eos solum amando, quod Deus illos amet, & quia vult, nos inuicem amare. Hocque illud est, quod regula docet, omnem affectum carnis exuendum esse, & in spiritualem conuertendum, faciendo ex proprio amo-

Mat.19.29.

Luc.14.26.

Mundus est & carne, & mente relinquendus.

Greg.ho.27. Amor cognatorum probandus in fornace diuina amoris.

amore charitatis amorem, & ex carnis amore, amorem spiritus. Et huius rationem reddidit, quod Religiosus mundo mortuus esse debeat & proprio amori, & ideo iam in illo non amor mundi, sed solius Christi viuere debet. Et firmat Pater noster hanc regulam Sacræ Scripturæ auctoritatibus: quod in aliis regulis facere non solet, quamuis facile id fieri poterat, nam nostrarum constitutionum doctrina ex Euangelio desumpta est: sed hanc solam nobis tradere volebat eadem simplicitate & sinceritate, quo illam à Deo acceperat. Dum vero incipit de parentibus agere, statim quod adfert authoritatibus Sacræ Scripturæ confirmat, vt & videtur facere, dum agit de bonis consanguineis relinquendis, tunc enim hanc adfert Scripturam: *Dispersit, dedit pauperibus*: itidem Christi consilium: *Da pauperibus*. Non dicit, daremus bona nostra consanguineis, sed pauperibus. Bene Pater noster animaduertebat, hoc hic necessarium esse, quod affectus hic tam esset naturalis, & nobis congenitus, & qui tam altas in nobis egit radices, & tantum in nobis potest.

Cap.4.exa. §.1 & 2. Psalm.111.9. Mat.19.21.

Hoc magni ponderis negocium Religioso est, & ideo fuse explicatum à Sanctissimo Basilio, Gregorio. Bernardo & aliis multis. Colligemus hic breuiter summam. Optime Sanctus Basilius tractat, quam necessarium Religioso sit consuetudinem & conuersationem consanguineorum fugere, & visitationes & profectiones in patriam negligere. Multasque allegat rationes, quæ quanti hoc sit ponderis liquido probant. *Nam supra hoc, quod illis nullam vtilitatem exhibemus, insuper & nostram ipsorum vitam tumultibus & turbationibus replemus, & peccatorum occasiones attrahimus.* Dum enim illis nobis tędia, lites, bonorum & honoris iacturam, & omnia aduersa narrant, nobis onus tristitiæ suæ imponunt, quod domũ referamus. Similiter multis occasionibus peccatorum irretimur, & ex consuetudine & commercio parentum & consanguineorum solet renouari *memoria prioris vitæ*, quæ non parua peccatorum occasio esse solet. Hinc enim priora vulnera incrudescere solent, & sanguis renouari, in mentem veniẽs talis domus, talis locus, tale factum, & vna res aliam trudit, & ex vno in aliud deuenitur, sic vt inquietem, turbationem & magnum damnum nobis accersamus. Et valde prægnans ratio hæc est de damno nobis hinc illato, sic vt spiritualis vitæ magistri suadeant, ne in memoriam reuocemus in particulari vitæ præteritæ peccata, etiam dum agimus de dolore & contritione pro illis ostendenda, sed solum in generali, colligantes ea quasi in fasciculum ne nobis nouam inquietem pariant. Quãto maiore nos damno afficiet, si nos nulla vrgente necessitate huiusmodi occasionem aptemus. Certe non est, quod post inquietem & damnum quærerent, quod sentis, tibi enim accersisti, & habes, quod meritus es.

Basil. in quæ. fusius disputatis 32.

Greg. ho.27. Amor cognatorum probandus in fornace diuini amoris.

Cognatorum consuetudo Religiosum turbat, ad peccata inclinat.

Prioris vitæ memoriam refricando.

Dicit præterea S Basilius, quod qui delectantur agere & conuersari cum consanguineis, paulatim consuetudine in animo malos mores & affectus ab iis trahunt & imbibunt & anima mundanis occupata cogitationibus spiritus feruor & stabilitas refrigeratur & perditur, & priorum desideriorum firmitas debilitatur, sæcularibus se accommodant, & ad sæculum nihil tale sentientes redeunt, secundum illud Prophetæ: *Commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum & factum est illis in scandalum.* Quod filii Israel cum Philisthæis morãtibus accidere poterat, quod eorum idola adorarent, & eis scandalo & ruinæ essent, idem & tibi fieri potest, si cũ cõsanguineis sæcularibus egeris, vt nihil sincere, sed ficte & simulate & cum assentatione, facere queas sicut apud mũdanos in vsu est: iam tibi eorum idola arrident, eorum honore & deliciis gaudes, repletus es præsumptione, & tui voti compos vis esse, quod tibi ex mundo adhæsit.

Basil in const. monast.c.21.

Et senilium moribus animum imbuendo.

Et sensim ad mundum retrahendo. Psal. 115.35.

Aliam magni ponderis rationem adfert Sanctus Basilius, quæ nos monet commercium & conuersationem parentum & consanguineorum fugiendam esse, ob

Basil in const. monast.c.21.

se, ob magnum incommodum, quod ex naturali compassione & propensione nascitur. Si enim quis cum consanguineis agit & conuersatur, ex natura inde sequitur vt eorum prosperis gaudeat & aduersis & iacturis tristetur, & se ideo curis & cogitationibus oneret, an videlicet illi suppetat, vnde viuant, quid ipsis desit si negocium hoc illis recte succedet, si honori eorum & bonis recte consultum erit.

Hinc robur virtutis elidi- tur. Quæ cogitationes & sollicitudines infirmant & minuunt virtutem & vires spirituales, sic vt post quantulacunque tentatione deiiciatur. Hinc (teste eodem Sancto Basilio) vt statua fit, quæ habitu religioso induta est, nullum tamen veritatem nec spiritum Religiosi habet: *Nec manet aliud, quam Religiosi imago.* *Eoque promouet, vt habitum religionis tantum, instar statuæ, circumferamus, illi nullo pacto virtutum studio correspondentes.* Non habet aliud, nisi corpus in religione, animus enim foris in mundo est inter consanguineos.

Caßian. coll. 14. c. 11. Narrat Cassianus de quodam monacho, qui cellam & habitationem prope parentes fixit, qui ipsis necessaria procurabant, sic vt nihil illi incumberet quam orationi & lectioni vacare. Ipse hoc multum delectabatur, sibi parsuadens hanc tranquillam & sedatam vitam esse. Iuit quodam tempore visitatum magnum illum Antonium, & interrogabat Sanctus vbi habitaret? Respondebat ille se prope parentes degere, qui ei necessaria administrabant, & si ei nihil aliud negocii superesse, quam Deo vacare. Dic mihi fili (inquit) dum aduersis premuntur parentes, an non tristeris? & dum prospere cum illis agitur, an non gaudeas eorum prosperitate? Dicit, non licet mihi minus facere.

Simpliciter verum fatebatur, quod vnius & alterius esset particeps. Aiebat Sanctus: Esto certus: quod in altera vita vt vnus eorum habeberis, quorum in hac vita tristitiæ & lætitiæ fuisse comes. Cum sæcularibus in altera vita numerabitur, qui cum illis hic commercium habet. Hinc est, quod Sanctus Basilius ait, nostra plurimum interesse commercium & conuersationem consanguineorum vitare, quod enim oculi non vident, cor non appetit. Et vt reipsa opes relinquere, vt voto paupertatis relinquimus multum prodest, vt earum affectum perdamus; sic & reipsa parentes & consanguineos relinquere, & cum illis non agere nec conuersari nos affectum illum carnis obliuisci faciet; sicque nos magnis inde prouenientibus periculis expediemus.

Multum refert nos actu ipso ab illis separari, vt & corde & affectu separemur; si enim prius non præstetur, nec posterius præstabitur. Nam contingit nos longe ab illis remotos esse, & corde illos accedere, quod fiet, si cum illis agamus & conuersemur.

Hinc in religione nostra prohibentur nostrorum profectiones in patriam, tam stricte, vt omnibus constat. Vi tamen sancta & vtilis hæc cautela possit in actum deduci, necesse est, vt & nos auxiliares hic dexteras adferamus: dumque parentes vel consanguinei eius rei gratia licentiam à superioribus petunt, nos primi resistamus, & importune efflagitemus, ne id fiat, quod nobis non conducat, nam ad hoc rationes nobis non deerunt, si velimus. Hacque ratione parentibus fit satis, nobisque consulitur, & aliquando parentibus. Hocque illud est, quod superiores expetunt, & valde ædrficantur, dum dicis necessarium non esse, & de eo cum parentibus ages. Aliquando enim superiores, eis, qui tale quid petunt vel intercedunt satisfacere non possunt, nisi & tu inuenias, & licentiam quasi violentam & extortam dant, quæ non est obedientia sed permissio, mallet enim superior te nõ ire.

Hoc

Hoc consilium valde vtile tam in hoc quã aliis casibus. Dum consanguinei vel amici, vel alii quid à te petunt, vel negociũ à te curari volunt, quod vocationi vel instituto nostro non conuenit, ne reiice totum onus in superiorem, ne cogatur vel iis recusare, vel annuere, quod petitur. Ne permitte negocium eo vsque peruenire, sed potius dissuade, quod petitur, amicis verbis, dicens hoc instituti nostri non esse. Hoc bonorum Religiosorum est, & non, vt quibusdam in more positum est, qui ne aliis displiceant, superioribus totum onus imponunt. Dicebat sanctus Hieronymus in illa Christi verba: *Estote prudentes sicut serpentes: Serpentis ponitur exemplum, qui toto corpore occultat caput, vt illud, in quo vita est, protegat.* Sic & nobis semper caput est defendendum, qui est superior, & non contra, non exponendum corpus, ne ictus in corpus cadat, & ne in superiorem culpam coniiciamus, vt nos excusemus. Hocque summopere hoc in casu, de quo loquimur, ponderandum est; & fere totius huius negocii & similium cardo in nobis vertitur. Vult quis, vt facile omnis difficultas superetur; videtur mihi hoc consultum illi, qui recte agere desiderat, vt quantum fieri potest, has visitationes & profectiones omittat, & dum hoc fieri nequit, optimum erit illas facere obedientia coactum, & ad superiorem referre, an quod periculum aduertat, quamuis non malum foret timore, & bene præparatum se iis accingere.

Hieronymus Matth. 10. 16.

De Abbate Theodoro refertur, quod dum mater eum visitatum veniret, ferens multas Episcoporum & Prælatorum literas, quibus petebatur, vt sibi filium videndi facultas fieret. Obtentaque à sancto Abbate Pachomio qui superior erat, hac facultate, respondit Theodorus: Pater sponde mihi, me pro hac visitatione in die iudicii rationem non redditurum, & faciam, quod petitur. Ait sanctus Abbas: Fili, si tibi videatur, tibi non expedire, non te obligo. Nolebat alter spondere, & alter visitationem facere noluit, nisi superior pro eadem spondere valet: ideoque omissa est. Prospereque negocium successit, mater enim proposuit manere in quodam vicino monialium monasterio, cuius monachi curam habebant, sperans aliquando inter eosdem filium videre. Hic recte fecit, quod visitationem hanc nisi pura obedientia facere voluit, & nisi superior pro illo fideiuberet. Hoc modo bono religioso in patriam proficiscendum est. Et si nobis exploratum esset, quod in similibus profectionibus accidere solet, plus eas timeremus, & conaremur illas excusare & maiore diligentia impedires. Plenæ sunt historiæ & Patrum vitæ exemplis monachorum, qui huiusmodi itineribus se perdiderunt. Consultumque fuerit aliorum exemplis nos cautiores fieri, ne proprio malo cogamur sapere.

Surius.

Ait sanctus Basilius: *Si mortuus es cum Christo à cognatis tuis secundum carnem; quid rursus inter ipsos conuersari cupis? si vero quæ destruxisti propter Christum, rursus ædificas propter cognatos tuos, transgressorem teipsum constituis. Ne igitur ob cognatorum tuorum necessitatem secesseris à loco tuo: nam discedens à loco, fortassis ex æquo discedes à moribus tuis*, quod accidere solet: *Non inuenietur Iesus inter cognatos & notos.* Recte sanctus Bernardus: *Quomodo bone Iesu inter meos cognatos inueniam, qui inter tuos minime es inuenturus?* Si ergo Iesum inuenire desideras, non inter cognatos, sed in templo, in oratione, in collectione illum quære, illic enim reperietur.

Basil. epist. ad Ebilonem.

Luc. 2. 44. Bernardus.

Legitur in B. Francisci Xauerii vita, dum Roma in Lusitaniam appelleret, vt in Indiam proficisceretur, & in itinere solum quatuor milliaria à patria abesset, eo ire noluerit, nec matrem, quæ adhuc supererat, nec cognatrem, quæ adhuc supererat, nec cognatos visere, quamuis multum instaret,

L. 1. c. 9. vita P. Xauerii.

ret, vt id fieret, & sciret elapsa hac occasione nunquam post similem se oblaturam. Idem & fecit P. Magister Faber, dum quinque à sua patria milliaribus abesset. Dumque P. noster Ignatius necessitate coactus Zogolam venisset; nunquam ad fratres domum, sed in Xenodochium diuertere voluit.

CAPVT II.

Religioso etiam cauendum, ne à consanguineis visitetur, quantum fieri poterit, & de communicatione per literas.

Visitationes consanguineorum cauendæ.

BONO Religioso, qui sincere Deo seruire & profectui suo studere, & fine, propter quem ad religionem venit, potiri desiderat, huiusmodi consanguineorum visitationes, & in patriam profectiones vitandæ sunt: licet iusto titulo & colore fiant: sed ei enitendum, quantum poterit, vt commercium & conuersationem consanguineorum fugiat. Nec ei sufficere debet, si eos visum non eat, sed & laborandum, ne ab iis visatur. Ait sanctus Ephrem, vt cognatos moneamus & suadeamus, ne nos visant, nisi ad summum semel aut bis in anno. *Sed si inutilem illorum conuersationem penitus praecideris; melius ages.* Et merito inutilem vocat, eodemque verbo B. Pater N. in constitutionibus vtitur; talis enim est. Et non solum nihil vtilitatis, sed potius damni multum adfert, vt dictum est. Vtque nobis constaret, quam Deo arrideat hæc siccitas, abstractio, & separatio à cognatis, nolle ab illis visitari; voluit idem Deus miraculo ostendere, & confirmare. In prato spirituali refertur, de sancto monacho, cui Cyriaco nomen, quod quodam tempore pater & matereum visum veniebant; pulsabant cellæ ostium, sciens ipse qui essent, & ad quid venirent; ante ad Deum preces fudit, vt liberaretur, neue ab illis videretur. Absoluta oratione ostium aperit, cella egreditur, à nemine tamen eorum conspectus est, nec animaduersum, ecquis cella egrederetur; ipse vero procul inde abiit in solitudinem, nec redire voluit, nisi ante sciret illos abiisse. Et de Abbate Pachomio refert Surius, quod sorore eum visum veniente exire noluerit, vt illam videret, nec ab ea videretur, sed iussit illi per ianitorem nunciari: *Ecce audiuisti me viuere. Bene valeo, vade in pace.* Vtile huic fuit responsum vt & Theodori matri, nam & hæc in monialium monasterio vicino mansit, & religiosa effecta est.

Ephrem tom. 2. tract. de varia doctrina c. 53.
Cap. 4. exam. §. 2.
Pratum spirituale.
Cyriacus fugit parentum conspectum.
Pachomius sororem recusat videre. Surius 14. Maij, & legitur in vitis Patrum.

Nec solummodo visitationes, sed & communicationes per literas vitare debet religiosus, quantum in se erit; quod & illæ inquietem, & distractionem adferant. Vtque tu illos non visitans, multis te visitationibus expedias; sic & tu non scribens te multis eorum literis liberabis. Si tu noris homines relinquere, illi tua tibi negocia relinquent. Totum à te dependet, si enim velis, ad omnia, quæcunque desiderabis media reperies. Iam patriam, domum, cognatos propter Deum reliquimus, conemur illa plane relinquere & illorum obliuisci; quo sic liberi & expediti simus, ad magis Dei reminiscendum, amandum & diligentius seruiendum. Narrat Cassianus de quodam sancto monacho, qui valde orationi & contemplationi addictus erat, studebat cordis puritati & munditiei, vt talibus exercitiis necessarium est. Iam quindecim annos in solitudine vixerat, quibus exactis allatus ei ex patria sua Ponto literarum plurium manipulus à parentibus, cognatis & amicis. Recepto manipulo cœpit apud se cogitare: si has literas legero, quot cogitationum causæ erunt? quantæ vndarum differentiæ in corde exsurgent? vanæ lætitiæ, si prospere cum parentibus agatur: vel inutilis tristitiæ, si male? quot dies eorum memoria, qui scripserunt, me detinebit, & orationis, & contemplationis

Communicationes per literas noxiæ.
Thomas à Kempis.
Cassian. l. 5. de Instit. renunt. c. 32.
Monachus literarum ex patria allatarum fasciculum in ignem proiicit.

meæ,

meæ, quietem & tranquillitatem tollent? quot dies oculis meis obuersabuntur eorum facies & formæ, & verba, quæ scripserunt? Quando has species obliuiscar & illæ ex memoria delebuntur? Quanto labore præteritum tranquillitatis statum & mundanorum obliuionem, quæ nunc habeo recuperare fas erit? Quid proderit corpore parentes reliquisse, si corde & memoria ad eosdem redeam? & cum illis conuerser & agam? Hæc dicens & apud se perpendens, manipulum literarum, vt allatus erat, in ignem coniicit, inquiens: *Ite cogitationes patriæ, pariter concremamini; ne me vlterius ad illa, quæ fugi, reuocare tentetis.* Non solum nullam epistolam legere voluit, sed nec manipulum dissoluere, nec nomina, nec signa videre eorum, qui scripserant, nec superscriptiones adspicere, ne characterem noscens, memoria eorum illi obreperet, & tranquillitatem & cordis pacem turbaret. De beatissimo Patre nostro Ignatio simile exemplum legitur. Quod iis conducit, quibus non satis semel literas legisse, sed seruant, vt post sæpius legant, iisque delectentur, cognatorum memoriam refricando. Si illas non combussisti nondum lectas, cur non comburis iam perlectas, & simul cum illis omnes sanguinis & carnis cogitationes, ne te amplius turbent.

Idem legitur de B. P. Ignatio. L. 5. c. 1. vitæ eius.

CAPVT III.

Etiam prædicationis titulo Religioso fugiendum consanguineorum commercium, & profectionem in patriam.

Cognati non visendi, etiã prædicationis ergo.

QVIBVSDAM huiusmodi venit tentatio, quod ire velint in patriam & cum cognatis agere, vt ibi concionentur, & fructum spiritualem animarum faciant. Tentationibus huiusmodi bono colore & fuco tectis & velatis irrumpentibus, solet maius esse periculum, quod non tentationes, sed iustæ rationes habeantur. Sanctissimus Bernardus in verba hæc: *Capite nobis vulpeculas paruulas, quæ demoliuntur vineas:* dicit hanc vnam vulpecularum esse, quæ intrans fraude & specie recti solet multos perdere & destruere. Et aliqui, quos dicit sibi notos fuisse, hac ratione se perdiderunt, & putabant alios lucrifacere se perdentes. Præsertim qui putabant fructum in parentibus & cognatis facere, nam communiter illi apti non sunt, quod non ita pridem cum eis luserint, ideoque eos non ea existimatione & obseruantia prosequuntur, quæ Euangelii præconem deceat. Ideo & Christus Seruator noster ait: *Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua.* Et Deus volens Abraham magnum præconem & patrem fidelium constituere, iussit vt patriam exiret, & cognatos amicos & notos relinqueret, & iret in Mesopotamiam, vbi à nemine nosceretur. Dumque sanctus Paulus Hierosolymis in templo in oratione esset (quod consideratione dignum) dixit illi Deus, vt inde discederet, & gentibus prædicaret, quod Hierosolymis fructum non esset facturus: *Non recipient testimonium tuum de me.* O Domine hic notus sum, educatus ad pedes Gamalielis, & sciunt me persecutum fuisse, credentin te, & dum alii sanctum Stephanum lapidabant, custodiebam ego vestes eorum. Vade, non capis, exi ciuitatem hanc, in qua notus es, volo te gentium prædicatorem facere: *Ego in nationes longe mittam te.* Vbi notus non eris, copiosum fructum facies. Et videris tibi fructum in patria facturus: & quid fructus inter consanguineos facere poteris? Quomodo illis poteris prædicare & persuadere vt mundum & delicias contemnant; dum viderint te inter carnem & sanguinem in deliciis habitum?

Bern. serm. 64. sup. Cantica. Cantic. 2. 15.

Luc. 4. 24. Abraham patriam deserit.

S. Paulus Hierosolymis discedit ad gentes.

Act. 22. 18.

P. Pe-

Petrus de Ribadeneyra. Quidam è societate.

P. Petrus de Ribadeneyra in quibusdam dialogis manu-scriptis iucundum refert exemplum, quod cuidam è societate nostra contigit, qui affectu matris motus Messinam in patriam suam iuit: Cum sacerdos dæmonem quodam in templo adiuraret & exorcizaret, qui mulierem inuaserat; hunc intrasse ait vt sacerdoti auxilio esset; cœpisse dœmoni minari, & Dei nomine impetrare, vt corpore hoc exiret. Spiritus malignus nil respondebat aliud quam Mamma, Mamma. Quæ responsio omnibus apta videbatur, quotquot eum & aduentus causam nouerant; ipse vero rubore suffusus est. Idem & tibi responderi poterit, quando in patria aliis prædicas & mones, vt se mortificent, deliciis oblectamentisq; mundi valedicant.

Seuerus Sulpitius dialogo. Quidam ex eremo abiens falso amore suorum impulsus, à dæmone possidetur.

Aliud non iucundum sed terribile exemplum refert Seuerus Sulpitius, quod & hæc facit. Iuuenem quondam ex Asia natum, bonis temporalibus affluentem & genere illustrem, cui vxor & filius erat, etiam Ægypti tribunum, in itineribus causa negociorum suorum, necesse habuisse transire eremum, quam incolebant Patres. Vbi multa monasteria & cellas videbat monachorum, & sermones & colloquia habebat cum Abbate Ioanne, qui ei proponebat de iis, quæ ad animæ salutem pertinebant. Quo sermone tam motus est, vt domum non rediret, sed mundo relicto tam insolitam in eremo vitam cepit, & tam virtuti studuit, vt breui post tempore multos seniorum excelleret. Tam prospero vento eo nauigante inuasit eum valida tentatio, quæ suggerebat, præstare ad seculum redire, & vxoris & filii salutem curare, cum satis illi persuasum esset, illum non sibi soli natum esse. Hoc charitatis colore deceptus iam quarto in solitudine expleto anno, viam patriam versus ingreditur, & quoddam monasterium transiens, & monachos visitans mentem eis aperiebat; qui omnes diaboli tentationem dicebant, & multos hoc modo ab eo in fraudem pollectos. Ille vero non illos audit, sed in suo proposito perstat, & monachis valedicit, vt iter suum conficeret. Vix iam monasterium exierat, cum Deo permittente à diabolo possidetur, qui tam illum excruciabat, vt ipse se dentibus propriis discerperet, & spumas ore eiiceret. Fuit brachiis in monasterium delatus, vbi ob ferociam necesse fuit illum manibus & pedibus vinciri & in carcerem coniici (dignum sane fugitiuis supplicium) Et quamuis pro illo monachi Deum rogarent, & diabolum exorcizarent; tamen permisit Deus, ne illum, nisi post duos annos, desereret. Quibus elapsis se liberatum sentiens, probe castigatus ad priorem locum rediit, & vitam monachalem egit: aliis magnum terrorem incutiens, vt in eo, quod cœpissent, perseuerarent, & vt nullus falso pietatis colore se decipi pateretur. Hinc facile est colligere, quam alienus Religiosus esse debeat ab his in patriam profectionibus & cognatorum visitationibus quamuis titulo prætextuque concionandi & fructum animarum faciendi fieret, nam sancti dicunt tentationem esse, & multum in iis periculi & incommodi situm esse. Quid ergo erit, dum quis eo solum vadit vt illos consoletur, & ipse solatium inueniat?

CAPVT IV.

Nihil Religioso magis cauendum, quam ne se cognatorum negociis implicet.

SVper omnia cauendum Religioso, ne quam curam negociorum pro consanguineis in se recipiat, & se iisdem occupet, ob multa & magna incommoda & pericula inde oriunda. Dicit sanctus Gregorius, plurimos esse, qui postquam bonis omnique eo, quod in mundo possidebant, &, quod maius est, *Greg. l. 7. mor. c. 14.*

sibi

Religiosi se cognatorum negociis implicant, magno suo damno.

sibi ipsi valedixerunt, se parui ducendo & contemnendo, parique constantia prospera & aduersa calcando, se, cognatorum & carnis amoris vinculo ligatos & adstrictos inueniant, & volentes indiscrete huic obligationi facere satis, redeunt carnis & cognationũ affectu ad id, quod ante reliquerant, & in cuius obliuionem venerant. Et plus quam par est, cognatos amando, & professionis suæ obliti, occupantur negociis eorum exterioribus, accedunt tribunalia & iudicum subsellia, & se carnalium rerum litibus, & controuersiis inuoluunt, & relicta interiori pace & quiete se in negocia secularia præcipitant magno animarum suarum periculo. Idem & sanctus Isidorus ait: *Multi monachorum, amore parentum non solum terrenis curis, sed etiam forensibus iurgiis inuoluti sunt, & pro suorum temporali salute suas animas perdiderunt.*

Isidor. l. 1. de summo bono.

Hæc vna est ex maioribus ambagibus & maxime salebrosis viis, quæ in hac materia sunt, dum carnalis affectus tam religioso dominatur, vt cum cognatorum negocia curare & sibi arrogare faciat, sicuti videmus sæpius & experimur, ob nostra peccata, quam vellemus. Dicit sanctus Basilius id inde oriri, quod diabolus inuidens, aliquem in terris cœlicam vitam agere, & in carne viuentem sine illa viuere, & luctari, quod ipse perdidit, nititur pietatis colore & obligationis, Religiosum se his curis intricare, vt sic animæ pacem & quietem amittat, & in Dei amore & feruore tepefiat, quo ad perfectionem tendebat. Et consideratione dignum est, quanta instantia diabolus hoc promoueat, vtens ipsis cognatis instrumenti loco; vt videantur, illos in negociis, litibus & controuersiis, matrimoniis & difficultatibus aliud refugium non habere, quam ad cognatos religiosos. Quod persuadent sibi ita fieri debere, & quod hi plus ocii habeant quam quisquam aliorum, & nullæ illis occupationes sint, quam eorum negocia curare. Recte ait quidam Carthusianus loquens de prælatis & sacerdotibus secularibus: Deus sacerdotibus dedit sine liberis esse, & diabolus dedit illis nepotes, & adducit versum ab alio dictum:

Basil. in constit. monast. c. 21.

Diabolus vtitur hoc instrumento ad labefactandum religiosum.

Ludolph. de Saxonia Carthus. in vita Christi p. 1. c. 68.

Cum factor rerum priuaret semine clerum,
Ad Sathanæ votum successit turba nepotum.

Hinc Sathanas nepotis negocium procurat, & de marito prouidere nepti, & te his negociis implicare, vt te ex loco tuo extrahat, & professione spoliet. Hoc ille desiderat, & non consanguineorum bonum, sed tuum malum & damnum. Reliquit Religiosus bona, honorem, commoditates & delicias, vt hic se curis & sollicitudinibus extricaret: quibus relictis & hic positus nisi recipere deberet aliorum difficultates & sollicitudinẽ, & quasi ille foret, cui omnia, quæ carnis & sanguinis sunt, curanda; sicque vocationis suæ fructum amitteret: Optime (vt refert Cassianus) respondit Abbas Apollo ad quem in cella sedentem, nocte quadam frater suus accessit, petens vt exiret & iuuaret vt bouem extraheret, qui in paludem inciderat, vnde illum solus extrahere nequibat. Dicit ei Abbas Apollo, quare alium fratrem, qui illic remanserat, non vocasset. Respondit illum abhinc quindecim annos esse mortuum. Tunc ait Abbas Apollo: Ego, frater mi, iam viginti annis mortuus sum & in hac cella sepultus, eaque, vt te iuuem, mihi exire non licet. Hoc modo in similibus occasionibus religiosus se habere debet, & nisi curas & negocia cognatorum à se repellat; sibi persuadere certo debet, multum se detrimenti in anima passurum, quamuis id pietatis quam iustissimo titulo & colore fiat.

Cassian. coll. coll. 24. c. 9. Abbas Apollo.

Optime cum dictis congruit, quod ait sanctus Hieronymus: *Quanti monachorum, dum patris matrisque miseruntur, suas animas perdiderunt.* Quotidianus rerum vsus docet, & multa monachorum exempla reperiuntur, quos falsa hæc cognatorum pietas & compassio pessumdedit

Hieron. in reg mon. quam collegit Lupus de Oliueto.

dedit. Quot in vocatione sua defecerunt, & desierunt Religiosi esse, quod se in similibus cognatorum curis & suorum possessionibus ingererent, & illis prouisum esset? Quot apostatas videmus per vias & vicos discurrere, vt parentes consolarentur? qui post ad aliud apti non sunt, quam vt paternas suas vel maternas opes deuorent & consumant, & incommodam senectutem adferant mala sua vita, quam ducunt. Idcirco sanctus Basilius hanc compassionem armaturam vel sagittam diaboli nominat, quam fugere debemus; ea enim ille vtitur tanquam medio & instrumento, vt nobis multum damni inferat. *Scientes itaque intolerabile detrimentum huius erga cognatos affectus, fugiamus illorum curam tanquam diabolicam ad impugnandam armaturam habentem.*

Compassio cognatorum, est diaboli sagitta.

Nullus vero se hic excuset, vel nimium fidet, nec cogitet se magna sanctitate præditum esse, dicendo, quicquid facit, iam obedientia purgatum & colatum esse: quod enim de cognatorum visitationibus & in patriam profectionibus ante dictum, & hic locum habet: superiores velle, ne te cognatorum negociis implicares, sciunt enim hoc consultius fore: ideoque permittunt quod in te virtutem ad aliud quid efficiendum non animaduertant. Neque obedientia sed permissio est, & accommodat se superior tibi & fragilitati tuæ, & potius tuam, ille hic voluntatem, quam tu illius perficis. Et si monachus ille matrem videre nolebat, quod superior pro eo spondere nollet; quanto iustius & æquius erit, ne te cognatorum negociis inuoluas & intrices, nisi pura id obedientia iniungatur, & superior dicat se tibi fide iubere, cum tantum illic periculum situm sit.

CAPVT V.

Prædicta nonnullis exemplis roborantur.

DE sancto illo Abbate Pœmene dicebant sancti illi patres, quod quodam tempore in Ægyptum Iudex quidam venerat, qui huius sancti nomen & famam audiens, magno eius videndi desiderio tenebatur. Hinc quendam ad illum misit nuncium, qui eum oraret, vt dignaretur eum admittere, nam se proposuisse illum visitare. Pœmeno hoc nuncio mœstus & tristis factus apud se cogitabat, si nobiles illum inciperent visere & honorare, multos statim ex populo adfuturos, & vitam & exercitia eius spiritualia interrumperent, & diabolus ei humilitatis gratiam auferret, quam multo labore accedente Dei fauore sibi parauerat, & hactenus conseruauerat, ne vanæ gloriæ laqueis caperetur. Hæc apud se cogitans, proposuit se excusare, & illum non admittere. Quod magnam iudici molestiam attulit, & dixit cuidam suo officiario: Peccatis meis adtribuo, quod hunc virum Dei videre non possum. Et postea magno desiderio eum videndi captus, proposuit id consequi, quacunque etiam id ratione fieret. Tandem astum excogitauit, quo illum cogeret facere, quod efflagitabat, vel eum eremum exire & visere. Et fuit huiusmodi: Iussit in carcerem coniici quendam eius nepotem sororis filium, dixitque secreto cuidam suo officiario, ne senex de captiuitate nepotis nimium angeretur, nunciari illi curaret, si ad illum veniret, sestatim nepotẽ libertate donaturum, quamuis tam graue esset crimen, quod maximam pœnam mereretur. Quod capti mater audiens, & intelligens, si frater iudicem visitaret, filium suum statim liberandum & carcere emittendum; in solitudinem abiit, & cœpit ante ostium cellæ sancti fratris sui clamare & suspirare, & multis cum lachrymis orare, vt iudicem

In vitis PP. l.3 §.2. & Pratum spirituale.

Pœmeno Abbas pro capto nepote non vult intercedere ne se immisceret seculi curis.

cem adiret, & pro filio rogaret. Quamuis S. Pœmeno eam audiret, nihil respondit nec ostium aperire voluit, vt ingrederetur. Quod soror agnoscens cœpit illi maledicere, & exclamare: Durissime & crudelissime, qui ferro duriora viscera habes. Extremus meus dolor & lachrymæ te ad misericordiam non flectunt, quamuis scias, vnicum quem habeo, filium in magno vitæ versari periculo? Pœmeno hæc audiens dicit monacho & suo socio, qui illi ministrabat, Vade, hæc illi verba dicito. Pœmen filios non genuit; ideoque non tristatur. His verbis dimissa & omnis solatii expers rediit soror. Et iudex intellexit, quid actum esset in solitudine, & quod se excusasset venire ad illum; dixit aliquibus eius amicis: saltem eo illum inducite, vt mihi literas petitorias scribat, vt nepotem liberem. Multi hoc cum nuncio Pœmenem accesserunt, & rogabant ad iudicem scriberet. Quorum importunitatibus victus ita scripsit: Inquirat nobilitas vestra diligentissime super iuuenis huius crimine; & si quid morte dignum commisit, moriatur; sicque in hoc sæculo delicti pœnam luat. Vt hoc parto æternas inferni pœnas euadat. Refertur in vitis Patrum de sancto Abbate Pastore simile exemplum. Quod ab eo impetrari nequiuerit, vt pro quodam suo nepote intercederet, qui iam mortis damnatus erat, ne se carnis & sanguinis negociis implicaret.

Idem fecit Pastor Abbas. In vitis Patrum.

Itidem de B. P. N. Ignatio habemus, quod nunquam in se recipere voluerit onus matrimonii neptis suæ, quæ hæres & domina familiæ eius erat, rogarent, cuiusmodi erant Duces Nasaræ & Albuquercii. Quibus respondit, hæc iam ad se non pertinere, nec professioni eius consentanea esse, quod multis abhinc annis se eiusmodi curis expediuisset & mundo mortuus esset: nec docere id resumere, quod multo ante reliquisset, nec tractare aliena à vocatione, rursumque vestes induere, quibus se exuisset, & pedes immundos reddere, quos tanto conatu, diuina opitulante gratia lauisset, postquam domo abiisset. *Exspoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos.*

B. P. Ignatius causas de matrimonio, neptis componere renuit. l. 5. c. 5. vita eius.

Cantic. 5. 3.

Legitur & de P. N. Francisco de Borgia, quod nunquam ab eo impetrare potuerit, vt sanctitatem S. rogaret, vt dispensari vellet super Aluari de Borgia filii sui matrimonio, vt in vxorem duceret neptem eius, sororis ipsius filiam, dominam Ioannam Aragonensem, hæredem Marchionatus de Alcanizes, quamuis tanti id filii interesset, vt tantum dominum & statum acquireret, sciretque summo Pontifici nil tam in votis esse, quam vt sibi & omnibus suis consuleretur. Dicitur præterea & cum Imperatore aliud negocium interuenisse, de quo Imperator valde ædificatus est, & verum re ipsa comperit, quod ad ipsum relatum erat de P. Francisci alienatione à filiis, & quod talem se iis exhiberet, quasi filii non essent. Attendamus à quibus se negociis sancti hi abstrahebant, quæ tamen breui tempore conficere poterant; & altera ex parte consideremus, qualibus se negociis aliqui Religiosi implicent. Si illustres hi viro & tam sancto tam verebantur huiusmodi tractare, cur non & nos metuamus, cum tam sancti non simus: ideoque maiori periculo exponimur. Et hanc puto causam esse, cur non timeamus, quod tam sancti non simus. Si enim reipsa sanctitati & perfectioni studeremus, pericula hic exoritura metueremus, & illa fugeremus, vti sanctos illos constat fecisse.

P. Borgia curas de matrimonio filii reiicit à se. L. 4. c. 6. vita eius.

CAPVT VI.

De aliis malis & damnis, quorum affectus in cognatos causa est: & qua ratione Christus Seruator noster illa fugere docuerit.

Basil. in constit. monast. c. 21.

Affectus in cognatos periculum adducit sacrilegii.

DIcit sanctus Basilius, hunc in cognatos affectum & naturalem compassionem eo solere ducere Religiosum, & ad talem extremitatem pertrahere, vt sacrilegio se obstringat, Religioni detrahens, vt eis succurrat. Et licet non capit ex eo, quod religionis est, tamen ex eo capit, quod deuoti religioni darent: & hinc inde, à pœnitentibus & amicis corradit, quod det, & subinde cum ministeriorum detrimento. Non enim quis tanta cum his libertate frui potest, quibus indiget, & quibus tali modo non obligetur & aliquando etiam aliquo cum conscientiæ scrupulo contra paupertatis votum: Si mihi, vel si alteri detur, vel si ego, vel si alter det. His accedit, quod affectus hic in cognatos taliter visum eripiat, vt quis hic nullam difficultatem sentiat, & vt ei licitum subinde videatur, quod alias illicitum est, & voto paupertatis contrarium non esse, quod reuera tamen huiusmodi est. Et quamuis quis nihil aliud Religioni furaretur, quam tempus, quod negociis cognatorum impendit, satis sane illam fraudat & sat damni infert. Hinc ait sanctus Basilius: Non amplius tuus, sed religionis es, cui & corpus obtulisti, & omnem operam & laborem: ideoque illa non solum animæ, sed & corporis tui curam gerit, suppeditans quicquid necessarium, & tu sustentationem à religione capis, & cognatorum negociis occuparis? Totum hoc illi furaris; vt taceam de malo exemplo, quod præbes his, qui te vident cognatis tam deditum esse.

Luc. 14. 26.

Non nisi prægnantem ob rationem ait Christus Seruator noster in Euangelio: *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Animaduertit recte hic S. Gregorius, quod eodem modo, quos iubet nos ipsos odisse, iubet & odisse patres & cognatos. Sic vt erga te habendum tibi sanctũ odium, te mortificando, & tibi in omnibus contradicẽdo, quæ caro aduersus spiritũ & rationẽ concupiscit, & iis nõ consentiendo, quod hic maximus omnium inimicorum tuorũ sit; eodem modo & tibi sanctum odium in cognatos & parentes habendum, iis non consentiendo, sed iis in omnibus contradicendo, quæ tibi impedimento ad salutem, profectum & perfectionem esse possunt. Hi enim tui pars sunt, & etiam hostes tui. *Et inimici hominis domestici eius.* Refertur in Chronicis Fratrum Minorũ, quod quidam fratri Ægidio dixerit, quod plane proposuisset Religiosus. Respondebat Dei famulus: si hoc decreuisti; occide prius omnes consanguineos quos habes. Hic lachrymans, petebat, ne tantis illũ criminibus obnoxium redderet. Replicat S. Ægidius cur tam parui iudicii & intellectus es? Non dico, vt materiali illos gladio, sed mentali occidas. Nam secundum Domini dictũ, qui non odit patrem, matrem & consanguineos, non potest eius esse discipulus. Consideratione dignum est, hanc doctrinam sæpius à Seruatore nostro in S. Euangelio repeti. Et notat S. Basilius & allegat duo exempla quæ apud illum habentur. Prius iuuenis illius qui Christum sequi volebat, & veniam petebat, vt bona sua venderet, & de iis disponeret. Cui respondit: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Sic vt respicere nihil aliud sit, quã redire postquã manus ad aratrum Euangelicorum consiliorum missa sit, & nos intricare sæculi negociis, quæ ante reliquimus. Hanc Christi sententiã metue, qui dicit *non aptũ esse regno Dei.* Alterũ exemplum est de alio iuuene, qui etiam Christum sequi volebat, & veniam petebat sepeliendi patrem. Quæ res honesta & quæ breuissimo tempore confici potest: & veniam non dedit, sed respondit:

Odio habendi cognati. *Greg. l. 7. mor. c. 14.*

Matth. 6. 7.

S. Ægidii monitum. *1. p. c. 20. Chronic. S. Francisci.*

Basil. in const. monast. c. 21.

Luc. 6. 1. *Christus & verbis & suo exemplo docet cognatorum fugam.*

Luc. 9. 60. *Theophylactus.* dit: *Sine vt mortui sepeliant mortuos vos.* In quæ verba ait Theophilactus. *Si autem illi neq; patrem sepelire licuit; væ his, qui monasticen professi, ad mundana regrediuntur negocia.*

Nec Christo Seruatori nostri satis fuit, nos verbis & exemplis alienis docuisse nisi & proprio exemplo nobis hanc parentum & cognatorum fugam demonstrasset. Vt in multis Euangelii locis videre est, quasi exterius rigorem & austeritatem sanctissimæ suæ Matri exhibuerit dum triduo amissus in templo inuentus est, ait: *Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Et in nuptiis deficiente vino: *Quid mihi & tibi est mulier?* vt nos doceret (ait S. Bernardus) modum cum parentibus agendi, vt dum nos à professionis nostræ fine & proposito adducere nituntur, vt eis resistamus, & dicamus: *In his, quæ Patris mei oportet me esse*: Fas est, Dei & salutis nostræ negocium nos promouere. Et alii, qui illi dicebat: Magister dic fratri meo, vt mecum hæreditatem diuidat; respondit austere: *Homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos?* non missus sum vt has inter vos lites componam. Vt docent, fugienda nobis huiusmodi esse negocia, non enim professioni nostræ congruunt.

Luc. 2. 49.

Ioan. 2. 4. *Bern. serm. 2. dominicæ post octauam Epiphaniæ.*

Luc. 12. 14.

Capvt VII.

Qua ratione tentatio hæc titulo non solum pietatis, sed & obligationis velari solet, & de remedio contra eandem.

Qvandoqvidem tentatio hæc non solum colore & titulo pietatis, sed & obligationis se munire & promouere solet, id quod tentationes periculosas maxime reddere solet; B. P. Noster, vt damno huic occurreret, & idem præueniret quod inde in Societatem irrepere posset; iubet in Constitutionibus, vt omnes, qui illam ingrediuntur, interrogentur, dum de eo dubitatur, non teneantur & obligati sint parentibus vel cognatis succurrere, & nõ se regi patientur eo modo quo Societas vel Superior ordinabitur; non permittentes se proprio iudicio regi. Nam in cognatorum negocio, vt & in proprio affectus excæcat, & erroris causa esse solet, ideoq; ipsi iusti iudices in hac causa esse non possunt. Vt ergo omnes quiescerent, & nullum scrupulum haberent, hoc remedium B. P. N. inuenit. Idcirco quilibet eo sibi satisfactum esse credet, quod Societas hoc in negocio statuerit, quandoquidem tantam in illa doctrinam & Dei timorem inuenire licet, vt negocium iuxta scientiã & conscientiam exacte perpẽdet. Et magnæ Deo sunt agendæ gratię, quo hac in parte posset esse securus, & tanto feruentius suo profectui & perfectioni studere.

Cap. 3. exam. §. 3.

Eandem ob causam iubet idem B. P. N. vt dum bonorũ distributio in cognatos facienda est, quod pauperes sint; id duorũ vel trium doctorum & piorũ iudicio permittatur, quod quisque elegerit Superioris consensu, quibus incumbet iudicare, nũ vere pauperes sint, & si vere indigeãt, ne caro & sanguis illos in errorẽ inducat; Sic, vt hac opera nõ sit opus dũ quis bona sua alienis pauperib. dat, dũ vero pauperibus cognatis, id reqritur, ob periculũ, ꝙ ex amore & affectu carnis incidere posset. Idque notat S. Gregorius in illo exemplo in quo Christus iuueni prohibebat, ne sepeliret patrem. Aduerte, quod non prohibuisset alienum sepelire, sed potius suasisset, & opus misericordiæ fuisset, sed patrem prohibet sepelire, vt sciamus, quod cum alienis licet, sæpe non expedire cognatis fieri, ob periculum, cum proprium tu ob scandalum eorum, qui vident religiosum implicitum & inuolutum carnis & sanguinis negociis. Certum est alio modo aliorum, alio consanguineorum rebus occupari: Ille enim non turbãt nec inquietum reddunt religiosum, sed in his experitur se turbari, & animi pacem subtrahi, & magno sibi impedimẽto in exercitiis spiritualib. esse. Idcirco dũ aliquãdo necessitas exigat, vt quis cognatis adsit; expedierit aliũ Patrib. on⁹ in se recipere: estque in Societate statutum, vt sic fiat,

In bonorum distributio facienda cognatis pauperibus, sit duorum vel trium iudicio.

Greg. l. 7. mor. c. 14. *Luc. 9. 60.*

Basil. in quæ. fusius disput. 32. conuenitque cum S. Basilii doctrina. Pręterea dũ quis per se humilibus se negociis miscet, signũ est, illi aliquid affectus mũdani & carnis remansisse, vellet cognatos pauperes non esse, nec inediam pati, & Deus forsitan vult illos pauperes esse & cũ paupertate conflictari, quod hoc illis magis ad salutem animæ & illi ad humiliationem conducat. *Interdum Deus vult cognatos esse pauperes.* Solet & alia hic aliquando miscere vanitas & stultitia, quod aliqui Religiosi volunt & moliuntur, vt eorũ parentes & cognati pluris sint & amplius habeant, quam fuissent vel habuissent, si ipsi religiosi non essent. Quo clare demõstrant, se vere huiusmodi nõ esse, sed corpore solum, cum enim humiliores esse deberent, maiorem præsumptionem & vanitatem assumunt.

Deniq; si quis eum finem, ob quem ad religionem venit assequi desiderat; necesse, vt cognatorũ negocia deponat, & illis se non inuoluat: *Qui dixerit patri suo & matri suæ nescio vos, & fratribus suis ignoro vos, & nescierit filios suos, hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerũt.* *Deut. 33. 9.* Dicit S. Bernardus, & est communis Sanctorum opinio, Religiosum vt alterũ Melchisedech esse debere, de quo ait S. Apostolus Paulus, illi nec patrem, nec matrem fuisse nec cognationẽ non quod hæc non habuerit cũ enim verus homo fuerit, hæc illi deesse non poterant. sed dicitur hęc illi non fuisse, quod sacra Scriptura de illo vt Sacerdote loquens horum mentionẽm non facit, nec principii, nec finis dierum eius. *Bernard.* *Heb. 7. 3.* *Religiosos instar Melchisedecis esse oportet.* Vt indicet Sacerdotes, maxime vero religiosos perinde ab his seiunctos esse debere, ac si hæc non haberent & rebus spiritualibus & diuinis tam addictos, quasi ex cœlo descendissent. Sicut in anima sint alteri Melchisedeches, nec quid quam in mundo habeant, quod his connexum sit, quodq; illos impediat & retardet ad Deũ cum festinatione adcurrere. Cõcludamus ergo his verbis S. Bernardi: *Sede itaq; solitarius sicut turtur: nihil tibi & turbis, nihil cum multitudine cæterorum, etiamq; ipsum obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.* *Bern. ser. 40. in Cantica. Psal. 44. 11.* Et S. Hieronymus in hæc Prophetæ verba dicit: *Grande præmium est parentis obliuisci, quia concupiscet Rex decorem tuum.* *Hiero. in reg. mon. quem collegit Lupus de Oliueto.*

In Fratrum Minorum chronicis, legitur quidam à matre eleemosynis & summa cum paupertate sustentatus & nutritus, donec magister in Theologia creatus in eum ordinem cooptaretur. *p. 2. c. 13. Chr. S. Francisci.* *Magister in Theologia, in ordine confirmatur, dum Christus ostendit sibi eum pluris stetisse, quam matri.* Audiẽs mater filium monachum factum, ad monasterium venit, & multis cum lachrymis & importunitate filium repetebat, vbera ostẽdendo, & quanto labore illum aluerat, demonstrando, eique paupertatem & extremam inopiam, quam patiebatur, ob oculos ponendo. Hic lachrymis Magister ille motus à proposito desistere statuit & sequenti die monasterium exire. Dumque super hac re magnum in animo certamen aduerteret; orationis se dedit, vt consueuerat & ante Crucifixi imaginem prostratus, anxio corde dicebat: Domine non te volo relinquere, & quæso, ne tale quid permittas, solum matri, quę in magnis est angustiis, succurrere solum volo. Cumq; hæc diceret, & oculos ad imaginem verteret; videbat ex Domini latere verũ manare sanguinem, & statim vocem sibi dicentem audit: Pluris mihi constitisti, quã matri, quãdoquidem te creaui, & hoc sanguine redemi nec me matris amore deserere debebas. Quo monito Magister obstupefactus, & naturalem matris amorem Christi amori postponens, qui maternus amor suadebat eius necessitati adesse & Christum deserere, isq; in ordine perseuerauit, ibidem ad mortem vsque summa cum laude vixit.

Quamuis hoc in tractatu solum Religiosis videamur locuti esse; tamen & seculares non exiguum hinc fructum colligerent; si inde discerent, vt desideramus, Religiosis non molesti esse, nec suis negociis implicare, nec se religionis regimini immiscerent, petentes vt cognatus vel amicus huc vel illuc, vel alium quemuis in locum mittatur.

TRACTATVS SEXTVS.

De tristitia & lætitia.

CAPVT I.

De magis damnis quæ ex tristitia fluunt.

Eccl. 30. 24.

RISTITIAM *longe repelle à te; multos enim occidit tristitia, & non est vtilitas in illa*, ait Sapiens Cassianus librum de spiritu tristitiæ composuit, dicit enim ad medendum huic malo & ægritudini, non minore cura & diligentia opus est, quam ad alias spirituales infirmitates & tentationes, quæ se nobis in hac vita offerũt, ob multa & plurima dãna quæ inde manant, & in eodem libro allegat, & sacræ Scripturæ testimoniis confirmat. Caue, inquit, tristitiam, nec illi in cor suum ingressum præbe, si enim intrare permittas, & ibi dominari cœperit; statim orationis delectationem & gustum auferet, & faciet horam tibi longam videri, & illam non perficere; imo subinde te plane oratione & spirituali lectione spoliabit. Et in omnibus spiritualibus exercitiis tædium & fastidium adferet, vt nec illa adspicere audeas: *Dormitauit anima mea præ tadio*. Hoc versu ait Cassianus recte exprimit Propheta dãna quæ ex tristitia proficiscuntur Non dicit corpus, sed animã dormitare; spirituali enim tristitia & acedia, tantoq; anima tædio & fastidio in omnibus spiritualibus exercitiis & virtutis operibus afficitur, vt videatur dormitans inepta, & torpens ad omne bonum. Et tantum aliquando est fastidiũ quod talis ad bonum & spiritualia habet vt horrori sint iis, qui in virtutem & perfectionem incumbunt, quos & subinde à bonis suis exercitiis retrahere & turbare conatur.

Cassia. l. 9. de instit. renunt. Tristitia orationis gustũ aufert.

Psal. 118. 28. Cassian. l. 10. c. 4.

Habet & aliud in se tristitia, vt auctor est Cassianus, quod hominem morosum & austerum proximis reddat. Ait S. Gregorius: *Tristis ex propinquo habet irã*. Propterea id experientia docet, quod tristes facile irascamur, quiduis fastidimus: insuper hominem in agendis impatientẽ, suspiciosum & malignam facit. Et aliquando tam tristitia hominem turbat, vt sensum perdat, & sui impos sit, secundum illud Ecclesiastici: *Non est sensus, vbi est amaritudo*. Et sæpius videre est, aliquem tristitia & melancholia obrutũ tam insueta apprehendere, & tam insolita & ratione & fundamento carentia suspicari, vt ii, qui apud illum sunt, illa ridere & de illis iocari vt stultitiis soleant. Alios, & quidem viros graues, doctos & honoratos videre fuit, tã hac passione pressos, vt illis cõdolendũ maxime esset, quos nũc videre erat vt puerulos flẽtes nũc tam alta ducere suspiria, vt rugire viderentur. Idcirco dũ sui compotes sunt, & aduertunt sibi hãc stultitiam (quæ iure optimo talis dici potest) aduenire; se cubiculo suo includunt, vt ibi

Facit hominem morosum impatientem, suspiciosum. Greg. l. 30. mor. cap. 21.

Eccl. 21. 15.

vt ibi

vt ibi soli suspirent & plorent, & ne authoritate sua apud illos excidant, qui huiusmodi illos agere cernunt.

Si ab ipsis exordiis nosse lubet effecta & damna, quæ in corde, tristitia operatur (Cassianus ait) Sanctus Spiritus illa per Sapientem breuiter sic proponit: *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno; ita tristitia viri nocet cordi.* Prouerbior. 25. versiculo 20. Vestis à tinea corrosa ad nihilum valet, nec ad quid vtilis est: nec lignum verme plenum ad ædificandum conducit, nec quid oneris potest ei imponi, statim enim disrumpitur. Eodem modo & homo melancholia repletus, tristis & mæstus ad omne bonum inutilis est. Nec se hic malum sistit, sed quod omnium deterrimum tristitia in corde causa est & radix multarum tentationum & ruinarum. *Multos enim occidit tristitia*, & multos in peccata labi fecit. Hinc est, quod aliqui tristitiam nominent latronum nidum, & dæmonum speluncam; idque bene iure. Ad quod probandum allegant illud Iobi de diabolo dictum: *Sub vmbra dormit*, Iob. 40. versiculo 16. Sub hoc enim vmbra & obscuritate, sub hac nebula & tenebris confusionis, quam sentis, dum tristaris, dormit & se abdit diabolus: hic eius nidus & cauerna est, vbi in insidiis latet, vt te post omnibus, quibuscumque volet, tentationibus adoriatur. *Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ.* Psalmo 103. versiculo 20. & 21. Vt enim serpentes & feræ noctis obscuritatē exspectāt, vt cauernas suas exeant; sic & diabolus, serpens antiquus huius noctis obscuritatem & tristitiæ tenebras exspectat, & tunc omni tentationum genere irruit. *Parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.* Dicebat Sanctus Franciscus, diabolum valde lætari, dum alicuius cor triste est, quod vel illum facile in tristitia & desperatione suffocet, vel ad mundanas voluptates pertrahat: Notatu hoc dignissimum, nam maximi momenti est.

Est instar tineæ.

Est causa multarum tentationum & ruinarum: nidus dæmonum.

Psal. 10. 3.

S. Francisci dictum de tristitia.

Dum quis tristis & melancholicus est, subinde diabolus illum in diffidentiam præcipitat & desperationem, vt contigit Cain & Iudæ: aliquando dum aduertit non prospere hic negocium cadere, mundanis illum deliciis aggreditur, vel carnalibus sensualibusque voluptatibus allicit eo colore vel prætextu, quasi iisdem se hoc dolore & tristitia sit liberaturus.

Huic accidit quod dum quis tristitia affligitur, statim illi tentationes obrepere soleant de vocatione, diabolus enim ei proponit in mundo vitam hilarem & iucundam acturum: hacque ratione aliquos per tristitiā & melancholiam à religione deficere fecit. Alias carnales & fœdas cogitationes obiicere solet diabolus, quæ sensualitati arrident, & conatur illos in iisdem moram trahere, sub prætextu, quod iis mæstitiam fugabunt, & animum lapsum erigent. Quod sane valde metuendum est illis, qui tristitia & melancholia vexantur, quod huiusmodi tentationes illis frequentes & familiares esse solent. Et recte Diuus Gregorius aduertit, & dicit, quod vt homo ex natura aliquam delectationem & recreationem appetit, dum eam in Deo non reperit nec in rebus spiritualibus; eadem ratione diabolus, cui propensio nostra explorata est, illam ob oculos ponit, & sensualia & inhonesta affert, & in eisdem delectationem & voluptatem, quibus tristitia & præsens melancholia fugetur vel saltem mitigetur: *Sine delectatione anima nunquam potest esse, nam aut infimis delectatur aut summis.* Intelligendum ait Sanctus, nisi in Deo voluptatem & oblectationem habueris & in spiritualibus, eandem tibi in vilibus & sensualibus quærendam esse.

Tristes facile de vocatione periclitantur.

Greg l. 18. mor. c. 8. Idem notat S. Bonau. t. 2. opusc. lib. 2. de profect. relig. cap. 1.

Denique tot sunt mala & damna quæ ex tristitia nascuntur, vt Sapiens dicat: *A tristitia enim festinat mors.* Eccles. 38. 19. Et alibi: *Omnis plaga tristitia cordis est.* Eccl. 25. 17. Et non solum mors temporalis, sed & æterna, quæ infernus est, ex tristi-

Aug. l. 52. sup. Gen. ad litter. c. 33.

tristitia oritur. Talique modo declarat Sanctus Augustinus id, quod Iacob filiis suis dicebat: *Deducetis canos meos cũ dolore ad inferos*, Genes. 42. versiculo 38. & dicit, Iacob timuisse, ne tristitia, quam haberet ob absentiam Beniamin tantam in illo gigneret apprehensioné, vt in periculum, animæ suæ salutẽ adduceret & cum illa in damnatorum infernum descenderet. Hæcque causa est, quod Sanctus Apostolus Paulus illam nos caueat moneat:

Heb. 12. 15.

Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi. Quando igitur tanta sint damna & pericula, quæ ex tristitia sequuntur, monent nos tam diligenter Sacra Scriptura & Sancti, vt illam caueamus: id quod non consolationis aut delectationis nostræ causa fit, si enim aliud non subesset; parum referret nos vel lætos vel tristes esse. Hincque tantopere illam desiderat & procurat diabolus, quod ipsum non lateat, multorum malorum & peccatorum radicem & causam esse.

CAPVT II.

Aliquot adferuntur rationes, ob quas nobis Deo cum lætitia seruiendum.

GAVDETE in Domino semper, iterum dico gaudete: dicit Sanctus Apostolus Paulus. Idem & in Psalmis sæpius inculcat Propheta Dauid:

Psal. 31. 11. Psal. 69. 5. Psal. 99. 1. Psal. 104. 3.

Lætamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te. Iubilate Deo omnis terra, seruite Domino in lætitia, introite in conspectu eius in exultatione. Lætetur cor quærentium Dominum. Et multis aliis locis sæpius nos hortatur, vt Deo in lætitia seruiamus. Hæcque Angeli salutatio erat, dum ad Tobiam ingrederetur:

Tob. 5. 11.

Gaudium sit tibi semper. Solitus erat dicere Sanctus Franciscus, diaboli & membrorum eius esse tristari, nostrum vero in Domino gaudere: *vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum.* Nos in suam deduxit domum Dominus, & ex millibus multis elegit, cur ergo tristabimur? Merito nobis sufficere deberet, vt sciamus maximi momenti rem esse cum toties eam commendet & inculcet Sacra Scriptura, & quod altera ex parte perspiciamus magna damna, quæ ex tristitia nasci diximus.

S. Francisci dictum memorabile. Psal. 117. 15.

Vt tamen quid addamus, & ad oculum videntes vtilitatem enitamur magis; aliquas adferemus rationes, ob quas nobis expedit cum cordis lætitia semper in Dei seruitio versari. Quarum hæc prima sit, quod iubeat Deus: *Non ex tristitia aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus*: Dicit Sanctus Paulus, secundum quod per Sapientem dixerat: *In omni dato hilarem fac vultum tuum*, Ecclesiastic. trigesimo quinto, versiculo vndecimo. Sicut in mundo videre est, omnes Principes velle, vt famuli illis cum lætitia seruiant, dumque vident illos languidos & torpentes esse, & demissis auribus & inuitos seruire & cum tristitia; non gratum est seruitium sed fastidio; sic nec Domino Deo gratum est, dum non illi seruitur prompta voluntate & gaudio, sed murmuratione & tristitia.

2. Cor. 9. 7. 1. ratio sumitur ex Dei mandato.

Annotat Sacra Scriptura, filios Israel ad templi fabricam multum auri, argenti & pretiosorum lapidum prompta voluntate & gaudio obtulisse. *Cum ingenti gaudio.* Et Rex Dauid Deo gratias agit, quod videret populum dona sua magno cum gaudio offerre. Hoc Deus magni æstimat; nec tanti opus, quam voluntatem, qua fit, facit. Et apud homines dici solet, pluris esse animum & benignitatem, quam reliqua omnia, illum enĩm magni facimus, quamuis factum parui momenti sit. Et contra, quantumcunque magnum quid sit, si bono animo & cum gaudio non fiat, non æsti-

1. Paral. 29. 9. & 17.

æstimatur, nec arridet, sed potius ingratum est: Dicitur & quidem apte, esse quasi quis lautum cibum apponit, sed ingrato condimento, quod totum ingrati saporis facit.

2. ratio est magna Dei gloria. Secunda ratio est, quod ad Dei magnam gloriam & honorem cedat, si illi cum gaudio seruiatur. *Hilares declarant se prompta voluntate facere.* Hoc enim modo quis declarat bona & prompta voluntate se facere, & parum sibi videri, si cum eo, quod vellet facere comparetur. Qui Deo cum tristitia seruiunt, indicant se multum facere, & quod onere obruantur, & quod vix ferendo sint, quod displicet & ingratum est. Quare vna causarum propter quas Sanctus Franciscus *S. Francisc.* tristitiam in fratrum suorum vultibus videre nolebat, hæc erat, quod ea ipsa indicaret, esse, resistentiam in voluntate, & acediam in corpore ad bonum. Alii vero ex lætitia & hilaritate, quam exhibent, videntur dicere velle, nullius esse momenti quod faciunt, si cum eo, quod facere vellent, comparetur, Vt aiebat Sãctus Bernhardus: *Opus meum vix vnius est horæ, etsi plus, præ amore non sentio.* *Bern. ser. 14. super Cãtica.* Quod Deo iucundissimum est, ideoque auditur in Euangelio dicere: *Matt. 6.16.* *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans.* Dicere vult: orna te, & esto hilaris, ne ieiunare vel aliquid facere videaris. *Nolite fieri sicut hypocritæ tristes*, qui volunt omnibus constare se ieiunare, & aliquid facere. Hic obiter aduertendum, aliquos esse, qui sibi persuadent, vt cum modestia & collectione vadant, eundem sibi esse capite demisso & vultu tristi. Qui errant, dicit Sanctus Leo, *Leo papa ser. 4. Quadrag.* quod *Religiosorum modestia mæsta non sit, sed sancta.* *Religiosa modestia sit hilaris & modesta hilaritas.* Semper Religiosa sit hilaris modestia, & modesta hilaritas. Et nosse hæc duo coniungere, magnum est religioso decus & ornamentum.

3. ratio proximorum ædificatio. Tertio non solum hoc in Dei honorem redundat, sed & in vtilitatem & proximorum ædificationem & virtutis approbationem. Qui enim hoc modo Deo inseruiunt, valde exemplo suo hominibus persuadent, in virtutis via non eam esse difficultatẽ & molestiã, quã impii imaginãtur, dum illos tanta cum suauitate & hilaritate incedere vident: Quo homines, qui ex natura libenter lætantur & hilares sunt, valde excitantur ad virtutem. Ob hanc rationem valde nobis expedit, in nostris ministeriis hilares esse, vt cum proximis agamus, quod finis & institutum nostrum sit animas Deo acquirere. Hac enim ratione acquiruntur, & non solum ad virtutem, sed & ad perfectionẽ & religionem bene adficiuntur. Constat nobis de aliquibus, qui ob hoc solum mundo valedixerunt, & religioni sese addixerunt, quod lætitiam & hilaritatem religiosorum viderent. Nihil enim hominibus magis optandum, quam cum gaudio & hilaritate hoc æuum transigere & credo, si nossent quanto gaudio boni fruantur Religiosi, mundum incolis inanem futurum, & omnes religionem ingressuros.

Sed hoc manna absconditum, quod Deus abscondit & reposuit his, quos eligere voluit. Et tibi absconditum hunc thesaurum aperuit, & fratri tuo abscõdit, ideoque ille in sæculo mansit, & huc te euocauit Deus vnde infinitæ tibi sunt illi agendæ gratiæ.

Quarta ratio ob quam nos lætos esse expedit, hæc est: quod opus plerumque maioris est meriti & valoris, quando cum huiusmodi fit hilaritate & promptitudine: *4. ratio, maius meritum.* opus enim hoc modo melius & perfectius conficitur. Quod & Aristoteles agnouit, dum ait: *Delectatio perficit operationem, tristitia corrumpit.* *Arist. l. 10. Ethic. c. 4. & 5.*

Hincque multum interesse videmus inter eum, qui quid cum delectatione facit, & eum qui inuitus: hic enim nihil aliud respicit, quam vt possit dicere, se fecisse, ille vero incumbit, vt recte fiat, quod facit, & quam optime curat fieri.

His accedit, quod vt ait Sanctus Chrysostomus, animo vigor & lætitia *Chrys. ho. 41. sup. Genes.*

vires

vires addat ad laborandum. Hinc aiebat
Psal. 118.32. Propheta Dauid: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Lætitia dilatat & extendit cor. Dicit ergo Propheta: Dum mihi hanc lætitiam dedisti qua cor meum dilatatum est, magna cum velocitate sine vllo impedimento mandatorum tuorum viam cucurri, nec quidquam laboris sensi: *Current, & non*
Isa. 40.31. *laborabunt, ambulabunt, & non deficient*: Et contra tristitia constringit, premit & arctat cor, & non solum operandi voluntatem, sed & vires tollit, & difficile reddit, quod ante cuiuis facile erat. Ideo & Sacerdos Aaron debilitatem fatebatur, postquam vna vice duos illi filios occi-
Leu. 10.19. disset Deus, & à Moyse fratre correptus, quod Deo sacrificium non obtulisset; respondit: *Quomodo potui placere Domino in ceremoniis mente lugubri?* Et filii Israel in
Psa. 136.2.4. Babylonico exilio dicebant: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Et quotidie experientia ipsa discimus, nobis tristitia occupatis non solum spirituales deficere vires, secundum illud Sa-
Prou. 15.13. pientis: *In mœrore animi deiicitur spiritus*, sed & corporales, vt quisque pes, & quodque brachium nobis grauissimum esse videatur. Hinc auctores sunt Sancti, ne in tentationibus tristemur, hoc enim cor figore spoliat, & hominem pauidum & pusillanimum reddit.

5. ratio perseuerantia. Ex prædictis alia potest ratio colligi, ob quam Dei famulus, præsertim Religiosus optare debet, vt hilarem agat vitam. Estque hæc, quod dum aduertitur, quempiam in virtutis & religionis negocio hilarem esse; inde multum satisfieri & spem concipi, talem perseueraturum, & cœpta prosecuturum. Dum vero tristis aduertitur, suspicionem & timorem adfert, hunc non perstiturum. Vt dum videmus aliquem sub magno lignorum fasce, & anhelum & suspirabundum incedere, hic subsistere, illic lignum aliquod cadere, & alibi aliud, statim dicitur, hic tanto fasci ferendo non est, media via cogetur deponere onus: dum vere videtur hilaris, quasi cantando cum onere progredi, mox dicitur, hic maius onus istoc onere portare posset. Eodem modo dum quis virtutis & Religionis negocia cum tristitia & molestia obit, & videtur gemere, & oneri succumbere; suspicio est, hunc non perseueraturum: nam semper contra aquæ fluxũ remigare & eniti, fit remigum more, estq; nimis violentum. Dum autem lætus humilibus & abiectis officiis & aliis religionis exercitiis incumbit, & corporalibus, & spiritualibus, omnia ei leuia & facilia sunt; bonam de se spem dat, fore vt progrediatur, & perseuerat.

CAPVT III.

Culpas ordinarias quibus obnoxii sumus non sufficere, vt lætitiam auferant.

TANTI à Sanctis fit, nos vsque hilares & lætos esse, vt dicant nobis nec in lapsibus quidem animo cadendum, nec desperandum, tristes & melancholicos esse oportere: quamuis peccatum huiusmodi sit, ob quod iure bono tristari nobis licet, vt statim dicemus; tamen dicit Sanctus Paulus tristitiam hanc temperatam & moderatam esse debere, & inniti indulgentiæ & misericordiæ Dei, ne desperationem & diffidentiam pariat: *Ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est.* 2. Corinthiorum 2. versiculo 7. Hinc Sanctus Franciscus, qui hanc tristitiam in fratribus suis oderat socium suum, qui tristis erat, reprehendebat dicens, eum, qui Deo seruit, tristem non esse debere, nisi forte ob aliquod ab eo commissum peccatum. Si ergo tale quid (inquit) admiseris, huius te pœniteat, & confitere, & à Deo veniam & misericordiam pete, vt priorem tibi restituat lætitiam: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali infirma me.* Eodem & modo Sanctus Hieronymus hunc locum exponit: *Id est, redde*

Ob defectus non est desperandum nec nimis tristandum.

S. Franciscus oderat tristitiam in fratribus suis.

Psal 50.14.

Hieronymus.

mihi illam exultationem, quam in Christo habui, priusquam peccarem. Pater Magister Auila arguit, & quidem merito, aliquos, qui in Dei via pleni inutili tristitia ambulant, corde frigidissimo & gelu constricto, sine delectatione in diuinis, sibi insipidi & proximis, desperantes & pusillanimes: Multosque horum, ait, lethalia peccata non committere, sed dicere tali modo se dispositos esse, quod Deo non seruiant vt debent, ob venialia peccata, quæ admittunt.

M. Auila effatum.

Hic magnus error est: multo enim maiora sunt damna quæ ex nimia hac tristitia & dolore dimanant, illis, quæ ex eadem culpa nascuntur: & quod prudentia & fortitudine impedire poterant, augent, & ex vno malo in aliud cadunt. Et hoc est, quod diabolus ex tristitia habere intendit, vt videlicet eis vigorem & robur ad operandum subtrahat, vt nunquam boni quid ad perfectionem perducant.

Ex defectibus 1. vtilitas est nostri humiliatio.

Quod ex lapsibus & defectibus vtilitatis eruatur, Primum esse debet, vt nos confundamus & humiliemus, animaduertentes nos opinione nostra debiliores esse. Secũdum, vt maiorem à Deo gratiam postulemus, quod ea indigeamus. Tertiũ vt post maiori cautela & collectione viuamus, alios cõsulẽdo, occasiones pueniẽdo, & fugiendo: hoc modo plus proficietur quam pusillanimitate & inutili tristitia. Recte ait Magister Pater Auila, si ob culpas quotidianas, quas incurrimus, nobis tristandum, & desperandum esset; quis tandem hominum quiete & pace frueretur, cum omnes peccatis obnoxii simus? *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?* Conare Deo seruire, & fac quod potes, & si quicquid fas est, conficere nequis; ne ideo mirere nec animum despondeas omnes enim huiusmodi sumus: homo & non Angelus es, debilis, & non sanctificatus. Abunde Deo debilitas & miseria nostra explorata est, & ideo nos desperare non vult, sed statim erigere, & maius robur ab eo petere: vt infans, qui cadit, & statim surgit, & currit vt ante. Dicit Sanctus Ambrosius infantum lapsibus patrem non irasci, sed ad compassionem moueri; idem & Deus nobiscum agit, secundum illud Prophetæ: *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, & recordatus est, quoniam puluis sumus.* Nouit Deus infirmitatem nostram miseriam, & nos vt debiles & infirmos amat filios, & idcirco huiusmodi lapsus potius illum ad compassionem quam indignationẽ mouent. Inter omnia solatia, quæ habent illi, qui debiles in Dei seruitio sunt, est, intelligere Deum tam amoris & misericordiæ diuitem esse, quod nos toleret, & amet, quamuis illi non tam exacte, vt decet respondeamus. *Qui diues est in misericordia.* Ideoque vt cera ante ignem liquescit, sic & omnes nostri defectus & peccata coram eius infinita misericordia dissoluuntur. Idque nobis animum addere deberet, vt semper læti & hilares operaremur; quod sciamus Deum nos amare & fauere, & ob omnes has ordinarias culpas nos ne minimum quidem gratiæ & diuini amoris amissuros.

2. maioris gratia petitio.
3. maior cautela.
M. P. Auila, dictum.
Psal. 119. 3.
Deus compatitur nostris lapsibus & erigit, vti mater filii.
Amb. l. 2. de reparatione gentium c. 3. & vltimo.
Psal. 102. 13.
Eph. 1. 4.

CAPVT IV.

De tristitiæ radicibus & causis, earumque remediis.

INSPICIAMVS vero radices & causas, vnde tristitia nasci solet, vt necessaria iis applicemus remedia. Cassianus & S. Bonauentura dicunt ex multis radicibus tristitiam prouenire posse. Aliquando enim ex naturali ægritudine & humore melãcholico, qui in corpore dominatur, ortum habet: tuncq; remediũ potius ad medicos quã Theologos pertinet. Sciendum tamẽ hũc melancholicũ humorem nasci & augeri melancholicis cogitationibus,

Cassia. l. 9. de instit. renunt. Bern. tract. de refor. ment. c. 12.
1. Causa Tristitiæ est ægritudo & humor melancholicus.

nibus, quibus quis obnoxium se reddit. Hincq; Cassianus ait non minus nobis laborandum, ne eiusmodi melancholicæ & mœstæ cogitationes intrent, & ad se nos rapient, quam enitendum ne turpes & inhonestæ, castitati & fidei contrariæ cogitationes irrepant, ob magnum damnum, quod dicimus nobis inde imminere.

2. Est immortificatio passionum.

Alias nulla particulari causa præcedente, quæ eo prouocaret, quispiam repente se tam tristem & melancholicum sentit, vt nulla re delectetur, nec amicis nec colloquiis, quibus ante valde capi solebat, sed omnia illi nauseam pariant & aduersentur, & cum nomine communicare, nec loqui, nec agere velit; & si quid horum fiat, non ea suauitate & affabilitate, sed qua solet eum fastidio & tædio fiat.

Vnde facile (dicit Cassianus) colligere licet nostras morositates & aspera verba non semper ex occasionibus, quas fratres nostri suggerunt, nasci; sed intus & in nobis causam latere, quod passiones nostræ non sint mortificatæ; hæcque radix illa est, ex qua totum hoc prouenit.

Idcircoque remedium ad pace fruendum, non est hominum commercium & conuersationem fugere, nec Deus tale quid iubet; sed patientem esse, & recte passiones mortificare, nisi enim has mortificauerimus, quocumque eamus, & quocunque terrarum fugiamus, nobiscum tentationum & turbationum causam circumferimus.

Surius in vita S. Euthymii mense Ian.

Hominum fuga non liberat ab ira, sed mortificatio passionum.

Notissimum est exemplum à Surio allegatum de quodam monacho iracundo, qui ira & bile sua parum mortificata, sibi & aliis grauis decreuerat monasterio S. Abbatis Euthymii exire, in quo degebat, sibi persuadens sublato cum aliis commercio, & solitarie viuendo iracundiam cessaturam, quod irascendi occasiones non haberet. Facit, quod decreuerat, & se cuidam cellæ includens, secum aquæ vas fert, & diaboli astu effunditur: surgit, & rursum aqua replet, iterum effunditur & humi cadit, tertium implet, & tertium effunditur. Tunc more solito cum iracundia, vas capit, humi deiicit & disrumpit, quo facto, aduertit non monachorum consortium, nec cum iis conuersationem causam fuisse, quod in iracundiam & morositatem laberetur, sed exiguam mortificationem, & tandem ad monasterium rediit. Sic vt in te sit inquietis & impatientiæ causa, & non in fratribus tuis. Mortifica tuas passiones, & hoc modo (dicit Cassianus) & cum feris pacem habebis, secundum illud Iob: *Bestiæ terræ pacificæ erunt tibi*, quanto magis fratres.

Iob. 5.23.

3. Est superueniens tribulatio.

Alias (teste D. Bonauentura) solet tristitia ex aliqua tribulatione superuenire, vel quod vis voti sui non sit compos factus. Eadem radix & à SS. Gregorio, Augustino & aliis ponitur, & dicunt mundanam tristitiam nasci, quod quis rebus mundanis deditus sit; certum enim est, eum tristari oportere, qui eo, quod amat, exuitur. Qui vero plane à rebus mundanis abstractus & seiunctus est, omnemque in Deo spem & delectationem quærit, hic à mundi tristitia immunis est. Optime ait M. Auila, dubium non esse, quin dolor ex desiderio nascatur, & quãto plus desiderii, tanto plus doloris, & quo minus desiderii, hoc minus doloris est, & nullo vigente desiderio, quietem nasci. Sic vt desideria tortores nostri sint, & lictores, qui nos excruciant.

Greg. l. 22. mor. c. 14.

Aug. sup. illud Psalmi: Concepit dolorem, & peperit iniquitatem, & tract. 14. sup. Ioan.

M. Auilæ pronunciatum.

Desideria sunt nostri tortores.

4. Est indifferentia.

Specialius de his agendo, & nobis applicando; dico Religiosi tristitiam inde sæpe nasci, quod indifferens non sit ad quicquid quod obedientia exigere posset. Hoc ipsum est, quod frequenter solet illum tristem & melancholicum efficere, & anxietate & dolore afficere. Si mihi auferatur, quod mihi placet, si mihi iniungatur, quod meæ voluntati repugnat. Hinc ait S. Gregorius: *Qui aut non habita concupiscit, vt habeat, aut adepta metuit, ne amittat: & dum in aduersis sperat prospera, in prosperis formidat aduersa huc illucque quibusdam fluctibus voluitur.*

Greg. l. 22. mor. c. 14.

tur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate versatur. Religiosus vero qui indifferens est ad quicquid quod obedientia ordinat, in eoque delectationem omnem ponit, vt Dei voluntati plene fiat satis; semper hilaris & lætus est, & nemo eum hac lętitia priuare poterit. Poterit quidem superior eum officio & collegio priuare, non autem delectatione, qua hic fruitur, quod illum certo alicui loco vel officio non alligarit, sed solum vt Dei voluntati vndiq; fiat satis. Ideoque semper delectationem illam secum fert, quocunq; loci fuerit, & quocunque munere occupetur. Si ergo vsq; lætus & hilaris esse velis, omnem in hoc delectationem colloca, vt in omnibus Dei voluntati obsequaris, nec voluntatem huic vel illi negocio applica, nec eandem tu ipse complere stude: hoc enim medio ad delectationem non peruenies, sed infinita fastidia & tædia tibi parabis.

5. *Est superbia.* Maioris lucis gratia; quod vulgo tristitiæ & melancholiæ solet esse causa & radix, non est melancholicus ille sed superbiæ humor, qui multum in animo nostro dominatur, vt diximus, dum de humilitate ageremus; & certum est, quamdiu hic humor regnabit, nunquam tibi tristitias & melancholias defuturas, semper enim occasiones se offerent, & in tristitia & dolore viuendũ tibi erit. Ad quod reduci potest, quod paulo ante diximus, aliquem indifferentem non esse ad quiduis, quod obedientia imperabit; labor enim & difficultas nõ in officio, quod nobis proponitur, sita sunt, & maior labor & difficultas in magnis officiis & dignitatibus, quæ appetimus inuenitur, sed in superbia & honoris cupiditate: Hæc nobis id laboriosum, & onerosum reddit, quod facile & leue est; eamque nobis tristitiam & melancholiam adfert: imo sola cogitatio & metus, si nobis tale quid iniungetur, ad hoc sufficiet. *Tract. 3. c. 22*

Vnde facile colligere ait, ad huic tristitiæ medendum, nullum aptius remedium inueniri, quam humilem, & abiecto loco contentum esse. Qui enim hoc fecerit, omni hac tristitia & inquiete liber erit, & magna pace & tranquillitate fruetur. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* *Matth. 11. 29.* Hoc modo hæc verba exponit S. Augustinus, & dicit, si Christum in humilitate imitemur, nulla nos in virtutum exercitio laborem & difficultatem, sed magnam facilitatem & suauitatem sensuros. Amor enim, voluntas & iudicium proprium hic difficultatem pariunt; quibus honoris, existimationis cupiditas, deliciarum, commoditatisque desiderium accedunt. Quæ omnia impedimenta humilitas aufert & discutit: Hæc enim hominem se paruipendere & voluntati propriæ ac iudicio renunciare, honores, existimationem, omnia bona & delectationes temporales contemnere facit. Quibus sublatis nulla in virtutum exercitio difficultas & labor, sed magna pax & quies animaduertitur.

CAPVT V.

Ad orationem recurrere, magnum & efficax remedium esse ad tristitiam profligandam.

AIT Cassianus, plurimum in quauis tristitię genere, ex quacunque etiam causa natæ conducere, ad orationem confugere, & Deum cogitare & vitæ æternæ nobis promissæ spem ob oculos habere. Hoc enim modo omnia nubila fugantur, & serenitas redit, & abit tristitiæ spiritus. Dauid enim citharam pulsante spiritus malus, qui Saul inuaserat, fugiebat & illum deserebat. Hæcque causa est, quod sanctus Iacobus in sua Canonica nobis hoc remedium assignet: *Tristetur aliquis vestrum oret.* Dicitque Propheta Dauid se hoc remedio vsum fuisse: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum. Cantabiles mihi erat iustificationes tuæ, in loco peregri-*

Cassian. l. 9. de instit. renunt. cap. vltimo. *In tristitia ad orationem confuge.* *Iacob. 5. 13.* *Psal. 76. 4.*

Psal 118.54 *regrinationes meæ, id est, erant mihi cantica* *Tract.2.c.13. in fine.* *& solatium.* Si ad tristitia nos liberandos, sufficit cum aliquo amico agere; quanto magis conducet cũ Deo tractare? Ideoq; Dei seruus & bonus religiosus ad fugandam tristitiam & melancholiam non hoc vtetur remedio, vt loquatur, distrahat & sensus effundat, nec vt vana & profana legat, multo minus canat; sed vt ad Deum recurrat & orationi se det: hoc eius solamen & quies esto.

Noe ex arca emisit coruũ & columbã. quid significet. Simile. Examinant hoc sancti, quod in sacra scriptura habetur, quod quadraginta diluuii diebus elapsis, Noe arcæ fenestram aperuerit, & coruum emiserit, vt exploraret, an terra iam sicca esset, vt descenderet: qui ad illum reuersus non est; & statim post, columbam emisit, *Genes. 8.9.* Quæ (teste sacra scriptura) *cum non inuenisset, vbi quiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam.* Quærunt sancti, quandoquidem coruus reuersus non est, quod inuenerit, vbi quieuerit pes eius, quomodo scriptura dicat, columbam non inuenisse, vbi quiesceret pes eius: respondent coruum lutum & cadauera sedisse, sed columbam albam, simplicem & bellam cadaueribus non pasci, nec luto & sordibus insidere; & idcirco in arcam reuersam, quod non inuenisset, vbi pes eius quiesceret, nec pedem figeret. Eodem modo Dei seruus & bonus religiosus delectationem in mortuis hisce & vanis mundi deliciis non reperit; & propterea vt columba ad cordis sui arcam reuertitur, & totum solatium & quies omniumque labium & tristitiarum, leuamen est ad orationem confugere Dei recordari, ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum accedere, & secum Christo consolari, & suos ei labores exponere & dicere: Qui frui potest Domine me mœstum esse, cum in domo tua & consortio sim? In verbo illo Regii Prophetæ: *Dedisti lætitiam in corde meo.* ait S. Augustinus: *Non ergo foris quærenda est lætitia, sed intus in interiore homine, vbi habitat Christus, in ipso corde in illo cubiculo, vbi orandum est*, vt Christus seruator noster docet. *Psal. 4.7. Augustinus. Matth. 6.6.*

Refert de S. Martino Episcopo Seuerus Sulpitius, orationem laborum & defatigationum leuamen ei fuisse. Vti fabri ferrarii vt paulisper respirent à labore, soliti sunt, aliquot irritos malleorum ictus in incudem dirigere; sic & ille, dum orabat, putabat se quiescere. De alio quodam Dei famulo refertur, quod in cella sedens maxima tristitia & incredibili dolore repletus, quo Deus ad certum tempus illum exercere voluerat, audiuit vocem sibi intus in animo dicentem: Quid hic ociosus facis & te consumis? Surge, & passionem meam perpende. Surgens, cœpit maxima cum attentione passionis Christi mysteria meditari, & statim tristitia recessit, animum, & solamen recepit; & hoc exercitium continuans, nunquam amplius deinceps talem tentationem sensit. *De S. Martino. Seuerus Sulpitius. B. Henricus Suso in horologio sapientiæ c. 14. Religiosus ex meditatione passionis Christi solatium inuenit.*

CAPUT VI.

De consueta & ordinaria quadam tristitiæ radice, quæ est, quod Deo quis, vt debet, non inseruiat, & de magna lætitia, quam bona conscientia secum adducit.

VNA præcipuarum causarum & radicum, ex quibus tristitia & melancholia proueniunt, est, quod quis non recte cum Deo ambulet, quodq; se nõ secundũ conditionis & professionis suæ qualitatem gerat. Id quod quisque reipsa & in se experitur, dum enim magno cum feruore & solicitudine profectui suo studet, tanta lætitia & delectatione repletur, vt fere illam non capiat, dum vero, quod muneris sui est, non exequitur, tristis, & consolationis expers est: *Cor nequam grauabitur in doloribus*, ait sapiens: *Et cor prauum dabit tristitiam.* Propriæ & naturalis peccati conditio est, tristitiam & dolorem animo ingenerare. Quod & Cain, simulatque peccarat, significatum *Tract.1.c.10. Tristitia oritur ex negligenti de seruitio. Eccles. 3.16. Eccles. 36.22. Propria conditio peccati est, tristitia, ostenditur in Cain.*

Propria conditio peccati est tristitia, ostenditur in Cain.

ficatum est; dum enim inuidiam contra fratrem suum Abel concepisset, dicit S. scriptura: *Iratus est Cain vehementer, & concidit vultus eius.* Ducebat secum peccatum interiorem furorem, & vultum demissum, & se in facie amaritudo & interior animi mœror prodebat. Et interrogabat illum Deus: *Quare iratus es, & cur concidit facies tua?* Cain vero non respondente, (nam hæc peccati conditio est) dicit Deus: *Nempe si bene egeris, recipies?* Forsitan non tibi constat, si bene egeris, lætitiam & delectationem te habiturum? Ideoque alius textus ait: Nonne si bene egeris, leuabis caput tuum? quod est, lætum esse. *Si autem male statim in foribus peccatum aderit*, pulsans ostium, vt intret, cruciandi causa, quod statim exterius & in vultu tuo apparebit. Sicut enim virtus, quæ est rationi conueniens natura, magnam in animo lætitiam excitat; eodem modo vitium & peccatum magnam parit tristitiam; Sic enim quis secum dimicat & cum ratione, & conscientiæ vermis intus latrat, mordendo & rodendo viscera.

Genes. 4. 6.

Bern. de interiori domo. c. 45.

Grauissima pœna est mala conscientia.

Seneca.

Dicit S. Bernardus: *Nulla pœna grauior est praua conscientia. Mala conscientia proprius agitur stimulis: si publica fama te non damnat, propria conscientia te condemnat, quoniam nemo potest seipsum fugere,* quantumcunque fecerit. Hinc quidam Philosophus dicebat, nulli culpæ maiorem pœnam infligi posse, quam illam commisisse, ob magnum cruciatum, quo propria conscientia male facientem affligit.

Plutarchus epist. ad Facium.

Simile.

Mala conscientia est instar febris.

Plutarchus hanc pœnam & cruciatum, qui ex mala conscientia prouenit, febris calori & frigori comparat; dicitque; sicut ægroti maiorem dolorem ex frigore & calore febris sentiunt, quam sani, dum ob intemperiem temporis calent vel frigent; eodem modo melancholiæ & tristitiæ, ex culpis propriis oriundæ, de quibus conscientia nos accusat, maiore nos cruciatu & pœna afficiunt, quam quæ casu aliquo fortuito & infortunio procedunt, sine tamen culpa nostra. Et præsertim hæ frequentiores sunt in illo, qui iam Deo delectari incipiebat, & recte progrediebatur, magno cum fauore & diligentia, quam qui post resilit, & tepide sua curat. Si quis diuitiis affluens ad paupertatem redigatur; maiore cum dolore & mœrore, vitam agit, illo, qui nunquam nouit diuitias. Dum cui in mentem venit se quondam Deo cum deuotione & sollicitudine deseruisse, & gratiam ab eo impetrasse; iamque vero se longe alium ab illo animaduertit; non potest non summo dolore affici, & magnum interius sentire mœrorem.

Si ergo tristitiam exulare, & semper hilarem & iucundum agere vitam exoptas; nullum efficacius hoc est remedium, quam recte viuere, & facere quod conditioni tuæ conuenit. *Vis nunquam esse tristis? bene viue.* ait S. Bernardus. Teipsum excute, & causas remoue, quæ hanc generant tristitiam, hac ratione illa cessabit, & lætitia aderit. *Bona vita semper gaudium habet, conscientia rei semper in pœna est.* Vti enim maior cruciatus non est; quam morsus & latratus peruersæ conscientiæ, eodem modo nec maiorem est inuenire in hac vita lætitiam & delectationem bonæ conscientiæ testimonio: *Non est oblectamentum super cordis gaudium secura mens quasi iugo conuiuium.* Sicut enim qui in conuiuio lætum & hilarem se exhibet missuum varietate, & inuitatorum præsentia; sic & Dei seruus, qui facit, quod debet, bonæ conscientiæ testimonio exhilaratur, & præsentiæ diuinæ odore, cuius pignora euidentia, & coniecturas in anima sentit, secundum illud S. Ioannis: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* S. Apostolus Paulus dicit bonam conscientiam paradisum, gloriam esse & felicitatem in terra. *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* S. Chrysostomus ait bonā conscientiam ex bona vita oriundam omnes cordis tenebras amaritudines tollere & fugare, vt videre licet in sole, quo ex oriente nubila fugantur & dissoluuntur; eodem modo, omnis tristitię copia in bonam conscientiam cadens, sic extinguitur,

Bernardus.

Bona conscientia semper habet gaudium.

Ecclesi. 30. 16

Prou. 15. 15.

1. Ioan. 3. 21.

2. ad Cor. 1. 12.

Chrys. hom. 25. ad popul. Antiochen.

guitur, vt ignis aliqua scintilla in profundum aqua repletum lacum cadens. Addit S. Augustinus, quod vt mel non solum in se dulce est, sed & insipida quæque quibus miscetur, dulcia reddit; sic & bona conscientia non solum per se læta & dulcis est, sed & labores exhilarat & dulces & sapidos reddit, secundum illud Prophetæ: *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa, desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum & dulciora super mel & fauum.* Per Domini iudicia, mandata eius & legis obseruationem intelligit, quæ non solum in se dulcia sunt, sed & omnes vitæ molestias dulces faciunt.

Augustinus.

Psal. 18. 10.

Refert Ecclesiastica historia, fidei & religionis persecutores nouum & insolitum quid inuentasse, nec reperire est aliquos præteritis temporibus idem excogitasse, estque huiusmodi, quod quicunque vocati, vel tormentis excruciati fidem negassent, in carcerem cum sanctis martyribus coniiciebantur, vt vero eorum pœna omni consolatione careret; non ibi detinebantur vt paulo ante de Christianismo accusati, sed vt homicidæ & malefactores. Notaturque ibi discrimen, etiam quantum ad exteriores gestus & oculos vtrorumque; quia sancti Martyres ad tribunalia & tormenta & læti properabant, & diuini nescio quid in vultibus eorum elucebat, & vinculis vt monilibus exornabantur, & ex carceris graueolentia Christo & Angelis suauissime olentes apparebant, quasi non in carceribus sed odoriferis hortis detenti fuissent. Alteri vero mœsti, capitibus demissis horribiles visu, & omni deformitate deformiores exibant. Hos propria conscientia sæuius vexabat & excruciabat, quam compedes vincula, cathenæ & carceris fœtor: illis vero bona conscientia, & quietis & gloriæ spes dolores mitigabat, & recreabat: quod etiam boni plerumque experiuntur. Tanta enim est bonæ conscientiæ lætitia, vt frequenter bonus se tristem & excruciatum reperiens, vt omnem in partem oculos dirigens nihil reperiat, quod eum solari queat; sed illos intus reflectens, & conscientiæ pacem & testimonium intuens, se consolatur & erigit: nouit enim omnia reliqua, qua etiam cumque ratione cadant, nihil ad negocium, nisi solum hoc, facere. Ex hoc res magnæ consolationis eruitur, & est eiusmodi, si bona conscientia, & Deo gratum esse, causa sit, ob quam quis lætus sit; eandem hunc spiritualem lætitiam, signum euidens & magnum indicium esse, aliquem bonam habere conscientiam & Deo placere, & in eius gratia & amicitia versari: ex affectu enim causa noscitur. Quod ideo recte S. Bonauentura annotauit, dum inquit: *Maximam inhabitantis gratiæ signum, est spiritualis lætitia. Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia. Impii autem in tenebris ambulant,* & in obscuritate & tristitia. *Contritio & infœlicitas in viis eorum; & viam pacis non cognouerunt.* Hæcque ideo vel præcipua causa erat, cur S. Franciscus in religiosis suis hanc spiritualem lætitiam videri exoptaret, quod signo esset, Deum in illis habitare, & in eius gratia & amicitia versari. *Fructus autem spiritus est gaudium,* dicit S. Paulus. Spiritualis hæc lætitia, quæ prouenit & nascitur, vt ex fonte, ex cordis puritate & vitæ munditia, fructus est sanctus Spiritus, & signum, quod ibi habitet. Tantoq; gaudio afficiebatur sanctus Franciscus, dum hanc in religiosis suis lætitiam videbat, vt diceret, si subinde contingat me à diabolo acedia & spiritus mœstitia tentari, adspicio fratrum meorum & sociorum hilaritatem, & statim eorum visa lætitia, tentatione liberor, quasi Angelos viderem. Videre seruorum Dei lætitiam, qui in eius gratia & amicitia sunt, est quasi Angelos in mundo cernere, secundum illud S. Scripturæ. *Vidi te quasi Angelum Dei. Et bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei.*

Hist. eccles. p. 1. l. 4. c. 3.

Ex bona conscientia lætitia nascitur: ex lætitia bona conscientia.

Bonauent. in spec. discip. p. 1. c 3.

Psal. 96. 12.

Psal. 61. 5.

Psal 13. 3.

1. p. l. 1. c. 26. Chron.

S. Francisci desiderium.

Ad Gal. 5. 22

Seruorum Dei lætitiam videre, est, quasi Angelos videre.

Esther 15. 16.

2. Reg. 29. 9.

CAPVT VII.

Aliquam bonam & sanctam esse tristitiam.

DICIT quis: Ergone semper lætandum nobis est? Nunquamne tristandum

dum annon aliquam inuenire est tristitiam bonam? Huic quæstioni respondet S. Basilius, aliquam inueniri tristitiam bonam & vtilem. Vna enim octo beatitudinum, quas Christus in Euangelio ponit, *Beati*, inquit, *qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Dicunt S. Basilius & Leo Papa & Cassianus, duo esse tristitiæ genera, altera mundana, dum quis ob quidpiam mundanum tristatur, vt de aduersis & laboriosis. Hancque dicant seruorum Dei non esse. De S. Apollonio in vitis patrum legitur illum ad discipulos ita verba fecisse, quod diceret seruos Dei, qui Deo confidunt, & regnum cœlorum sperant, non oportere tristari. Tristentur (aiebat) gentiles & Iudæi & alii infideles, & plangant continue peccatores; iusti vero, qui viua spe æterna bona exspectant, lætentur & exultent. *Lætamini in Domino & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde.* Si enim caduca & terrena amantes de eorum felici successu gaudent; quanto maior nobis gaudendi & exultandi in Deo & in gloria æterna, quam speramus, occasio esse debet. Hinc est quod S. Apostolus Paulus non vult nos nimio dolore de amicorum & cognatorum morte affici: *Nolumus autem vos fratres ignorare de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spē non habent.* Non absolute dicit, ne tristemur, aliquem enim de hoc mœrorem ostendere, naturale & non malum est, sed bonū & amoris signum: Quod & Christus seruator noster ipse ostendit, & lachrymatus est in Lazari amici sui morte, vt & adstantes dicerent: *Ecce quomodo amabat eum.* Sed S. Paulus dicit, ne tristemur sicut infideles, qui alteram vitam non sperant, sed vt moderata tristitia sit, nos consolantes breui mutuo nos in cœlo visuros; quodq; ille nos præcesserit, illum breui secuturi. Sicut quamuis mundana & huius vitæ negocia non possimus non dolere, quia homines sumus; tamen monet in his non perstandum, sed solum obiter illa tangenda esse. Qui flent (dicit Apostolus) quasi non flentes, & qui gaudent, quasi non gaudentes.

Basil in reg. breuib. 192. & 194. *Matth. 5. 5.* *Leo Papa.* *Cassian. l. 9. de instit. renunt.* *Duplex est tristitia mundana.* *S. Apollonius* *Psal. 31. 11.* *Ad Thessal. 4. 12.* *Ioan. 11. 35.* *1. Ad Cor. 7. 30.*

Alia tristitia spiritualis & secundum Deum est. Hæc bona, vtilis & seruis Dei conueniens est. Hæc quatuor modis gigni aiunt S. Basilius & Cassianus primo ex peccatis contra Deum commissis, secundum illud S. Pauli Apostoli: *Gaudeo non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam, contristati enim estis secundum Deum: quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Quod quis peccata sua plangat, tristetur & doleat se Deum offendisse, hæc bona & secundum Deum tristitia est. Adfert S. Chrysostomus suo ingenio dignam rationem. Nullum in mundo damnum, dolore, mœrore vel tristitia reparatur, nisi solum id, quod ex peccato incursum est; ideoq; in nulla alia re bene impēditur dolor & tristitia, nisi in hac. Omnia enim reliqua non solum non mœrore & tristitia reparantur, sed potius eo augentur & crescunt: damnum vero peccati, tristitia & dolore restauratur; ideoque nobis plangendum est.

1. Spiritualis. Idem, Aug. serm 11. ad fratres in eremo hæc oritur primo ex peccatis priis. *2. Ad Cor. 7. 9.* *Chrysostomus.*

Secundo tristitia hæc ex aliorum peccatis nascitur, quod videmus Deum offensum & spretum, & legē eius violatam. Hæc & bona tristitia est; quo ex Dei amore, & diuinæ gloriæ & salutis animarum zelo proficiscatur. Hincq; videre est sanctos illos Prophetas & magnos Dei amicos debilitatos & consumptos dolore & tristitia, dum peccata & offensiones contra diuinam eius Maiestatē aduerterent, quibus ipsi remedium adferre non poterant: *Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Tātus erat adfectus, quē ob hāc causam sentiebat Propheta Dauid, vt animi dolor corpus debilitaret, & sanguinem inficeret. *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Et vidi præuaricātes, & tabescebam, quia eloquia tua nō custodierunt.* Sanguis in corpore putrescebat, dum videret iniurias & transgressiones contra Deum factas. Et Propheta Ieremias huiusmodi & similibus plantibus gemitibusque scatet. Hanc tristitiam dicit nos valde decere, & nobis propriam esse; nam

2. Ex peccatis aliorum. *Psal. 118. 53. 139. 158.*

nam

nam instituti nostri finis est, vt Dei nomen sanctificetur & glorificetur ab vniuerso mundo, & ideo dolorum nostrorum maximus ille merito esse deberet, né id, sed contrarium accideret.

3. Ex perfectionis desiderio. Tertia tristitia hæc ex perfectionis desiderio nasci potest quod in eo cõsistit, vt tanta teneamur cupiditate in perfectione progrediẽdi, vt semper suspiremus & ploremus, quod meliores non simus & perfectiores, secũdum quod Christus in Euangelio dicit: *Matth. 5. 6.* *Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*; Et Deus desiderium eorum explebit.

4. Ex desiderio & contemplatione patriæ cælestis. Quarto solet & in seruis Dei sancta quædam oriri tristitia ex gloriæ contemplatione & cœlestium illorum bonorum desiderio, quod se ab illis exulare & ea differri videant. Vt filii Israel in exilio suo Babylonico plorabant, dum terræ promissionis recordarentur: *Psal. 136. 1.* *super flumina Babylonis, illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Deflebat & Propheta Dauid huius vitæ exilium: *Psal. 119. 5.* *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Illud; Ad te suspiramus gementes & flentes filii Euæ in hac lachrymarum valle, suspirium est, quod suauem Dei auribus harmoniam reddit.

Cassianus ponit signa bona & mala tristitiæ. Ponit Cassianus signa, vt dignoscatur, quæ bona & secundum Deum, & quæ mala & diaboli tristitia sit. Dicit priorem obedientem, affabilem, humilem, mansuetum, suauem & patientem esse; denique quandoquidem ex Dei more nascitur; in se omnes S. Spiritus fructus comprehendit, quos S. Apostolus Paulus recenset in hũc modum: *Ad Gal. 5.* *Fructus autem spiritus sunt: Charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, fides, mansuetudo, continẽtia.* Tristitia autẽ mala & diaboli, aspera, impatiens, rancoris, & inutilis amaritudinis plena est, nos ad diffidentiam inclinat & desperationem, & ab omni bono nos separat & seiungit: præterea mala hæc tristitia nullum secum solamen aut lætitiam fert. Lætitia vero bona & secundũ Deum (dicit Cassianus) *est quodam modo læta*, & secũ solatium, robur, & vigorem magnũ ad omne bonũ adducit, vt videre est discurrendo per quatuor prædicta tristitiæ genera. Dum enim quis peccata plãgit & vna ex parte tristari videtur, tamen ex altera consolationem magnam sentit. Res ipsa docet quam læti simus, & abunde satisfactum nobis sit, dum exacte & plene peccata nostra defleuimus. Et vnum eorum, ex quibus dignoscitur differentia & prærogatiua magna, quæ est inter spiritualem & seruorum Dei vitam, & eorum qui mundo famulantur, in hoc consistit, quod serui Dei maius gaudiũ & lætitiam in animo sentiant, peccatis iam deploratis, quam mundani in omnibus delectationibus & deliciis suis. Idque probans S. Augustinus perpendit, dum ait: *Augustinus.* si hoc primum sit quorum operum eorum, qui Deo seruire incipiunt, si iustorum planctus, si eorum tristitia, tantum illis delectationem adfert; quid & quantum, (credendum foret, dulcedinis illos experturos, dum Dominus illos in oratione consolabitur, & iubilos illos spirituales impartietur, quos electis impertiri solet? Quid fiet, dum omnes ex eorum oculis lachrymas absterget & siccabit: *Apo. 21. 4. 22* *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors vltra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit vltra.* Si quis ergo vt alter Ieremias, aliena semper peccata plangit; facile aduertere est, quantam ille in anima dulcedinem delectationem & satisfactionem sibi paret; nam bonorum filiorum indicium est, bonum zelum honoris paterni habere. Quid suauius & iucundius esse potest, quam semper ad perfectionẽ anhelare & suspirare, & desiderare nos inuicem in cœlesti illa patria videre? Dicit S. Augustinus: *Quid enim pulchrius, quidue dulcius quam inter tenebras huius vitæ multasque amaritudines, diuinæ dulcedini inhiare, & æternæ beatitudini suspirare, illicque teneri mente, vbi vera haberi gaudia certissimum est.*

Et hinc aduertere erit, lætitiam, quam in Dei seruis requirimus non vanam esse nec illam, quæ in risu & ociosis verbis, nec in facetiis, & lepore consistit, nec huius-

huiusmodi, vt quis omnibus obuiis loquatur; hæc enim non seruorum Dei, sed distractio, libertas, & dissolutio foret. Quod requiritur, est exterior lætitia, quæ ex interiori redundet, secundum illud sapientis: *Cor gaudens exhilarat faciem.* Vt enim spiritus tristitia sic in corpus redundat, vt non solum carnem, sed & ossa consumit & exsiccat: nam *spiritus tristis exsiccat ossa*; eodem modo interior lætitia in corpus adeo redundat, vt etiam in vultu appareat. Ideoq; de quibusdam sanctis legitur, in vultu lætitiam & hilaritatem quandam ita eluxisse, vt lætitiam & pacem interiorem animæ testaretur. Hæc est illa nobis necessaria lætitia.

Prou. 15. 13.
Prou. 17. 22.

TRACTA-

TRACTATVS SEPTIMVS.

DE THESAVRO ET MAGNIS BONIS, QVÆ IN CHRISTO HABEMVS.

Et de modo in meditandis sanctæ eius passionis mysteriis seruando, & fructum inde nobis eruendo.

CAPVT I.

De thesauro & magnis bonis, quæ in Christo habemus.

Galat. 4.4.

T vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret; vt adoptionem filiorum Dei reciperemus. Dicit S. Apostolus Paulus: Alia omnia tempora gratiæ inania fuerunt, hoc tempus ea & donis spiritualibus plenũ est, & propterea bono iure tempus legis gratiæ dicitur, hoc enim nobis hæc gratia data est, quæ est fons, principium & origo omnium gratiarum. Misit Deus filium suum hominem factum, vt nos à peccato liberaret, & à potestate & seruitute diaboli sub qua eramus redimeret. *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras*, vt nos cum Deo in gratiam reduceret, vt nos filios suos adoptiuos efficeret, vt nobis cœli portas, quas peccatum occluserat, aperiret. Post calamitosum illum primorum parentum nostrorum lapsum, quo sibi & nobis beatum iustitiæ originalis statum amiserunt, in quo à Deo creati erant, & infinitis miseriis se & posteros suos subiecerunt. *Deus fecit hominem rectum, & ipse se infinitis miscuit quæstionibus*, vnum ipsis reliquum fuit solatium, inter tot tribulatianes, quod postquam Adam peccauerat, Deus serpenti maledicens, promiserit certo se tempore vnigenitum suum daturum, quæ factus homo, & pro nobis passus, malis illis eriperet, in quæ ob peccata cecideramus. *Inimicitias ponã inter te & mulierem & semen tuum & semẽ illius, ipsa cõteret caput tuum.* Hoc promisso, valde consolati fuere, pœnitentiamque egere, & filios suos docebant, quod felicem statum, quem habuerant, amisissent ob peccatum, sed Redemptor venturus esset, cuius virtute seruarentur. Hoc promissum post Deus sæpe confirmauit,

Tempus gratiæ dicitur & est, quo filius Dei carnem assumpsit.

Ioan. 12. 31. Deus filium suum promisit & misit Saluatorem

& redemptionem mundi.

Eccl. 7. 30.

Gen. 3. 15.

præsertim iis, qui plus cæteris placuerunt vt Abraham, Iacob & Dauid, pollicens, Seruatorem ex eorum semine nasciturum. Idque tota Iudæorum religio docebat, & Prophetæ mira de hoc aduentu prædicebant, eumque multis clamoribus suspiriis & orationibus exspectabant: *Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ. Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes: Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Et in Canticis Sponsa optabat & dicebat: *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meæ: vt inueniam te foris, & deosculer te, etiam me nemo despiciat?* quandoquidem Deum fratrem habeo. Et hæc erat gentium exspectatio: *Et ipse erit exspectatio gentium.* Vt captiui redemptionem exspectabant, & hac spe alebantur, & in virtute eius, qui venturus erat peccata remittebantur, vt enim nos credimus illum venisse, sic ipsi, illum venturum credebant, & ideo nominabant eum, qui venturus est: idque illud ipsum est, quod petebatur à S. Ioanne Baptista: *Tu es qui venturus est an alium exspectamus?*

Isai.16.1. Isai.64.1. Isai.45.8. Cant.8.1. Gen.49.10. Matth.11.3.

Vbi ergo venit plenitudo temporis, dum iam hora aderat, qua Deus decreuerat magnam hanc mundo misericordiam exhibere, misit filium suum vnigenitum. Noluit Deus statim remedium mittere, vt homines magis exploratam suam haberent miseriam, & remedium efflagitarent, & pluris æstimarent, cum daretur. Frequenter non vult nobis mederi Deus, nec nos consolari, vt nostram insufficientiam agnoscamus, & quã nobis necesse sit ad Deum cõfugere, & nihil nobis adscribere. Postquam ergo decreuerat Deus nostris miseriis mederi, & venit illud tam felix & desideratum tempus, quo nullus digne & debite, lapsum illum reparare, nisi ipse Deus, poterat nec sat virium haberet homo, vt surgeret, nec quidem Angelorum vires sufficerent, vt hominem erigerent, diuinis opus erat viribus, & quia redemptor cum culpæ satisfactione faciendа erat, & hæc satisfactio pœnaria esse & passiua debebat, Deus vero in sua substantia & natura pati non poterat; inuenit diuina sapientia hoc medium & mirandam inuentionem, vt filius Dei homo fieret, & duabus naturis, diuina scilicet & humana in vnam personam vnitis, ipse hoc maximi ponderis negocium redemptionis humanæ perficeret. Inuentio sane sapientiæ & bonitatis plena, quæ Dei magnitudinem & infinitam potentiam declararet clarius quam aliquod eorum operum, quæ in mundo fecerat. Ideoque à Deo petit Propheta: *Excita potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos.* Petit vt in hoc aduentu potentiam suam demonstret, opus enim maiorum virium erat, quam in mundo Deus facere poterat. Hinc Sanctus Augustinus ait, magnum fuisse opus mundum creare, & tam perfectas creaturas, & potestatis eius signum fuit, & propterea Ecclesia canit: *Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cœli & terræ?* redemptioni tamen mundi comparata, quasi nihil est.

Incarnatio filii Dei maius opus est creatione mundi.

Psal.79.3.

Hincque est, quod Dauid creationem nominet opus digitorum Dei. *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas, quæ tu fundasti.* Psalmo octauo, versiculo quarto. Dum vero fit mentio de redemptione generis humani, vocatur opus brachii: *Fecit potentiam in brachio suo.* Quantum inter brachium & digitum interest, tantum & inter vnum & alterum onus. Et non solum hoc opus Dei potentiam & magnitudinem, sed & hominis ostendit, & quãti illum faciat, & multo pluris, quam in creatione.

Luc 1.51.

Hincque ait Ecclesia: *Deus qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, & mirabilius reformasti.* Multum dedit homini Deus eum creando, sed plus dedit redimendo. Dicit Sanctus Leo Papa; Deum hominem ad altissimũ statum extulisse, dum illum ad imaginem & similitudinem suam creauit, sed magis illum extulisse & nobilitasse, dum se, Deus non solum ad hominis imaginem & similitudinem, sed verum hominem faceret.

Leo Papa. & Aug. ser. 19. de temp.

Tanta

Plus nobis per Christum datur, quam ab adamo sit ablatum.

Tanta & tam innumera bona ex Dei incarnatione vt nos redimeret, sumus assecuti, vt & culpam Adæ mundo vtilem reputare oporteat. Sicut Ecclesia Sabbato sancto in mentis excessum rapta compuncta & Sponso suo se oblectans canit: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem! O certe necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est!* O felix malum, ex quo tantum ad homines manauit bonum! O felix infirmitas, cui tali medicina medicatum est! Plus nobis per Christum datur, quam per Adam ablatum est. Maius est redemptionis emolumentum, quam culpæ detrimentum. *Non sicut delictum, ita & donum*: Romanorum 5. versiculo 15. ait Sanctus Apostolus Paulus ponderans maiorem fuisse gratiam, quæ mundo per Christum collata, quam damnum, quod Adæ culpa illatum est. Et Sanctus Bernardus idem Sancti Pauli allegans testimonium ait: *Vehementer quidem, Dilectissimi, vir vnus & mulier vna nocuere, sed gratias Deo, per vnum nihilominus virum, & mulierem vnam* (quæ Christus & virgo sunt) *omnia restaurantur, nec sine magno fœnore gratiarum, neque enim sicut delictum, ita & donum, sed excedit damni æstimationem, beneficii magnitudo.* Innumera & ineffabilia sunt bona & thesauri maximi, quos in Christo hebemus. Dicit Sanctus Paulus, à Deo sibi hanc datam gratiam, vt gentibus prædicaret & exponeret has diuitias & inæstimabiles thesauros, dum ait: *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi.* Hac gratia nos iam indigemus. Dicebat ipse Christus Samaritannæ: *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere.* O mulier si gratia quem mundo exhibuit Deus, illudque tam excellens donum, tibi nota essent quod promiserit filium suum se daturum quam & dedit. Hoc donum doni nomine dignum est: hoc enim, omnia Dei dona comprehenduntur: *Omnia nobis cum illo donauit.* Vtinam donum hoc, & bona quę in illo recipimus, noscemus & intelligeremus! Vtinam hanc nobis auri venam aperiret, si hanc nobis fodinam ostenderet & thesaurum hunc grandem declararet, quam diuites, quam felices essemus! Hanc Sancto Augustino Deus fecerat gratiam, hincque ille dicebat: Domine, qui tibi ob creationis beneficium non seruit, infernum ille meretur, sed qui tibi ob redemptionis beneficium non seruit, nouo illo inferno opus est.

Ber. ser. 7. de B. Maria de verbis Apoc. 12. Signum magnum in initio.

Eph. 3. 8.

Ioan. 4. 10.

Leo Papa & Aug. ser. 19. de temp.

Rom. 8. 32.

Augustinus.

Narratur de patre Magistro Auila tantum hic habitum contraxisse, vt si quis aliquod sibi à Deo impensum beneficium miraretur diceret: Non hoc mirare, sed potius obstupesce & mirare quod tam te amauerit Deus vt pro te homo fieret. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, Ioannis tertio versiculo decimosexto. Nequibat Sanctus Apostolus & Euangelista Ioannes exprimere quanto altitudinis gradu Deus non amaret, sed amorem ex dono metitur. Ex summitate doni nobis collati, metiendus amor, quo nos dilexit; quantum enim donum, tantus fuit & amor. Deus ergo tantopere mundum dilexit, vt nobis filium suum vnigenitum daret, vt ille homo fieret, vtque illo moriente nos viueremus: *ô mira circa nos tua pietatis dignatio* Canit Ecclesia: *ô inæstimabilis dilectio charitatis! Vt seruum redimeres, filium tradidisti.* Quis tale quid cogitare, quis tam temerarius esse auderet, qui apud Mauros captos, vt à Rege suo peteret: Domine, mitte huc filium tuum vnicum, vt hic inter infideles hos moriatur, vt me redimat. Quod ergo non auderes eloqui, nec imaginari, nec in cogitationem tuam cadere posset, Deus pro te facit.

In Sabbato sancto.

Neque nos solum captiuitate liberauit, sed & ad filiorum Dei dignitatem extulit: nostram induit naturam, vt suæ nos participes redderet, Deus se hominem fecit, vt nos Dei filios faceret. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filii*

Christus factus est homo vt nos faceret filios Dei.

1. Ioan. 3. 1.

filii Dei meminemur & simus (dicit S. Ioannes) vtque vere Deum Patrem nominare, & Iesum Christum eius filium fratrem possimus. Ideoque ait S. Paulus non dedignatur nos vt fratres habere, & nominare. *Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens. Nunciabo nomen tuum fratribus meis.* Sed potius videtur ille gloriari, & sæpius hac voce vtitur, & pleno ore fratres nos nominat. Quid ergo amplius exoptandum ei, qui Deum patrem & Iesum Christũ fratrem habet, in quorum manib. omnis potestas in cœlo & terra est: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra?* Dum fratres Ioseph videbant eum in Ægypto in summo dignitatis gradu collocatum, & toti Ægypto dominantem, & Pharaonem omnia regni negocia per ipsum expedientem, dum dicerent: *Ite ad Ioseph* postquam Ioseph eos eo metu, quo ab eis sibi illatam iniuriam correpti erant, liberasset, & necessaria quæque offerret, & diceret: *Nolite timere, ego pascam vos*; quam læti & hilares erant? Omnes ad se accedere voluit, currus dedit, quibus bona sua adueherent: *Venite ad me, & ego dabo vobis omnia bona Ægypti.* Genes. 45. versiculo 18. Idem & nobis facit Christus Seruator noster, qui frater noster est, & nos amat plus, quam Ioseph fratres suos, omnes nos secum ducere vult. *Pater quos dedisti mihi, volo & vbi sum ego, & illi sint mecum,* Ioannis 17. versiculo 24. Dicit ipse apud Sanctum Ioannem. Currus dat, vt eo veniamus, quæ tot Sacramenta & lautia sunt, vt eo perueniamus.

Heb. 2. 8. & 12.

Mat. 28. 18.

Gen. 41. 55.

Christus & noster redemtor est & mediator apud Deum.

Sin transgressiones & peccata, quæ in illum commisisti, se offerat, cum illa propter pœnitentiam oblitus est. Idque non sufficit, sed præterea mediator noster est & intercessor apud Deum Patrem, vt misericordiam & veniam impetret. Hocque ipso nos confirmat Sanctus Apostolus & Euangelista Ioannes: *Filioli hæc scribo, vt non peccetis, sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum*, 1. Ioannis 2. versiculo 1. Et Sanctus Apostolus Paulus dicit, ideo Christum cœlos ascendisse, vt officio aduocati & patroni pro nobis fungatur ante Patris tribunali. *Vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Hebræorum 9. versiculo 4. Affirmat S. Bernardus eum in cœlo Patri cœlesti vulnera monstrare & exhibere dicens, illa se nostri causa eiusque mandato accepisse, ne permittat perdi, quod tam caro emptum est. Vti sanctissima Angelorum Regina benedicto filio suo ostendit vbera, quæ suxit, pro nobis intercedens; sic & filius vulnera cœlesti Patri, quæ pro nobis accepit, ostendit. Hancq; dicunt Sancti causam esse, quod post gloriosam resurrectionem voluerit eorundem signa & foramina superesse.

Bernardus.

Refert Sacra Scriptura post mortem Iacob fratres Ioseph adiisse, verentes ne iniurias sibi illatas, quas viuente patre non vltus erat, vlcisceretur, & dixisse: Pater noster mortis suæ tempore nullum filiis maius optabat bonum, quam vt frater iniurias sibi illatas obliuiscatur & ignoscat, & *Nos quoque oramus vt seruo Dei patri tuo dimittas iniquitatem hanc.* Bene notandum: iniurias patri non fuisse illatas, sed paternus amor filiorum delicta, sua facit. Eodem modo & Christus Seruator noster, magno illo erga nos amore scelera & peccata nostra, sua facit, quandoquidem illa in se suscepit, & nobis fideiussor factus est. *Posuit Deus in eo iniquitatem omnium nostrum. Et iniquitates eorum ipse portabit.* Esaiæ 53. versiculo 6. & 11. Dicit Isaias. Eamus ergo & nos eadem cum legatione & petitione ad æternum Patrem, & dicamus ei: Pater æterne, dimitte filio tuo Iesu Christo hæc mea peccata, nihil illi hora mortis magis commendatum fuit. *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Quis ergo iam de venia desperet? *Habemus sanguinis adspersionem melius loquentem quam Abel.* Dicit Apostolus Paulus. Habemus Christi sanguinem, qui pro nobis clamat melius, quam sanguis Abel, hic enim clamat & vindictam petit; sanguis vero Christi misericordiam clamat illis, pro quibus effusus

Gen. 50. 15.

Luc. 23. 34.

Heb. 12. 24.

sus est, & qui effunderunt. Dum ergo peccatorum & miseriarum tuarum multitudinem & copiam diabolus tibi ob oculos ponit, vt te ad desperationem & diffidentiam redigat; tu oculos in Christum dirige, & imaginare, illum te manu ad Patrem ducere, & pro te respondere & loqui, vt aduocatum & patronum, & confusionem verecundiamque tuam suis meritis & officiis Patri exhibitis tegere, & velare. Hoc modo nouum rursus animum recipies, & diffidentia in spem vertetur, & tristitia in lætitiam, ipse enim nostra est iustitia, sanctificatio & redemptio, vt Sanctus Apostolus ait: 1. ad Corint. 1. vers. 30. *Qui factus est nobis iustitia & sanctificatio & redemptio.*

Ambr. l. 3. de virginit. *Omnia habemus in Christo, & omnia nobis Christus est.*

Sanctus Ambrosius inquit: *Omnia igitur habemus in Christo, & omnia Christus est nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est. Si febribus æstuas; fons est. Si grauaris iniquitate; iustitia est. Si auxilio indiges; virtus est. Si mortem times; vita est. Si cœlum desideras; via est. Si tenebras fugis; lux est. Si cibum quæris; alimentum est.*

Ambr. l. 6. Hexameron c. 4.

Quodcunq; desiderare potes, & quocunque indiges; in illo inuenies. Et alibi dicit: *Si in te surrexerit lupus; petram cape, & fugit: petra tua Christus est: si ad Christum confugias, fugit lupus, nec terrere te poterit. Hanc petram quæsiuit Petrus; cum titubaret in fluctibus, & inuenit, quod quæsiuit, quia dexteram amplexus est Christi,* & à periculo liberatus est.

Hieronymus. Ad Ehpes. 6. 10.

Sanctus Hieronymus in illud Pauli: *De cætero fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli*; dicit ex eo quod sequitur, & ex omni eo, quod in Sacra Scriptura de CHRISTO Seruatore nostro legitur, manifesto colligi, arma omnia, quibus nos Apostolus iubet indui, esse Christum Seruatorem nostrum: quasi diceret Induite IESVM CHRISTVM. Et probat, quomodo Christus lorica, galea, thorax, scutum, & anceps noster gladius est, & framea *vtraque parte acuta*: & omnia reliqua arma. Apocal. 1. v. 16. & cap. 2. v. 12.

Hinc arma nobis induenda, quibus nos armare debemus, vt omnibus tentationibus diaboli resistamus, & contra eius fraudes & insidias nos muniamus, & victoria potiamur; sunt Christi virtus; sic, vt Christus nobis omnia sit, & omnia in illo habeamus. Vtque illud euidentius intelligamus; Sacra Scriptura innumera illi nomina dat: cuiusmodi sunt: Rex, Magister, Pastor, Sacerdos, Medicus, Amicus, Pater, Frater, Sponsus, Lux, Vita, Fons, & alia similia. Sicut enim *in illo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi* (vt ait Sanctus Apostolus Paulus) eodem modo & nostri thesauri & diuitiæ in illo sunt reconditi, in ipso enim omne nostrum bonum & remedium constitutum est, & si opera nostra alicuius sint meriti, ex ipso est, ipsiusque sanguine tincta, valorem habent. Vt S. Iohanni in Apocalypsi dictum est, omnem illam multitudinem, quam ante thronum DEI videbat, albis & fulgidis vestibus indutam, & habentem palmas in manibus; illos fuisse, qui *vestes suas lauerunt & dealbauerunt in sanguine Agni.* Omnia bona nostra, sunt vt partes & reliquæ quædam diuitiarum Christi. Quæcunque nobis adueniunt bona per illum veniunt, & eius merita. Per illum à tentationibus & periculis eripimur, per illum omnes virtutes consequimur, denique omnia in Christo habemus, & per CHRISTVM omnia nobis impetranda sunt.

Ad Coloss. 2. 3. *Apocal. 7. 14.*

Ideoque Ecclesia omnes orationes & petitiones claudit & finit, dicens: *Per Dominum nostrum Iesum Christum*, secundum illud Prophetæ: *Protector noster adspice Deus, & respice in faciem Christi tui.* Ignosce peccatis nostris per amorem, quo illum prosequeris, quandoquidem pro iisdem in cruce mortuus est. Conuerte oculos in vulnera, quæ pro nobis accepit, & nostri miserere. Si Abraham, Iacob & Dauid tantum seruitio suo efficere potue-

Psal. 83. 10.

potuerunt in Dei præsentia, vt illum placarent, & manum teneret, ne populum castigaret; idque non solum impetrarint, sed & vt eorundem intuitu & causa, multis eundem beneficijs & gratiis afficeret, vt videre est, Deum multis locis dixisse & declarasse: *Propter seruum meum Iacob & Israel electum meum, & propter Dauid seruum meum.* Quanto plus Pater æternus propter IESVM CHRISTVM filium suum faciet, in quo sibi complacuit, vt ipsemet his verbis testatur: *In quo mihi bene complacui.* Hinc ait Sanctus Apostolus Paulus: *Gratificauit nos in dilecto filio suo.* Et ipse Christus dicit & affirmat, quod quodcunque Patrem in eius nomine petemus, se facturum, nam ait: *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo; hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio.*

Esaia. 45. 4. & 4. Reg. 19. 34. — *Matth. 17. 5.* — *Ad Eph. 1. 9.* — *Ioann. 14. 13.*

Quanto iure Angelus ad Pastores aiebat ipso natiuitatis Christi die, & per illos ad nos: *Ecce enim euangelizo, vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus.* Et non vnum hoc, sed multa gaudia & bona sunt. Mouet hic Origenes quæstiones, quare loquente Esaia in singulari: *Annunciantis bonum*; Sanctus Paulus hunc locum allegans in plurali dicat: *Euangelizantium bona*; respondet Christum non vnum solum, sed omnia bona esse. Ipse salus nostra, vita nostra, resurrexio nostra, lux mundi, veritas, via porta cœli, sapientia, potestas & omnium bonorum thesaurus est, pro nobis natus, pro nobis mortuus est, vt viuamus, pro nobis resurrexit, vt resurgamus, pro nobis cœlum ascendit: dixit enim: *Vado parare vobis locum. Et expedit vobis, vt ego vadam.* Et inde S. nobis misit Spiritum. *Dedit dona hominibus.* Et à Patris dextera, vbi sedet, continuos nobis fauores & gratias mittit.

Luca 10. — *Esaia 52. 7. Ad Rom. 10. 15.* — *Christus omnia nostra causa facit.* — *Ioann. 14. 2. Ioan. 16. 7. Ad Eph. 4. 4.*

Inquit S. Cyprianus, & hanc causam fuisse, quod vulnerum loca cicatricibus abducta non fuerint, sed aperta manserint, vt demonstraret foramina hæc, quasi fontes gratiis & thesauris fluentes manasse & continuo maxima cum liberalitate fluere & manare, vt siccari non possint. *Manus eius carnatiles, aureæ, plenæ, hyacinthis.* Aureas manus & lapidibus pretiosis plenas habet, & quia perforatæ, manant ex foraminib. dona. Concludamus ergo eo, quo Sanct. Apostolus Paulus modo concludit: *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, Iesum Filium Dei, qui sedet vt mediator & intercessor ad Patris dexteram, & ei æqualis est: Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio oportuno.*

Cyprianus. — *Cant. 5. 14.* — *Ad Hebr. 4. 14. & 16.*

De S. Bernar. in eius vita legito, quod in quadam ægritudine quam habuit, raptus sit in extasin, & videbatur sibi ante Dei tribunal duci, & se ibi à diabolo accusari, & dici, quod gloriam non mereretur. Cui Sanctus respondit: Fateor me gloria indignum esse, sed Domino meo IESV CHRISTO illa debetur, & duplici ille titulo cœlos possidet; priore, quod vnigenitus Patris æterni sit, posteriore, quod illos sanguine suo mercatus sit, Patri obedidiendo vsque ad mortem. Ipse priores horum duorum titulorum contentus est, & posteriores mihi donauit, cuius virtute ius meum in cœlos vendico, & in hoc confido. Hoc responso Diabolus confusus est, & iudicij forma & tribunal euanuit, & Sanctus ad se rediit.

Bernardus.

Huic ergo nobis confidendum est, & omnis eo spes dirigenda. Iacob & maioris natus fratris veste indutus benedictionem à patre obtinuit, vestiamus & nos IESVM CHRISTVM fratrem nostrum maiorem, tegamus nos pellibus agni immaculati, ipsius meritis & passione nos muniamus, hocque modo æterni Patris benedictionem consequemur.

Gen. 27.

***

CAP.

CAPVT II.

Quam vtilis & Deo grata sit Paßionis Christi Seruatoris nostri meditatio.

Aug. ser. 23. ad fratres in eremo.
Paßionis Christi meditatio est vtilis.
Bern. serm. 62. super Cantica.

S. Augustinus inquit: *Nihil tam salutiferum nobis est, quam quotidie cogitare, quanta pro nobis pertulit Deus & homo.* Et Sanctus Bernardus dicit, nihil esse efficacius ad conscientiæ nostræ vulneribus medendum, & animam purgandam & perficiendam, quam frequens & continua Christi vulnerum, passionis mortisque eius meditatio. *Quid enim tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, necnon ad purgandam mentis aciem, quam Christi vulnerum sedula cogitatio.* Et contra quascunque tentationes, præsertim inhonestas, dicunt Sancti nullum præstantius, remedium reperiri, quam passionem CHRISTI cogitatione, & in eius vulneribus nos abscondere. Dicit S. Augustinus: *In omnibus non inueni tam efficax remedium, quam vulnera Christi*: Et S. Bonauentura ait: *Qui se intente & deuote in sanctissima vita & passione DOMINI exercet, omnia vtilia & necessaria ibi inuenit, nec opus est, vt extra IESVM aliquid quærat.* Hanc ob causam videre est Sanctos hoc exercitio præsertim vsos fuisse, eoque magnam sanctitatem, & perfectionem parasse.

Aug. in manuali c. 32.
Bonau. collat. 7.

Quantumuis hoc in exercitio aliud nō subesset, quam nos Dei recordari, & in memoriam reuocare beneficia, quæ à munifica eius manu recepimus, , hæc nihilominus cogitare, magni sane precii & valoris esset apud DEVM. Nam vna conditionum amoris est, curare, vt ille, quem amore prosequitur, eius sæpe meminerit & cogitet beneficia, quæ ab illo recepit, & vt frequenter de iisdem agat & loquatur. Quique vere amat, his delectatur magis & gratius est, quam si qui amatur, multa ei dona & munera mitteret.

Simile.

Vt patet in matre aliqua nobili domina & diuite, quæ valde absentem filium diligit; si illi dicitur filium de illa frequenter agere & loqui, & fere semper de deliciis, quibus illum educabat, aliisque beneficiis audiri loqui, similiter de laboribus & doloribus, quos eius causa perpessa est: gratius illi est, & pluris facit, quam si nullum eius memoriam habentem filium contingeret illi multa serica, & aurea monilia mittere.

Eodem modo & DEVS, qui omnibus aliis in rebus amoris proprietates & leges obseruauit, & hic eas non neglexit, quod proprietas eorum sit, qui feruenter amant. Hincque est, quod valde expetat, & magni faciat nos eius vsque memores esse, & de eo beneficiis, mirisque operibus, quæ nostra causa fecit, meminisse. Huc accedit, si nos frequenti horum beneficiorum memoria exerceamus; non multum temporis elapsurum, quin in nobis sincere DEO, in eorundem compensationem seruiendi, desiderium nascatur.

Blos. c. 2. monil. spiritual.
S. Gertrudis reuelatio.

Refert Blosius de sancta Virgine Gertrude, illi à Deo esse reuelatum, quod quoties quis cum deuotione Iesu Christi Crucifixi imaginem adspexerit, toties eundem blande à diuina misericordia adspici. Eruamus ergo hinc, quandoquidem ipsi graue, & molestum non fuit nostri amore pati; ne nobis quoque graue sit eius, quod ipse pro nobis pertulit, recordari.

p. 6. l. 1. c. 86. Chron. S. Francisci.
S. Francisco memoriæ passionis Christi elicit lacrymas.

De Sancto Francisco legitur, quod prope Sanctam Mariam de Portiuncula transiens alta voce plorauerit & conquestus sit: Quod quidam vir grauis & Dei famulus illac proficiscens, cui ille notus erat, audiens, & illum tam tristem & lachrymis obrutum videns, & putans aliquid infortunii accidisse, illum accessit, & interrogauit, quid esset & accidisset, quod illum male haberet?

Sanctus multus cum lachrymis & suspiriis respondit: Me multum affligit, & defleo magna tormenta & cruciatus, quos DOMINVS meus IESVS CHRISTVS sine vlla culpa passus est, & deploro nos homines summi beneficii tam esse oblitos, cum tamen passionis eius causa simus.

CAPVT III.

De modo in Christi Seruatoris nostri passionis meditatione obseruando, & de compassionis affectu inde eruendo.

Modus meditandi Christi passionem.

MOdus in Christi passionis meditatione seruandus, ille fere est, quem Sancti & spiritualis vitæ Magistri docent in oratione obseruari oportere. In qua monent totum tempus non discurrendo per totam historiam & meditando consumendum, sed voluntatem, præsertim affectibus, & desideriis mouendam esse: quæ prius in animo formantur, vt postea in actum deducantur, & huic potissimum in oratione insistendum & immorandum, vt enim ille, qui fodit, vt aquam quærat, vel thesaurum inueniat, subsistit, neq; tunc amplius fodit, vbi id, quod quærit, inuenerit; eodem modo auro & veritatis thesauro & affectus, quem quæris, meditatione & intellectus consideratione reperto; aquaque viua, quam anima tua petit & sitit, effossa, non altius intellectu fodiendum, neque penetrandum; sed in his voluntatis affectibus & desideriis subsistendum, donec hac aqua te satiaris & sitim expleueris, & tibi satisfeceris. Hic enim finis est, qui in oratione quæritur, & fructus, qui eruitur; ideoque ad hanc omnes meditationes, considerationes, & intellectus discursus dirigendi sunt.

Simile.

Idem ergo hic modus in Christi Seruatoris nostri passionis meditatione seruandus. Et hinc in medium adferemus adfectus ex meditatione eruendos, & quibus insistendum sit, annotantes aliquas considerationes, quæ hos in nobis gignant & excitent.

Affectus in meditatione excitandi, sunt septem.

Multi sunt affectus, quibus magno cum fructu nobis insistere & immorari licet, qui tamen ab illis, qui hæc tractant, ad septem adfectuum genera reducuntur.

Affectus est compassio.

Primus est compassio: Aliquam alicui compati, & affligi ob eius afflictionem, & dolorem ex eius dolore capere, illum in tribulationibus, sensu & cordis lachrymis, comitari, quo videtur cruciatus & dolor vtrique participari, & eo ipso, quod in me recipio, videtur alter leuari, & eius dolor & afflictio minui. Vt contra, dum quis ostendit se, alterius malo & infortunio gaudere, irridet, illique illudit; eiusdem cruciatum, & dolorem auget, & plus ab altero sentitur.

Et licet verum sit, nos hoc modo facere non posse, vt Christi dolores & cruciatus mitigentur, quod iam transierint, tamen illi nostra hæc compassio gratissima est, quod ea certa quadam ratione, ipsius dolores & cruciatus, nostros faciamus. Hinc est, quod dicat Sanctus Apostolus Paulus: ad Roman. 8. v. 17. *Si autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Si sumamus, & in nos transferamus CHRISTI dolores, iisdem condolendo, simul & gloriæ hæredes cū illo erimus.

Compassio excitatur consideratione magnitudinis tormentorum Christi.

Ad hunc compassionis adfectum excitandum, multum conduxerit dolorum, cruciatuum, & tormentorum, quæ CHRISTVS passus est, magnitudinem considerare, quod, vt aiunt Theologi & Sancti, maxima fuerunt, quæ quis in hac vita fuerit passus, vel pati potuerit, secundum illud Ieremiæ dictum: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus.*

Thren. 1. 12.

Primum,

Hæc magnitudo colligitur.

1. Corporis doloribus. Esai.1.6.

Primum, nulla eius corporis pars fuit, quæ non grauissimos dolores & cruciatus pateretur. *A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Manus & pedes clauis perfossi, caput corona spinea confixum, facies sputis fœdata, corpus flagris laceratum, & crucis tormento extensum. *Dinumerauerunt omnia ossa mea.* *Psal.12.18.*

2. Ex animæ doloribus.

Nec solum in corpore stetit dolor, sed & in animam redundauit, licet enim natura humana diuinæ personæ vnita fuerit; tamen sensit & passionis amaritudinem, quasi vnio illa non fuisset. His accedit, quod omni solatio carere voluerit, quo dolor ille maior esset.

3. Ex carentia omnis solatii.

Idque erat, quod in cruce dixerit: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Matth. 27. vers. 46. Martyres in suis tormentis cœlesti & diuino solatio fruebantur, quod illos non fortiter solum, sed & hilariter tormenta pati faciebat. Christus vero Redemptor noster, vt plus nostri amore pateretur, vndique consolationi, & dolorum mitigationi aditum præsepsit, tam quæ cœlo, quam quæ terra adferri poterat, quantum ad inferiorem partem attinet. Ideoque non solum à discipulis, sed & à patre derelictus fuit. *Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber*, quamuis morte & pœna non dignus, quod liber à peccato essem. *Psal.87.5.*

4. Ex sudore sanguineo.

Ad CHRISTI dolorum magnitudinem intelligendam, sufficit, quod ipse tantum de iisdem cogitans, sanguinem in horto sudaverit, tantaque id abundantia, vt in terram fluxerit; quid ergo futurum erat in passione, si sola cogitatio tantum doloris & cruciatus attulerit.

5. Ex miraculosa dolorum tolerantia.

Denique tanti eius fuere dolores & tormenta, vt sancti dicant, quod nullus inter illa sine miraculo viuere posset, quo vitam seruaret: ideoque necessarium fuisse Christo diuinitatem hic auxilio accersere, ne inter illa moreretur. Quod vero illic diuinitas operabatur, nõ erat, ne dolores sentiret, sed ne nimius dolor & cruciatus illi mortem inferret, vt tanto plus pati posset. Vnde Dei misericordiam & liberalitatem considerare & ponderare licet, qui miracula faciebat, vt sancti Martyres tormenta non sentirent, & in se eadem operabatur, vt plus pateretur, & plus nostri amore sentiret.

Interiorum dolorum fontes varii.

Præter exteriores hos dolores, qui corpus excruciabant, etiam vt ante diximus, alii interiores dolores, immediate sanctissimam eius animam affligebant; quia prioribus maiores fuerunt. Ab ipso enim conceptionis momento semper ei obuersabantur & præsentes habebat hominum errores & peccata, ab orbis exordio admissa, & omnia ad mundi vsque finem committenda. Et quia vna ex parte tam Deum amabat, & iniurias & offensiones suas esse videbat, altera ex parte tam animas diligebat, & eis eadem peccata damno & perditioni esse & quod quantumuis ille mortem & passionem, vt illis succurreret, lubens offerret; tamen tam innumeræ erant futuræ animæ, quæ eandem in commodum suum non verterent, sed potius mortem vitæ præponerent; erat ei hoc vt gladius anceps, illum vtrinque vulnerans partim ob Dei offensionem, partim ob animarum perditionem & condemnationem.

Hinc constat nec dici nec quidem cogitari posse incomparabiles illos dolores, quibus sanctissima illa anima affligebatur. Quæ omnia tormentis, doloribus & iniuriis connexa & in oratione, quam in horto habebat, illi ante oculos posita, sanguineum sudorem expresserunt, tanta copia, vt in terram deflueret.

Quicquid præterea tota vita passus est, semper oculis eius obuersabatur ab ipso conceptionis puncto, vsq; in illud momentum, quo in cruce exspirauit, secundum illud Prophetæ, Psalm 37. vers. 18. *Et dolor meus in conspectu meo semper.* Vnde intelligi potest totam Christi vitam fuisse continuum passionis diem. Et sæpius

pius maius tormentum, & dolor esse solet, aduersitatem & cruciatum exspectare, quam pati. Sic vt tota eius vita immensorum dolorum mare fuerit, qui noctu & interdiu sine mensura aliqua sanctissimam illam animam affligebant.

Quicunque ergo hæc speciatim & per singulas partes attendet & examinabit, quodque qui patitur, Dei filius sit, & pro nobis hæc patitur, & puro puto nostri amore, si ad compassionem non moueatur, saxo durius cor sit illi necesse est.

Bern. ser. fer. 4. hebdom. sanctæ Mat. 27. 45. & 51.

Hinc ait Sanctus Bernardus, quandoquidem terra tremuit, petræ scissæ sunt, monumenta aperta, velum templi scissum, & Sol & Luna obscurantur; etiam æquum esse, vt & nos iis condoleamus, quæ Dominus pro nobis patitur. Non fas nos petris duriores esse, & creaturis rationis expertibus insensibiliores: dolore ergo cor nostrum scindatur, & viscera diuidantur. *Fili mi Absolon, Absolon fili mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te? Absolon fili mi, Fili mi Absolon*, dicebat Rex Dauid, 2. Reg. 8. vers. 33. Si ille filii mortem plangens, qui tamen eum persequebatur, & regno exuere volebat; talia proferebat; quanto magis nos huiusmodi conuenit, filii DEI mortem plangentes, qui ideo mortuus est, vt nos captiuos redimeret, & Patris æterni regno donaret.

CAPVT IV.

De doloris affectu, & peccatorum nostrorum contritione, quæ ex Domini nostri Iesu Christi passionis meditatione eruenda.

2. Affectus est Dolor de peccatis.

SEcundus affectus, quo nos exercere, & ex Christi passionis meditatione erui oportet, est dolor & peccatorum nostrorũ contritio. Hic est maxime proprius fructus, quem inde habere possumus, & vt nobis de grauitate & malitia peccati constet: & remedii consideratio oculos nobis aperire debet, vt magnitudinem infirmitatis agnoscamus. Dicit Sanctus Bernardus: *Agnosce ô homo, quam grauia sint vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari*: grauitatem vulneris intellige, quod tam preciosa medicina egebat. Nihil tam peccati grauitatem indicat, quamuis infernus ei æternum debitus adiungatur, quam quod tantum malum, peccatum sit, vt necesse fuerit Deum hominem fieri, vt huic debito fieret satis; alio enim modo secundum iustitiæ rigorem satisfieri nequibat, nam Dei iustitiæ damnum & detrimentum inferebatur.

Bern. ser. 3. de Natiuitate.

Offensio enim certo quodammodo infinita erat, quod contra infinitum Deum commissa esset, vnde purus homo illi satisfacere non poterat, ob magnum quod inter DEVM & purum hominem discrimen est. Necesse idcirco erat, vt ille, qui pro eadem satisfacturus erat, infinitæ dignitatis homo esset, ei æqualis, qui iniuriam passus & offensus erat, & illi in bonitate respondens.

Simile.

Hoc Theologi quodam exemplo declarant. Si quis bubulcus vel rusticus, vilis vel plebeius homo fuste Regem pulset, vel colaphum impingat; certum est Regem non crediturum sibi satisfactum esse, si illum vilem homuncionem similiter curet fuste pulsari, aut colaphum infringi, vel etiam ex patibulo suspendi, ducenta vel plura verbera dari, quod tantum inter Regem & illum discriminis sit, quid enim colaphus & iniuria Regi illata cum rustici colapho & morte comparationis habet? Qui ergo Regi satisfieri poterit? Scis qui? Si ille fieret, vel factus esset tantus Rex, quantus ipse est, tunc enim æqualis esset satisfactio, qua Rex contentus esset. Idem & hic contingit: vilis & abiectus homo, puluis & cinis offenderat & iniuria affecerat cœli & gloriæ Regem, impegerat (vt ita dicam) Deo colaphum, hoc enim, quantum

tum in se est, facit, qui mortale peccatum committit, quamuis vilis & abiectus hic homo moriatur, nō satis fit iniuriæ. Qua ergo ratione satisfiet? Si hic homo Deus esset, ei, cui illata est iniuria, æqualis, & hic homo pateretur iniurię; fit satis. quod ergo remedium, cum alius Deus non sit, quam vnus solus? Hæc Dei infinita misericordia & mira inuentio & artificium fuit, quod excogitauit, vt homini ignosceret fine iustitiæ suæ detrimento: quod quamuis ipse offensus, & alius Deus non esset, qui satisfacere posset; se hominem Deus fecit, vt pateretur & moriretur homo, quandoquidem homo Deum offenderat & iniuria affecerat, vtque infiniti valoris esset passionis opus, quandoquidem offensio, & culpa certo quodam modo infinita fuerit; vtque ille, qui patitur, etiam Deus esset, cuius infiniti valoris sunt opera, quod Dei infiniti opera sint. Hæc passionis Dominicæ necessitas fuit, quæ peccati grauitatem & malitiam liquido demonstrat. Hincque ait Sanctus Iohannes Damascenus, quod quamuis Deus quotquot à mundi exordio homines fuerunt, eruntque vsque ad eiusdem finem, ob peccatum in infernum præcipitet; non tam diuinæ iustitiæ satisfactum iri, quam Dei incarnatione, & morte satisfactum fuit. Estque hoc non aliqua hyperbole aut eminens superiectio, sed ipsissima veritas. Totus enim infernus, & eius æternum duratura tormenta non sunt satisfactio æqualis CHRISTI vitæ & morti, qua ille (quoniam satisfaciens DEVS erat) diuinæ iustitiæ integre satisfecit, & debitum soluit, imo plus; in inferno enim nunquam pro vno solo peccato satisfit.

Bern. ser. 3. de Natiuitate.

Ioan. Damascen. l. 1. c. 5.

Simile.

Secundum hoc ergo, dico vnum fructuum præcipuorum ex passionis meditatione colligendum esse, multum peccata nostra plorare & odio habere, quandoquidem tanti Christo constiterunt. Harum spinarum & flagrorum, Domine, peccata mea causa sunt. *Ego sum, qui peccaui, ego inique egi, vertatur, obsecro, manus tua contra me. Tollite me, & mittite me in mare, scio enim ego, quoniam propter me tempestas hæc grandis venit.* Ionæ 1. 12. Hanc ego DOMINE crucem merui, ego conspui, flagellari, & illudi debebam.

2. Reg. 24. 17.

Sanctus Bernardus huic proposito accommodam adfert considerationem. Ludebam ego in foro cum collegis, & in Regio tribunali mortis sententia in me ferebatur: quam vnigenitus Regis filius audiens, coronam ex capite deposuit, & vestes regias abiecit, & foras venit sacco indutus, cinere conspersus caput, pedibus nudis, plangens & plorans seruum suum morte damnatum. Video illum repente tali modo exeuntem, rei nouitate obstupefactus, causam interrogo, audio ire, vt pro me moriatur. Quid me hoc casu facere conuenit? Quis tam fatuus & inhumanus erit, vt ad lusum redeat, & illum non comitetur, nec cum illo ploret? His ergo & similibus considerationibus in oratione occupandi, flentes & plorantes nostra peccata, quæ passionis CHRISTI causa fuerunt. Hinc B. Pater N. in passionis exercitiis pro petitione, dolore, sensu & confusione ponit. Quare tanta pro peccatis meus DOMINVS passus est? Et petitio, quam B. Pater loco proœmii ponit, semper est, quod vult nos inde colligere.

Ignat. l. exerc. spirit.

Valde à Sanctis hoc exercitium commendatur, ideo æquum, nos id non obliuisci, sed eo vti & exerceri, tam qui incipimus, quam qui progredimur, quod magno commodo fit.

Ex hoc exercitio nascitur humilitas.

Primo hoc exercitio, quiuis se recte in humilitate, & DEI timore conseruat. Fortissima enim & efficacissima considerationum, quæ adferri possunt, ad nos humiliandos & confundendos, est peccatorum consideratio, & eorundem dolor & contritio. Qui Deum, Creatorem & Dominum suum offendit, & æternum inferno addici merebatur, quas cōtumelias, quas iniurias, quas cōtemptus non æqui bonique consulet, in criminū, quæ

quæ contra diuinam Maiestatem commisit, compensationem, & satisfactionem?

2. *Securitas de venia.* Secundo hoc exercitium satis nos securos de venia reddit. Nihil enim cuiquam plus satisfacere potest, & certiorem reddere, quod Deus iam peccata dimiserit, quam quod eadem planxerit & miserit, quam quod contritus sit. Si peccata oculis subiicis, & de eis doles & confunderis; non illa adspiciet, sed obliuiscetur, hinc Sancti tam peccata in mentem reuocabant, & ob oculos ponebant: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meũ contra me est semper. Id est, coram me:* Dicebat Propheta, Psalm 50.5.11. vt DEVS illa obliuisceretur, & oculos ab illis auerteret. *Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* Ideoq; notat Sanctus Hieronymus in verba eadem. *Hieronymus.* *Quia si tu ponis illud ante te, Deus illud non ponit ante se.* Nihil tam oculos DEI, à peccatis nostris auertit, quam si nos illa intueamur, & iis confundamur & erubescamus. Ideoque hoc vnum eorum est quod nos certiores reddet, & delectabit in hora mortis: idcirco nos ante, hoc in eo exerceri expedit.

3. *Antidodum pro futuris peccatis.* Tertio, non tantum remedium est præteritorum criminum, sed & antidotum, ne post in peccata labamur. Qui enim continue se confundit, & dolet se Deum confundisse procul abest, vt iterum & de nouo peccet.

4. *Solatium in tentationibus.* Quarto efficax remedium est, vt quis possit se consolari & confirmare, qui tentationibus non consensit, quibus infestatur. Nam qui contritionis se actibus exercet, & peccatum odio habet, proponens potius mori, quam vnum lethale peccatum admittere; certior esse potest se tentationibus & scrupulis aduenientibus non consensisse, nam quis ei, quod tanto odio prosequitur, tam facile assensum dat?

5. *Amor Deo.* Præterea hoc exercitio se exercere, est amoris diuini exercitio exerceri. Genuina enim & vera contritio ex Dei amore nascitur, quod illum offenderit, qui tam bonus, & amore dignus sit, ideoque quanto magis quis DEVM nouit & amat; tanto magis dolet se illum offendisse.

Sanctus Clemens refert de Sancto Petro, quod recordatus se Christum negasse, tantæ à tot ille ex oculis lachrymæ fluxerint, vt faciem adusserint, & quasi canales fecerint. Dicitque, illum noctu, primo galli cantu surgere solitum fuisse ad orationem, & nunquam deinceps illa nocte dormiuisse, & tota vita hãc consuetudinem obseruasse. Quod & nobis esset imitandum, & vtilissimum, quod quis in oratione, & extra eandem, facere potest exercitium, est actus contritione exhibere, odio habendo & detestando peccatum, firmiter proponendo malle se millies mori, quam vnum mortale peccatum committere, à Deo petendo, vt potius illum ex hac vita decedere faciat, quam tale quid permittat. *Ne permittas me separari à te.* Ad quid enim vitam opto, nisi vt tibi seruiam? si tibi non seruiam; vitam nolo, aufer eam potius, quam te offendam. *Clemens li. 2. Recognitionum.*

CAPVT V.

De diuini amoris affectu.

TErtius affectus, quo nos exerceri, quemque ex passionis mysteriorum meditatione colligere conuenit, est Dei amor. Nihil tam amandum mouet, quam si quis se amari sentiat, nec vlla vincula, nec compedes tam fortiter, manus & pedes constringunt. Anima ergo exacte Summum CHRISTI amorem qui hic tam elucescit considerans, & attente perpendens; necessario amore eius, qui tam eam amauit inceditur & inflammatur. Ait Sanctus Apostolus & Euangelista Iohannes. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum.* Et S. Euangelista Lucas nominat amoris exces- *3. Affectus est amor Dei.* *1. Ioan. 4. 9.*

excessum, quod tantus ille esset. Quando coram tribus suis discipulis transfiguratus est CHRISTVS, dicit, illic apparuisse Eliam & Moysen, & locutos cum illo fuisse de excessu, quem consummaturus erat in Ierusalem, qui erat passionis, & mortis excessus. *Et loquebantur cum illo, & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.* Merito amoris excessus dicitur, primo, quia pro inimicis mortuus est. Magnus sane amor est, vt quis vitam det pro amicis, imo tantus, vt Seruator mundi dicat, maiorèm amorem non esse, quem quis possit exhibere: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Longius adhuc filii Dei amor processit, nam & pro inimicis animam dedit.

Luc.9.30.

Passio Christi dicitur Excessus amoris.

Ioan.15.13.

Idcirco ait Sanctus Apostolus Paulus, quod hic valde amorem suum patefecerit Deus: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.*

Ad Rom.5.8.

Secundo amoris excessus dicitur; vna enim sanguinis gutta earum, quas pro nobis effudit in circumcisione, & sudoris in horto, & minimum nostræ redemptionis opus, sufficiebat, & iustissima totius iustitiæ rigoris, satisfactio toti mundo, imo mille mundis erat (vt sancti dicunt) quod infiniti valoris opus esset, vtpote ab infinito Deo profectum. Hac vero infinita illa bonitas & misericordia contenta non fuit, sed omnem nobis sanguinem, & vitam donare voluit.

S. Apostolus Paulus nimiam charitatem nominat, dum ait: *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos:* quod hæc infinitis modis omnem amorem, qui dici vel cogitari possit, excedat. Propheta Zacharias pater Sanct. Iohannis Baptistæ de hoc beneficio agens, non satis habuit dixisse, quod proueniret ex Dei misericordia, sed addidit prouenisse ex visceribus & intimis illius præcordiis, dum ait: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.*

Ad Ephes.2.4.

Luc.1.78.

Quis ergo tam se amantem non redamabit: Hinc dilectus ille discipulus ait: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos,* 1. Ioan. 4. 19. Saltem illi vicem referamus, & conuenit illi eodem modo amorem exhibere, quo ipse nobis exhibuit, ipse nobis operibus, & quidem carissimis exhibuit, in quibus amor maxime aperitur & attenditur. Hinc D. Ambrosius inquit: *Plus igitur Domine Iesu iniuriis tuis debeo, quod redemptus sum, quam operibus, quod creatus sum.* Magnum fuit creationis beneficium, quod tamen tibi nullo labore constitit; nullo alio opus fuit, quam dicere, & statim factum est: *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* Sed redemptio nostra carius tibi constitit, quam dicere, nam sanguine & vita constitit: Exhibeamus ergo illi amorem non verbis, sed operibus: *Filioli mei non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate:* dicit Euangelista. Filius Dei nobis amorem exhibuit, quod pro nobis contemnatur & vilipendatur; exhibeamus eandem ei, desiderando contemni & vilipendi eius amore, & gaudeamus humiliationis & mortificationis sese offerente occasione. Ipse suum erga nos exhibuit amorem, se integre pro sacrificio æterno Patri in cruce offerendo; tali modo vt nihil illi reliquum foret, quod non offerret nostri amore; ostendamus & nos, quo illum prosequimur, amorem, nos ei integre offerendo, & tradendo, dando totum cor, & desiderando vt tota eius in nobis fiat voluntas, & non nostra. In hoc tandem amor animaduertitur, non dicendo: Domine, valde te amo. Sicque illud Sancti Apostoli Iacobi à Sanctis exponitur: *Patientia autem opus perfectum habet.* Iacob. 1. 4. Cui enim oneri non est labor, mortificatio & humiliatio; reipsa testatur, amorem quem habet, non in verbis, sed opere consistere, & verum esse,

Ambr.l.2. super Lucam.

Psal.32.9.
Psal.148.5.

1.Ioan.3.18.

Iacob.1.4.

esse, quod tribulationis & tentationis tempore non deficiat, quo veri amici examinantur.

Hic vel vnus fructus, omnium maximus, qui nobis ex passionis meditatione colligendus; ideoque ille nobis multum in oratione exercitandus & in actum deducendus, præsertim nos integre & ex toto corde DEO offerentes, vt de nobis statuat, quod volet, vt volet, quando volet & quo modo volet: in hoc descendentes ad casus particulares & difficiles, qui occurrere queunt, non locum, non munus, non gradum vllum quicunq; etiam sit, omittamus, ad quem nos eius amore non offeramus. Hoc enim maximæ vtilitatis exercitium est, & summæ perfectionis quoque valde verus amor proditur.

CAPVT VI.

De gratitudinis & gratiarum actionis affectu.

4 affectus est gratiarum actio. QVartus in oratione exercitandus affectus, & in passionis Dominicæ meditatione inculcandus, est gratiarum actio. Inquit Sanctus Augustinus. *Aug. epi. 77.* *Quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus; quam Deo gratias? Hoc nec dici breuius, nec audiri, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest.* Tanti Deus gratitudinem & gratiarum actionem facit, quod exhibito populo suo aliquo beneficio, statim voluerit sibi canticum dici. *Immola Deo sacrificium laudis.* *Psal. 49. 14.* Et plena est sacra Scriptura canticis à Sanctis & filiis Israel in gratiarum actionem pro acceptis beneficijs à Dei manu, decantatis. Sanctus Hieronymus *Hieron. lib. 11 super Isaiam cap. 39. 4. Reg 19 35. Paral. 32. 11.* ait traditionem fuisse Hebræorum, infirmitatem illam Regis Ezechiæ, quæ illum ad extrema deduxit, nam textus ait: *Ægrotauit Ezechias vsque ad mortem:* ideo acidisse, quod post insignem illam & mirandam Doctrinam ab Assyriis obtentam, qua Angelus Domini centum & octoginta millia eorundem vna nocte cecidit, canticum Deo non cecinisset, vt alij in similibus fecerant. Sanctus Augustinus *Augu. serm. 10. de verbis Apostoli.* agens de decem illis Leprosis, quos CHRISTVS mundauit, diligenter discutit, quod ille, qui redijt, ad agendas gratias pro beneficio accepto, à CHRISTI mundi Seruatore sit laudatus, & alij repræhensi, vt ingrati: *Nonne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt, non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* *Luc. 17. 18.* Ne simus ergo ingrati beneficiis à Dei manu perceptis, & præsertim maximo beneficiorum, quod homo factus sit, & cruci pro nobis affixus. *Gratiã fideiussoris tui ne obliuiscaris, dedit enim pro te animam suam,* dicit Sapiens. Christus pro nobis fidecussit, & pro nobis soluit, dans sanguinem & vitam; fas ergo est, nos tantæ gratiæ & beneficij non obliuisci, sed gratos esse.

Sanct. Thomas de gratitudine agens, *S. Thom. 22. q. 107. art. 2.* dicit, tribus modis fieri posse gratiarum actionem, primo, interius in animo agnoscendo, & æstimando beneficij magnitudinem & se benefactori valde obligatum profitendo: secundo eum laudando & verbis gratias agendo: & tertio opere, beneficium compensando, secundum recipientis facultates. *Tribus modis gratitudo nos exhibetur. 1. animo, 2. verbis. 3. opere.* Omnibus his tribus modis studendum, nos in gratiarũ actione exercere in singulis passionis mysteriis primo agnoscendo cordetalium & tantorum beneficiorum magnitudinem, quæ singulis mysterijs continentur, & magni ea faciendo, & examinando separatim omnes eorundem circumstantias, & bona quæ inde ad nos deriuata sunt & in posterum vsque deriuabuntur, & propter illa nos obligatos ad illi æternum seruiendum, totis viribus fatendo.

Secundo & labijs nostris Deum laudando & glorificando, & vt omnia creata nobis ad eum laudandum & pro ijs gratias agendum, auxilio sint, petendo, secun-

Ad Hebr. 13. 15.

secundum illud Diui Pauli: *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, Fructum labiorum confitentium nomini eius.* Tertio conando tantis beneficiis opere respondere, offerendo & tradendo illi totum cor, vt præcedenti capite dictum est.

Bernardus.

Inquit S. Bernardus, etsi quodcunque mysterium consideremus, semper existimandum nobis, dicenda esse verba illa Christi Seruatoris nostri, quæ discipulis dixit, postquam eorum lauisset pedes: *Scitis, quid fecerim vobis?* capitisne hoc mysterium? intelligitis hoc creationis, redemptionis, & vocationis beneficiũ? Oh! quam male, quid pro nobis fecerit Deus, agnoscimus, & intelligimus! Si diligenter Domine perpenderem & excuterem, quod tu Domine, cum Deus esses non esses, pro me homo factus es, & pro me cruci affixus es; & motu opus non esset, vt tui amore liquescerẽ, & totum cor tibi traderẽ: Et hæc vera gratiarum actio esset.

Ioan. 13, 12.

Chrys. l. 2. de compunctione cordis.

Beneficia Dei cõmunia consideranda & pro iis gratiæ agendæ quasi vni soli exhibita forent.

Ad Gal. 2. 20.

Notat hic Sanctus Chrysostomus magnæ vtilitatis negocium, & dicit, fidelis serui affectum & sensum esse, magni facere Domini sui beneficia omnibus communia, & pro iisdem gratum esse, quasi sibi soli collata ferent, & ipse solum debitor, & illis, pro omnibus satisfacere obligatus esset, vt faciebat Sanctus Apostolus Paulus dum diceret: *Qui delegit me, & tradidit sanctissimum pro me.* Merito hoc dicebat: vt & nobis dicere licet, quod (teste Chrysostomo) tantum mihi confert beneficium, quasi mihi soli collatum foret Vt solis lumen tam me illuminat, quam si me solum illuminet, non donum minuit, sed potius auget, dum enim alios illuminat, socios mihi dat, qui mihi auxilio sint, consolentur & benefaciant: Eodem modo, quod se Deus hominem fecerit & in cruce mortuus fuerit, æque mihi prodest, ac si soli mihi beneficium impensum foret. Dumque aliis beneficium confertur; commodum meum non minuitur, sed potius multum augetur, nam eo ipso socii mihi dantur, qui ament, exhilarent & auxilio sint ad merendam & augendam gloriam. Præterea, dicit tantum fuisse Dei aduersus vnumquemque, amorem, quasi illum solum non alium amaret: & quantum ad Christi voluntatem & amorem, tam paratum fuisse (si opus fuisset) pro singulis, quam pro omnibus pati. Et ipso facto (dicit Chrysostomus) tantus fuit Christi amor, vt non recusaret pro vno solo facere, quod pro toto mundo fecit: Insuper verum esse, Deum mei in particulari recordatum esse, & in oculis suis me præsentem habuisse, quando se hominem fecit, & in cruce mortuus est: *In charitate perpetua dilexit te.* & putat vitam suam, recte impensam, vt mihi vitam daret. Sic vt cuique Dei beneficia & mysteria expendenda sint, tanquam sibi soli collata fuissent similiter & amor, ex quo beneficium oritur, cuilibet sic considerandus, velut illum solum amasset Deus, & ei dicendum cum Sanct. Paulo: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Beneficia & amor, ex quo hæc orta sunt tali modo considerata in anima nostra magnam gratitudinem & amorem in eum, qui semper & perpetua claritate te diligit, excitant & mouent.

Simile.

Ierem. 31. 3.

Ad Galat. 2. 20.

Chrysost. ho. 25. in Genes.

Addunt sancti: quod quamuis Deus à nobis exigat vt ei pro beneficiis ab eo acceptis gratias agamus, nõ ideo fieri, quod ipse eo egeat, vt grati simus; sed quod hoc ad maius nostrum commodum & bonũ cedit, vt hoc ipso nos nouis beneficiis dignos reddamus. Dicit S Bernardus, quod sicut ingratitudo & acceptorum beneficiorum obliuio causa est, quod Deus homini ea auferat *Ingratitudo est vetus vrens fontem pietatis exsiccans, rorem misericordiæ & gratiæ fluenta non recipiens*; sic gratitudo & gratiarum actio Deo pro beneficiis reddita causa est, quod Deus eadem conseruet, & noua dona & gratias addit. Veluti flumina in mare defluunt & se exonerant, quod est quasi eorum fons vt inde

Bern. serm. contra vitiũ pessimum ingratitudinis. Et serm. 1. in capit. ieiunii.

rursus effluant; eodem modo dum Deo gratiarum actione, accepta beneficia reddimus, in noua dona & beneficia refluunt.

Capvt VII.

De admirationis & spei affectibus.

5. *Affectus est admiratio.*

QVintus affectus, quo nos in oratione & passionis meditatione exerceri expedit, est admiratio. Cum admiratione expendendum, quomodo Devs, qui impassibilis, & immortalis est, patiatur & moriatur, quodque pro illis ipsis patiatur, & moriatur, qui illum morte afficiunt, & quod tantos, & tales dolores patiatur, quales & quantos nullus vnquam mortalium perpessus sit. Mirare immensum Dei & infinitæ eius sapientiæ & altissimi Consilii caritatem & pietatem, remedium eligendo, tam hominis saluti conueniens, quo & misericordiæ & iustitiæ eius omni ex parte fieret satis. Si quis hæc, & similia, quæ hic apparent, diligenter & continue expenderit, & in eorum admirationem raptus perstiterit, quodque infinitæ bonitatis Dominvs pro creaturis, tam vilibus, indignis, & ingratis hæc fecerit; bene sane orauerit. Præterea altissima habetur contemplatio, si quis in mirandorum Dei operum consideratione, & examine absorptus fuerit; & quo quis maiore horum mysteriorum luce illustrabitur, & quo plus illa examinabit; hoc plus mirabitur. In qua admiratione magnus Dei amor, cognitio, & beneficiorum gratitudo, & magna nostra confusio continetur. Hinc nobis enitendum, vt sępius nos hoc sancto affectu exerceamus: inde enim ad nos magna commoda manabunt. In Psalmorum fine, ponit Sacra Scriptura in textu Hebræo hoc verbum *Sela*, quod pausam, ponderationem & mysterii admirationem denotat; vt doceamur, sæpe in hoc affectu nobis persistendum esse in mysteriis, quæ meditamur.

6. *Affectus est spes in Deum.*

Sextum, quod ex passionis meditatione colligere licet, est spes & fiducia magna in Deum. Anima enim considerans quanta pro illa fecerit Deus, quamuis id non mereretur, & perspecta tanta cupiditate & prompta voluntate, quam Christus ad eam liberandam ostenderit quandoquidem hæc sitis illa erat, quam in cruce se dicebat habere; hoc ipso erigitur, vt de tali bonitate & misericordia speret, omnia illi ad salutem necessaria, & conuenientia datum iri. *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit:* dicit Sanctus Apostolus Paulus, ad Roman. 8. vers. 32.

Idque nobis fecit Dei filius, cum adhuc inimici essemus. Bene hæc ratio notanda est, quod S. Pauli sit, & magnæ confusionis, cum ad Romanos dicat: *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multa magis reconciliati salui erimus in vita ipsius.* (*Ad Rom. 5. 10.*) Si inimicos & Deo exosos nos misericordiæ suæ oculis adspexit, & tanto suo sumptu nos reconciliauit; nunc cum simus reconciliati & amici, nec illi sanguine aut vita constabit, vt ante, & cum iam nullo sumptu opus sit; quibus nos oculis adspiciet? Qui nos nostris peccatis deformatos ante amauit; qui nos nō amaret, quos sanguine suo precioso mundauit & dealbauit? Si nos illum fugientes, & eius inspirationibus resistentes quæsiuit & inuitauit, nec nos reliquit, donec domum deduceret; qui nos relinquet & obliuiscetur, postquam cum eo gratiam iniimus.

Ex Dei misericordia nascitur fiducia & spes.

Ad hoc etiam multum conducet, vt fiduciæ hic affectus eruatur, Dei magnam misericordiam inquirere, & penetrare; quæ ei tam propria est, vt canat Ecclesia, *Deus cui proprium est misereri semper & parcere.* Verum quidem est, iustum

Deum esse, & tantum in iustitia, quantum in misericordia esse, nam Deo vnum quid est. Opus vero DEO mage proprium, & quod ex se & libentius facit, & virtus, qua sæpius vtitur, est misericordia, vt canit Regius Propheta Psal. 144. vers. 4. *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius*: illæque sunt quæ magis se aperiunt & splendent. Hoc opus mage suum dicit, & per Antonomasiam, & excellentiam Dei opus vocatur. Et Sanctus Apostolus Paulus Deum in misericordia diuitem prædicat, Dum ait: *Deus autem, qui diues est in misericordia*. Quamuis in omnibus diues sit, tamen particulariter in misericordia diues dicitur, qui loquendi modus est ad excellentiam significandam: vt & nos dicimus: Talis pecoris diues est; sic & Deus ditior est, & opes eius excellentiores, & eminentiores in misericordia: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo & miserando maxime manifestas*: canit Ecclesia. Hic maxime Deus omnipotentiam, & magnitudinem apertit, quod parcat & misereatur, & de eo plus gloriatur. Vt nobilis aliquis quamuis plures habeat gratias & dona, tamen de vno plus, quam de alio se offert, vt vnus de hastiludiis, alius de liberalitate; eodem modo & DEVS de misericordia plus gloriari solet.

6. Affectus est spes in Deum.

Ad Ephes. 2.4.

Ad Rom. 5. & 10.

Simile.

Bern. ser. 3 de Natiuitate Domini.

Ideo ait Sanctus Bernardus, misereri proprium Deo opus esse, quod est se facit: nam ex natura misericordia & beneficiis affluit. Nec meritis nostris indiget, vt ideo misericordia in nos vtatur; castigare vero à Deo quasi alienum est, vt ad hoc deueniat, necesse sit illum à nobis ad id peccatis nostris cogi & compelli. Vt api proprium mellificare; pungere vero minime, quod non facit nisi molestata, irritata & prouocata, & quasi vi coacta, ob iniuriam sibi illatam: Eodem modo dum DEVS castigat, & damnat, id facit quasi vi prouocatus, & peccatis coactus: sicque ob dolorem & tristitiam, quam exhibet: facile misericordiam suam demonstrat, vt in multis Sacræ Scripturæ locis videre est. Dum crescente hominum malitia terram diluuio perdere statuerat, dicit textus: *Et tactus dolore cordis intrinsecus: delebo, inquit, hominem, quem creaui, à facie terræ*, Genes. 6. vers. 6. Videtur illi vsque ad penetralia cordis peruenisse, quod mundus aqua in solitudinem esset redigendus. Et vrbis Hierosolymitanæ excidium prædicens, dicitur in Euangelio fleuisse: *Videns ciuitatem fleuit super illam*, Lucæ 19. vers. 41. Et per Esaiam inquit: *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis*, Esaiæ 1. v. 14. Vt iudex qui condemnationis sententiæ subscribere cogitur, sed cum lachrymis signat.

Simile.

Ex Dei misericordia nascitur fiducia & spes.

Neq; hic solum, sed in ipsa castigatione & iudicio, quo nobis timorem incussit, & minatur, amor & infinita misericordia, & salutis nostræ magnum desiderium se videnda præbent. Hoc exacte annotauit Sanctus Chrysostomus in illud Regii Prophetæ: Psalm. 7. v. 13. *Nisi conuersi fueritis, arcum suum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit*. Magna Dei est clementia & pietas (vt ait Sanctus ille) nos arcu minari & terrere, & verbis pœnam exaggerare, ne in illam labamur.

Chrysostomus.

Eodem nobiscum modo agit Deus, vt cum filiis, quos valde amant, solent patres, qui iram verbis amplificationis ostendunt, vt filiis timorem incutiant, & se emendent, & punitione opus non sit.

Præterea, vt gladius cominus, arcus vero & balista eminus vulnerant, & lædunt, nihilque amplius necessarium ad nocendum gladio, quam gladio manum admouere & percutere; ad nocendum vero arcu, opus prius illum tendi, & sagittas pharetra extrahere, & arcui imponere, quæ arcu emissæ stridorem edunt propterea Deus nobis arcu minatur, vt tempus

tempus suppetat castigationem fugiendi, & euadendi, secundum illud Prophetæ, Psal. 59. v. 6. *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus, vt liberentur dilecti tui.* Dumque decretum illi esset mundum diluuio perdere; centum annis ante prædici, & nunciari iussit, vt sese homines corrigerent, vt qui taurum caula emittit. Et homilia 17. super Genesin, agens & de pœna à DEO serpenti inflicta, quod Euam decepisset, ait idem Chrysostomus: Dei magnā misericordiam aduerte, cui, vt patri, qui valde filium diligit, non sufficiebat castigare, qui occidit, sed gladium vel hastam, qua occiderat, in manu capit, & illum rumpit, & in mille frusta concidit; eodem modo & DEVS cum serpente agit, qui quasi gladius & diabolicæ malitiæ instrumentum fuerat, eum perpetua pœna damnans. Deus peccatoris mortem non vult, nec hominum perditione lætatur; nam si tale quid vellet, satis illi causæ à te datum, si enim mortem obiisses, tempore tibi noto, iam abhinc multos annos esses in inferno: Sed noluit infinita illa bonitas & misericordia morti nec diabolo permittere, vt eo te deducerent. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis suis, & viuat?* dicit Deus per Prophetam Ezechielem, se nolle vt te damnes, quod caro hoc est sanguine & vita te emerit, & nollet tantum precium perire, sed vellet omnes se conuertere & saluos fieri, vt ait S. Apostolus Paulus: *Qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* His & similibus considerationibus, quarum Sacra Scriptura & Sancti pleni, moueri debemus, vt Dei misericordiæ plene fidamus, præsertim ea, quæ iam præ manibus est, videlicet, vt ad IESV CHRISTI passionem & merita confugiamus.

Simile.

Ezech. 18. 23.

1. ad Timoth. 2. 4.

CAPVT VIII.

De Christi imitatione, quæ nobis ex mysteriorum eius meditatione colligenda est.

SEptimum, quod ex oratione & passionis meditatione nobis eruendum, & in quo exercendi, est imitatio virtutum, quæ hic in CHRISTO relucent. Duas esse dicunt causas sancti, ob quas Deus in mundum venit, & homo factus est, & hæc sanctissima mysteria operatus.

7. *Affectus est imitatio Christi.*

Prior & præcipua, vt hominem sua morte & passione redimeret: posterior, vt homini perfectissimum omnium virtutum præberet exemplum, & iisdem eos ad se imitandum moueret. Hinc est, quod peccato in vltima cœna profundissimæ humilitatis illo opere, quo genibus flexis ante discipulos diuinis manibus, eorum lauit pedes; statim illis dixerit: *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Quodque tunc temporis de hoc opere monuit, intelligi voluit de omnibus aliis, & vt indicauit Sanctus Apostolus Petrus in priore sua Canonica, vbi de CHRISTI passione loquens ait: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Ideoque ait Sanct. Augustinus: *Crux Christi non solum est est lectulus morientis, sed & cathedra docentis,* se imitari, & quid nobis agendum. Et licet tota Christi vita perfectissimum virtutis fuerit exemplum & speculum; tamen videtur in passione repetere voluisse, quicquid tota vita verbo & exemplo nos docuerat, efficiens omnes virtutes in illa in summo gradu nitere, & effulgere.

Basil. in const. monast. Duæ causæ c. 2. cur Christus in mundum venerit: 1. redemptio hominis. 2. exemplum.

Ioan. 13. 15.

1. Petri 2. 21.

Aug. tract. 119. In Ioan.

Id causa est, quod nobis omnibus neruis procurandum sit, vt ex horum mysteriorum consideratione, CHRISTI virtutes

Ex consideratione virtutū Christi affectus imitationis eliciendi.

tutes imitandi affectum paremus, singulas virtutes per se, & separatim expendendo & ponderãdo, & inde in voluntate affectum & magnum eius desiderium excitando, simul propositum efficax eius actus & operationes exercendi, & perficiendi contrarii vitii odium horroremque inducendo. Sicut si quis Christi humilitatem expendat, quod DEVS se tam abiecerit, & prompta voluntate contumeliis & hominum iniuriis, & quidem tam enormibus iniuriis obtulerit, hic illi subsistendum, & se contemnendum, se vilem nulliusque precii habendo, & ex toto corde desiderando, ne honoribus quis cumuletur vel existimetur, aut pluris aliis fiat; & proponendo, si contingeret aliquas ab hominibus iniurias inferri, libenter se illas passurum, & lætaturum quod sese offerrent, vt saltem aliqua in re CHRISTVM posset imitari & illi similis esse. Similiter Christi patientiam perpendens, voluntate statuendum est, omnia aduersa prompte & sine murmuratione tolerare, & accipere, & cupere vt illa se offerant, & DEVS tribulationes & vitæ huius angustias immittat, vt CHRISTVM DOMINVM suum imitetur. *Nolo Domine sine vulnere viuere, quia te video vulneratum*, dicebat

Bonauent. S. Bonauent. Atque ita nobis per omnes virtutes per obedientiam, charitatem, mansuetudinẽ, castitatem, paupertatem, & abstinentiam, quæ omnes in illa relucent, discurrendum est, & conandum, vt nos eius imitandi desiderio exerceamus.

Tract.3 cap. 27. In meditatione ad particulares virtutes descendendum. Est & hic aduertendum, quod superius attigimus, in singulis virtutibus ad casus particulares descendendum esse, qui se nobis offerre possunt, illos accipiendo & gaudendo illis Dei amore. Hic enim magis conducunt, quam generales, eisque plus indigemus, verbi gratia, agendo de humilitate, ad casus speciales descendendum, & huiusmodi excogitandi qui nam tui contemptus, & dedecoris causa accidere possint. Primo faciliores, & post difficiliores, quique altius penetrarent, si se offerrent illique ita expendendi, quasi in actum deducerentur, iisque lætandum quasi præsentes essent.

Eodem modo dum tractas de indifferentia, patientia, mortificatione & conformitate cum voluntate diuina: hac enim ratione paulatim virtus in animam influit & imbibitur, & contraria passio vel vitium remittitur & mitigatur. Sicque post actus facilior erit, vt se obtulerit occasio, quasi iam præuisus, & animo conceptus. Et ad hoc, orationis desideria & proposita faciunt.

Hac ratione abundantem, diuitem, & vtilissimã materiam suppeditauimus, vt orationi & CHRISTI DOMINI nostri passionis meditationi insistatur, & alia sanctissimæ eius vitæ mysteria ruminentur. Et nemo iure dicere poterit, se nescire quid agere debeat, nec cui insistere, quandoquidem tantos affectus in medium attulimus, quibus nos singulis momentis exercere poterimus. Quibus additur, quod in singulis mysteriis, & affectibus, ad magis nos mouendum, considerare & examinare liceat sequentia.

Primo, Quis sit, qui patitur: Secundo, Quid patitur: Tertio, Modus, quo patitur, videlicet, patientia, humilitas, mansuetudo, & amor. Quibus patitur & amplectitur hos cruciatus & iniurias: Quarto, Pro quo patitur: Quinto, A quibus: Sexto, Quis finis, ob quem patitur, quæ puncta vulgo ponuntur, & à sanctis examinantur, in quibus magno cum fructu insistere licebit. Et quamuis aliud, non esset, tamen in solo postremo imitationis affectu, satis nobis materiæ in omnem vitam esset; quod duplici ratione videre licebit: priore quod per omnes virtutes discurrere liceat, & omnibus egemus & omnes hic in Christo reperire licet. Posteriore, si in singulis virtutibus per casus particulares peruagemur, qui solent & possunt se offerre, quos tam

6. Circumstantiæ in Christi passione meditanda.

directos & præparatos habere & reddere debemus, vt eos non ſolum cum patientia, ſed & gaudio & lætitia toleremus, ſecundum ſuperius dicta; ſatis nobis negocij eſt, quo tota vita occupemur etiam vnica ſola virtute, quanto magis in tantis.

Tractat. 3. c.27.

Idcirco dico & affirmo, quamuis alij affectus maximi ſint momenti; hic tamen Imitationis affectus, alios anteſtat, & magis neceſſarius eſſe; continet enim in ſe diuini amoris affectum, & omnes virtutum actus in ſe comprehendit. Sic vt imitatio non vnus affectus ſolus, ſed omnium ſanctorum affectuum epitome & compendium ſit in quibus Chriſtiana vita & eius perfectio ſita eſt.

Hæc ergo ordinaria occupatio noſtra in oratione & CHRISTI paſſionis & vitæ meditatione eſſe debet: & fructus præcipuus, qui nobis inde colligendus, vt videlicet, incumbamus in eius virtutis imitationem, qua quis plus indiget; in eadem perſtando, penetrando, perſeuerando, & eius ſibi habitum parando, donec eandem quaſi imbiberit, & altas in animo radices egerit, eaque minuat & ſedet paſſionem & vitium contrarium: Et poſtea ad aliam virtutem tranſeundo, & ſic deinceps. Et hoc longe melius & vtilius eſt, quam in oratione multis ſe intricare, & omnia leui brachio per currere.

CAPVT IX.

In quo quibuſdam exemplis confirmatur, quam vtile & Deo gratum ſit ſe paſſionis Chriſti Seruatoris noſtri meditatione exercere.

Silueſt. in roſa aurea ſer. de S. Maria Magdalena.

SIlueſter refert de Sanct. Mariæ Magdalenæ, quæ poſt CHRISTI Seruatoris noſtri in cœlum aſcenſionem in aſperum quoddam & inuium deſertum ſeceſſerat, in qua triginta duos annos vixit: quod CHRISTVS eam docere voluerit, quo ſe exercitio in illa ſolitudine occupare poſſet, quod illi & gratiſſimum eſſet & maxime placeret. Hinc initio ad eam miſit Sanct. Archangelum Michaelem in manu pulcherrimam Crucem habentem, quā ad ſpeluncæ ingreſsū fixit, vt Sancta hæc eā quotidie in oculis gerens, & nunquam, viſum ab eadem retrahens, nunquam etiam ſanctorum myſteriorum, quę in illa exhibebantur, & perfecta erant, memoriam deponeret. Hinc toto illo tempore, quo in eremo illa latuit, continue meditabatur hæc paſſionis & mortis CHRISTI Redemptoris & Magiſtri ſui myſteria.

Idem Sancta hæc cuidam DEI ſeruo ex Sancti Dominici familia manifeſtauit, vt fuſius idem illud exponit Silueſter.

Ludolph. de Saxonia Carthuſ. in vita Chriſti in proœmio paſſ.

Ludolphus Carthuſianus narrat de quodam Dei ſeruo, qui in ſolitudine viuebat, & vitam perfectam & ſanctam agebat, quod valde expetebat Deo ſeruire, & ſingulariter ſcire, quæ opera ei gratiſſima forent, quæque maxime ſui amore fieri vellet.

Petebat multo cum feruore & inſtantia id ſibi declarari. Quodam tempore ei oranti & eadem petenti apparuit CHRISTVS, totus vulneribus confoſſus, nudus, & tremens, & graui cruce humeris onuſtus, qui ait illi: Omnium mihi gratiſſimum, & quo mihi gratius à ſeruis meis exhiberi non poteſt, ſeruitium eſt; ſi me iuuent in portanda hac cruce, quod fiet, ſi me omnium cruciatuum & dolorum meorum conſideratione comitentur, & ſuauiter mihi in animo condoleant: Quibus dictis diſparuit.

Vincentius in ſpec. hiſtor. Antonin. 3. p. hiſt. quas refert Surius tom. 6.

Vincentius, Sanctus Antonius, & Surius referant in vita Sanct. Edmundi Archiepiſcopi Cantuarienſis in Anglia, quod Sancta huic adhuc puero, & in Oxonienſi vniuerſitate primis Grammaticæ fundamentis operam danti, & quodam die per agros ambulanti ſanctiſque meditationib. occupato repente apparu-

erit

erit puer Iesus albus & rubicundus, vt illum sponsæ describit, & se indicans, & cum eo aliquot suauissimos sermones miscens, inter alios, ipsi author fuit multũque commendauit, vt aliquod vitæ, passionis & sanctissimæ mortis eius mysterium quotidie mente percurreret, affirmans id ei contra diabolum & eius insidias maximum auxilium & efficacissimum remedium fore, vt se in omni virtute conseruaret, & tandem mortem bonam & salutarem obiret. Quo dicto & salutari hoc consilio proposito, euanuit, puero Edmundo magna in animo consolatione perfuso. Et ab eo tempore magna cum diligẽtia quotidie circa vesperam alicuius vitæ & passionis Christi meditationi incubuit: ex qua meditatione, magna deuotione & profectu & remedijs contra omnia potiebatur.

1 p. l. 1. c. 61 historia Prædicatorum. In Prædicatorum historia narratur de quodam eius ordinis religioso, natione Germano, magnæ virtutis & sanctitatis viro, quod à tenera ætate singulari ad Christi passionem deuotione afficiebatur, de qua solitus erat multo cum mærore & lachrymis sæpius meditari, & eius sanctissimis vulneribus reuerentiam exhibere, legendo ad quodque eorum illa Ecclesiæ verba: *Adoramus te Christe & benedicimus tibi, quia per crucem sanctam tuam redemisti mundum.* Illaque dicens, quinquies genua flectebat, & toties orationem Dominicam legebat, orans Deum, vt sanctum ei timorem & amorem largiretur. Quam vero ei grata & accepta fuerit hæc deuotio, perspicue in singulari quadam gratia, quam ei exhibuit, demonstrauit. Nam ei oranti Christus valde benignus & gratiosus apparuit, illum vocans & inuitans, vt sine metu accederet, & vulneribus eius frueretur: quod & summa cum reuerentia & humilitate compleuit, ore illa attingens, & tanta inde, in eius animam manauit suauitas & dulcedo, vt postea illi, quicquid Deus non esset, amaritudo & incredibile tormentum esset.

[illegible] ipo[illegible] & Narrant Lipomanus & Surius de Abbate Palæmone S. Pachomij magistro, quod dum ipso Paschatis die Pachomius sibi in prandium herbas cum oleo & sale parasset, quod solennis ille dies esset, & solitus esset alijs diebus herbas sine oleo, addito tantum sale edere, videns bonus senex easdem oleo conditas, flere cœpit & lachrymas multas fundere, in memoriam Domini passionem reuocans & dicens: *Dominus meus crucifixus est, & ego nunc oleum comedam?* nunquam tale quid Deus permittat. Respondit discipulus Pachomius, quod Pascha esset, ideoque has delicias permitti posse, sed quicquid diceret, & quamuis importunius vrgeret, nunquam adduci potuit, vt gustaret. *Surius in vita S. Pachomii mense Iunio.*

De quodam Christiano captiuo, & Christi passioni valde deuoto scribitur, qui præ continua memoria, quam de illa habebat, semper mæstus & tristis erat. Quod videns tyrannus, cui seruiebat, subinde interrogabat, cur tristaretur, & cum socijs non gauderet? Respondebat ille, se lætari non posse, quod cordi impressam haberet Domini passionem. Quo audito tyrannus scire volens, num vera diceret, pectus eius scindi & aperiri iussit, & cor extrahi, in quo Christi crucifixi imago inuenta perfectissima exarata, causa fuit, quod tyrannus ad fidem conuerteretur. *F. Thom. Cantipratensis l. 1. de apibus. c. vltimo.*

Huic simile est, quod refertur de sancta virgine Clara de Monte Falconis quæ in vita, Christi passioni valde deuota fuerat, qua vita functa, fuit in vna parte cordis, Christi crucifixi imago cum tribus clauis, lancea, spongia, & arundine inuenta, omnia ex virginis sanctæ carne perfectissime facta, ex altera vero parte flagella quinque ramis distincta, columna & spinea corona. Quod miraculum vsque in hodiernum diem monstratur in monte Falconis Italiæ loco. *p. 2. l. 4. ca. 12. Chronic. S. Francisci.*

* * *

TRACTATVS OCTAVVS.

De sacra communione, & sancto Missæ sacrificio.

CAPVT PRIMVM.

De inæstimabili beneficio & ingenti amore, quem Dominus noster nobis hoc diuinum Sacramentum instituendo exhibuit.

Duo opera; aliis Dei operibus anteeunt: DVo opera nobis exhibuit Deus, quæ omnibus alijs excellunt, & magis in admirationem hominum iudicia rapiunt, quam omnia alia, quæ fecit, quæ tanti sunt artificij, vt de ijs loquens Propheta, illa vocet Dei adinuentiones, dum ait: *Notas facite in populis adinuentiones eius.* Opera eiusmodi, in quibus Deus cogitauit se posse monstrare esse sui communicatiuum & diffusiuum. Prius fuit Incarnatio, in qua verbum Patris se naturæ nostræ coniunxit & vniuit, tanta cõnexione & tam stricto nodo, vt in vna persona essent Deus & homo. Nodus omni mundanæ rationi ignotus, & ei solus clarus & manifestus, omnibus tenebræ & obscuritas, illi soli lux & claritas, nodus indissolubilis, quem semel coniunxit, nunquam separandus nec dissoluendus. *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit.*

Psa. 12. 4.

1. Incarnatio.

S. Dionysius dicit amorem virtutem venientem esse, qui amantem in amatũ vertit, & duos vnum facit. Quod ergo nunquam efficere potuit aliquis amor, in terra inuentus, fecit amor diuinus pro homine. Nunquam videre fuit à cælo in terram deorsum, quod amor vnum vere fecerit, amans, & amatum, sed à cælis sursum videre est: nam eadem est Patris & Filij natura, & vnum sunt, sed à cælo deorsum nunquam talis connexio & vnio facta est.

Dionys. Areopag. cap. 4. de diuin. nom.

Tantus ergo fuit amor ille, quem Deus erga hominem habuit, vt se homini tali modo coniungeret, vt ex Deo & homine vna soli maneret persona, & tam vnita quod homo, verus sit Deus, & Deus, verus sit homo, & quicquid Dei proprium est, vere & proprie de homine dicatur. Tali modo, vt quem homines videbant, Deus esset, quem corporali ore loquentem audiebant, Deus esset, quem edere, ire, laborare videbant, Deus esset. Humanam naturam reipsa habebat & operationes humanas, quique illa operabatur, Deus erat. *Quis audiuit vnquam tale? & quis vidit huic simile?* dicit Propheta Esaias. Deus puer est? pannis inuolutus? Deus vagit? Deus debilis est & lassatur, & dolores & tormenta patitur? Dicit Propheta Regius: *Altissimum posuisti refugium tuum, non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquauit tabernaculo tuo.* Sed nunc videre est Domine flagella, clauos & spinas ad te accessisse, & te in cruce positum: quod à Deo maxime alienum est. *Peregrinum est opus eius ab eo.* Opus sane inauditum, quod Angelos & homines in admirationem rapit.

Esai. 66. 8.

Psal. 90. 9.

Esai. 28. 22.

Aliud opus (amoris eius infiniti inuentio propria) fecit Deus quod fuit sanctissimi Sacramenti institutio. In priori essentiam suam diuinam occuluit carnis velo, vt videri posset, in hoc non solam diuinam

2. S. Sacramenti Eucharistiæ institutio.

nam

nam, sed & humanam occuluit, acciden-
tium panis & vini velo & tegumento, vt
comedi à nobis posset. In priore Deus
hominem in se transtulit, humanam na-
turam cum verbo diuino vniens, & homo
in Dei viscera penetrás: in posteriore hoc
vult Deus vt tu illum in tua viscera & ani-
mam recipias. Antea ipse homo Deo vni-
tus erat: nunc vult Deus & homo, se tecũ
vnire & coniungere. In priore communi-
catio & vnio fuit facta cum vna singulari
natura, quæ est sanctissima Christi huma-
nitas, quæ personaliter verbo diuino vni-
ta est. In posteriore hac vult, vt quisq; sin-
gulariter illum recipiat, & vnum cum illo
fiat, non vnione hypostatica vel persona-
li, hoc enim non decebat, sed maxime in-
tima & strictissima vnione, quæ pręter se-
quentem excogitari vel in homin s ima-
Ioan. 6. 57. ginationẽ cadere potest. *Qui comedit meã
carnem & bibit meum sanguinem, in me ma-
net, & ego in illo*, dicit ipsemet Dominus.
Psal. 100. 4. Opus sane mirandum. *Memoriam fecit mi-
rabilium suorũ misericors & miserator Do-
minus, escam dedit timentibus se.* Non solũ
est *miraculorum ab ipso factorum maximum*
S. Thom. serm. festi Corpor. Christi. (vt dicit S. Thomas) sed recollectio & eo-
rum compend um est.

Legitur Rex Assuerus magnũ & splen-
didum instruxisse conuiuium, quod ad
Esther 1. 4. centum & octoginta dies protractum est:
vt ostenderet diuitias regni sui, eodem modo
& magnus hic Rex Assuerus, Christus ser-
uator noster etiam regium conuiuiũ pa-
rare voluit, in quo thesaurorum, diuitia-
rum, potestatis & Maiest..tis gloriæ suæ
magnitudinem ostenderet, cibus enim,
quem hic apponit, est ipse Deus. Opus sa-
ne, quod minus mundum obstupescere
facit, quam prius. Imo & de admirabilis
huius mysterij vmbra, quæ fuit manna,
admirabantur: *Man hic, quid est hoc?* Et
Exod. 16. 5. postea dicebant: *Quomodo potest hic nobis
Ioan. 6. 53. carnem suam dare ad manducandum?* Et hoc
conu uium non centum & octoginta tan-
tum dies durat, vt Assueri conuiuium, sed
mille & sexcentos & amplius annos, & vs-
que ad mundi fi em durabit, & semper
comedimus, & semper durat. Iure merito
admiratur & exclamat Propheta: *Venite* *Psal. 45. 9.*
*& videte opera Domini, quæ posuit prodigia
super terram.* Stupendum sane artificium,
& consiliorum Dei sapientia, quæ Deus ad
hominum salutem instituit & decreuit.
De posteriore hoc opere nobis iam agen-
dum: Deus gratiam ad hoc suppedit t,
nam hac in ist negotio maxime opus est.

S Apostolus & Euangelista Ioannes in
suo Euangelio de huius sanct ssimi Sa-
cramenti institut one tractans ait: *Cum* *Ioan. 13. 1.*
*dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem
dilexit eos*, tunc temporis enim maioribus
illos prosecutus est beneficiis, & maiora
amoris pignora reliquit. Inter quæ præ i-
puum fuit hoc sanctissimum Sacramen-
tum, manente in eo sua Maiestate vere &
realiter. In quo exacte amorem, quo nos
prosequebatur, declarauit: nam hoc ha- *1. Conditio a-*
bet in se verus amor, quod semper velit ei *moris, semper*
adesse, qu m amat & ius consortio frui, *adesse amato.*
amor enim amati absentiam non fert. Dũ
ergo Christo ex hoc mundo ad Patrem
abeundum erat, tali modo abire voluit, vt
plane non abiret, & si abiret, vt & mane-
ret, vt ergo è cælo descendit, sic tamen vt
cælum non relinqueret, eodem modo &
è mundo vadit, vt mundum non relin-
quat: vtq; à Patre exiuit, sic tamen vt il-
lum non relinqueret, eodem modo & iam *Ioan. 16. 28.*
à filijs abit, vt eos non relinquat: *Exiui à
patre, & veni in mundum: iterum relinquo* *2. Conditio,*
mundum, & vado ad Patrem. Est præterea *nunquam a-*
amoris conditio, vt velit in amati memo- *mati obliuisci*
ria viuere & vigere, & vt eius nunquam
obliuio surrepat. Hæcque causa quod a-
mantes abeuntes sibi mutuo munera &
mnemosyna dant, quæ memoriam exci-
tant. Ne ergo eius obliuiscamur, memo-
rialis loco, hoc sanctissimum reliquit no-
bis Sacramentum, in quo ipsemet manet,
nolens vt inter eum & nos aliud pignus,
quod memoriam refricet, sit, quam ipse.
Hinc instituto hoc sanctissimo Sacra-
mento, ait: *Hoc facite in meam commemo-* *Luc. 22. 19.*
rationem. Quoties hoc mysteriũ celebra- *1. Cor. 26.*
bitis, in mei memor ã celebrate, in memo
r ã reuocantes, quã vos amauerim & dile-
xerim, & quãta vestro amore passus sim.

Deut. 4. 7. Moyses valde extollebat populum Israelitarum, dum diceret: *Neque est alia natio tam grandis, quæ habet Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obseruationibus nostris.* Et Salomon templo iam exædificato mirabatur & dicebat, Fierine potest, vt habitet Deus cum hominibus in terra? si cæli cælorum cum omni ambitu eorum non sufficiunt, Domine, vt locum tibi dent, quanto minus sufficiet parua hæc domus, quam ædificaui. Quam potiore iure nobis hoc dicere licet, quandoquidem iam non vmbram neque figuram, sed ipsum Deum apud nos habemus. Matth. 18. 20 *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Magnum sane solatium & gratia fuit, voluisse Christum Seruatorem nostrum apud nos manere, ad peregrinationis nostræ leuamen & solamen. Si amici consortium nobis in doloribus & angustijs solatio est, quanto magis Iesu Christi consortium erit? Illumque videre nostris portis ingredi, & per areas, & plateas ambulare, & sinere se ferri & in templis nostris sedem habere, vbi illum nobis viscere sæpius liceat, omni diei, & noctis hora, facie ad faciem illic cum illo de negociis nostris agere, nostros illi labores exponendo, tentationes communicando, auxilium remediumque omnibus necessitatibus petendo, firmam fiduciam habentes, illum, qui tam nos dilexit, vt nobis tam vicinus fieri voluerit, non tardaturum, quin nobis subsidio sit. Leuit. 26. 11. *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, ambulabo inter vos, & ero Deus vester.* Ibo & sedem meam in vestri medio figam, iboque, quocunque me volueritis ferre, per plateas vestras incedam, & honore vos prosequar. Quod cor hæc audiens, & Deum sibi tam familiarem habens, non moueatur & incendatur? Non satis fuit Deo, se à nobis in templis nostris & domibus haberi, nisi & in nobis ipsis esset, voluit nostro se cordi ingerere, voluit te temp'um, calicem, repositorium, & custodiam esse, in quo esset & deponeretur hoc sanctissimum Sacramentum. Cant. 1. 12. *Inter vbera mea commorabitur.* Non hic osculādus, vt pastoribus & Magis, datur, sed in viscera recipiendus. O ineffabilis amor! ô liberalitas inaudita! Deum in persona, Iesum Christū verum Deū & verum hominē in me recipio; quē sanctissima Angelorū Regina in vtero nouē menses tulit, eundem in visceribus & cordis intimis recipimus. Si S. Elisabeth S. Ioannis Baptistæ mater, quod sanctissima virgo tua mater, in cuius vtero latebas, domum eius intraret, mirabunda & S. Spiritu repleta exclamauit, dicens: *Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Luc. 1. 43. Quid dicam ego, dum aduerto, quod tu Domine, fili Dei viui, non domus meæ materialis, sed corporis & animæ ostium intras? Quanto potiore iure dicam: Et vnde hoc mihi? mihi, qui tanto tempore diaboli fui habitatio? mihi, qui te toties offendi? mihi, qui tibi tam rebellis extiti & ingratus? vnde hoc mihi, nisi à misericordiæ tuæ magnitudine & bonitate, qui es tantus hominum amator. Vnde? nisi ab hoc infinito amore tuo.

Adiungant & perpendant merito hic Sancti, quod si solis mundis & innoxiis, beneficium & donum inæstimabile foret, quid dicendum, quod se obstrinxerit, vt multorum etiā peruersorū ministrorum manibus tangatur atq; permisit se crucifigi impiorū tortorū manibus nostri amore eodē modo & iam pmittit se peruersorum & malorū sacerdotū manibus tractari, & impura & fœtida multorū peccatorū ora & corpora subire, vt visitet & consoletur amicos. Omnibus his se offert Deus, & iterū & sæpius vendi & sibi illudi crucifigi & inter latrones suspendi patitur. Sic vt S. Paulus dicat, peccantes, quantū in se est, iterum Christū crucifigere: *Crucifigentes sibimet ipsis Filium Dei,* Hebr. 6. 6. vt hoc modo se nobis cōmunicaret & daret. Aduerte ergo, an non ampla gratitudinis & illi seruiendi materia se suggerat. Canit Ecclesia, & obstupescit magnum hunc Dominum non horruisse intrare Virginis vterum, dū ait: *Non horruisti Virginis vterum.* Cōsidera iā vna ex parte Virginis illius puritatē,

& no-

& nostram, & facile erit animaduertere, quanto maiore nos stupore teneri conueniat, quod non horreat pectus intrare peccatoris.

Capvt II.

De excellentiis & miraculis, quæ fides dictat, nobis de hoc sanctissimo & diuino Sacramento credenda esse.

Quæ credenda sint de hoc sanctissimo sacramento.

1. Miraculum credendum, prolatis verbis consecrationis esse verum ibi Christi corpus.

MIRANDA plurima docet Catholica fides, quæ consecrationis verba hic operantur. Primum est, nobis esse credendum, simulatque sacerdos consecrationis verba super hostia protulerit, ibi verum esse Christi seruatoris nostri corpus, idem illud, quod ex purissimis sanctissimę virginis visceribus natum est, idemque illud, quod in cruce suffixum, resurrexit, idemque illud, quod iam ad Dei Patris dextram sedet. Et simulatque sacerdos consecrationis verba super calicem protulerit, illic verum & preciosum esse Christi sanguinem. Et quamuis centum Missarum millia in tota Ecclesia dicantur, illo ipso momento, quo sacerdos verba consecrationis absoluit, hanc admirandam Deus conuersionem operatur, & in earum singulis realiter & vere est seruatoris nostri corpus & sanguis, hic consumitur, illic vero consecratur, & vbique vnus & idem est.

2. Post verba consecrationis non ibi esse panem aut vinum.

Secundum admirabile hic credendum est, post consecrationis verba ibi nec panem nec vinum manere, quamuis visui, tactui, gustui, & olfactui contrarium videatur, fides enim id negat. Dicebat patriarcha Isaac filio suo Iacob, dum ille caprarum pellibus manus obduxerat, vt fratri similis esset ad benedictionem & primogenituram obtinendam: *vox quidem, vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esau.* *Gen. 27. 22.* Eodem modo & hic, quod manibus tangitur, & sensibus percipitur, panis & vinum videtur; sed vox fidei est. *Auditus autem per verbum fidei:* hic aliud dicitur. *Præstat fides supplementum sensuum defectui.* Et in Manna, huius Sacramenti vmbra & figura idem erat inuenire, non omnia sapiebat, perdicem sapiebat, & perdix non erat, piscem sapiebat, & piscis non erat: Eodē modo & diuinum hoc manna, panē sapit, & panis non est, vinum sapit, & vinum non est. In aliis Sacramentis vna materia in aliam non vertitur, vt in Baptismo aqua, remanet aqua, & in Confirmatione & extrema vnctione oleum, permanet oleum, in hoc vero Sacramēto materia mutatur. sic vt, quod panis videtur, panis non sit, & quod vinum, vinum non sit, sed panis substantia in verum Christi seruatoris nostri corpus vertitur, & vini substantia, in preciosum eius sanguinem. Optime S. Ambrosius ait. Qui aliquid ex nihilo facere potuit, creando cælum & terram, multo magis vnum ex alio facere, & vnā substantiam in aliam mutare poterit. *Amb. de his qui initiantur minist. c. 9.* Preterea videre est panem, quem quotidie edimus, breui tempore per caloris naturalis virtutem in carnem mutari, multo magis omnipotentis Dei virtus in momento poterit hanc admirabilem versionem efficere. Et vt vno miraculo aliud doceatur: plus est, Deum se hominem fecisse, Deum manentem, quam panem, desinentem esse panem, carnem fieri. Eadem ergo diuina virtute, qua Deus homo factus est, panis & vinum in Christi corpus & sanguinem conuertantur. *Quia non est impossibile apud Deum omne verbum*, vt dicebat angelus Gabriel sanctissimæ virgini. *Luc. 1. 37.*

3. Hanc conuersionem non fieri modo naturali.

Tertio, particulare quid in hac conuersione est, quod eadem non fiat eodē modo, vt naturales conuersiones, in quibus vna re in alteram conuersa, aliquid substantiæ mutatæ manet, nam materia eadē est, sed tantum forma mutatur, vt dum terra in argentum, & aqua in cristallum mutatur. Fitque vt dum ex particula luti vel ceræ, subinde equum, subinde leonem effingis. Sed in admirabili hac conuersione post consecrationē, in hostia nihil substantiæ panis remanet, & in calice nihil substantiæ vini, nec materiæ nec formæ,

sed tota panis substantia in totum Christi corpus, & tota vini substantia in preciosum sanguinem conuertitur Ideoq; valde conuenienter & proprie Ecclesia (vt ait Concilium Tridentinum) ad totalem hãc conuersionem significandam vtitur hoc vocabulo Transsubstantiationis, quod indicat vnius substantiæ in aliam mutationem. Vt enim naturalis generatio proprie dicitur Transformatio, quod in ea forma mutetur; eodem modo in hoc sacramento, in quo quia tota panis & vini substantia in totam corporis & sanguinis Christi substantiam vertitur, bono iure Transsubstantiatio dicitur.

Concilium Tridentin. sess. 13. de sanctis. Eucharist sacram. c. 4.

Sic vt in hoc sacramento nihil substantiæ panis & vini remaneat, sed solum color, sapor, odor, & alia panis & vini accidentia, quæ species sacramentales dicuntur.

4. Accidentia hic esse sine subiecto.

Est & aliud mirandum quod in hoc sacramento elucet, quod accidentia hæc ibi sunt, & tamen in substantia & subiecto nullo sunt, quamuis accidentibus proprium sit, simul cum substantia esse, & eidem inhærere, vt in tota philosophia docetur. Certum enim est albedinem per se subsistere non posse, sed solum, simul & in aliqua substantia, vt & sapor & odor. Hic vero præter omnem ordinem naturalem, eadem panis & vini accidentia supernaturaliter subsistunt, quasi per se & in aere sustentarentur: nam panis & vini substantia ibi amplius non est, vt iam diximus. Et in Christi corpore & sanguine, quæ illi succedunt, hæc accidentia esse non possunt, hincque ea Deus per se sustentat continuo miraculo.

5. Hic sub speciebus esse totum Christum, vt in cælo est.

Insuper credendum in hoc sacramento sub speciebus & accidentibus rebus panis, non solum Christi corpus esse, sed totum Christum, verum Deum & verum hominem, vt in cælo est. Tali modo, vt in hostia simul cum corpore etiam sit Christi Domini nostri sanguine, & sanctissima anima & diuinitas. Eodem & in calice sub vini speciebus non solum est Christi sanguis, sed & corpus, & anima & diuinitas. Sed animaduertũt Theologi, omnia hæc ibi non esse eodem modo & ratione, sed aliqua hic esse consecrationis verborum virtute & efficacia, & alia via cõcomitantiæ & consecutionis. Hoc in sacramento esse dicitur ex verborum virtute & efficacia, quod ipsę verborum formæ, cõsecrationis virtute & energia, significatur & declaratur: hocque modo in hostia nihil aliud est, quam corpus Christi, nec in calice aliud, quam sanguis. Verba enim hoc faciunt, quod significant, hocque illud solum est, quod significant: Hic est sanguis meus. Illud vero dicitur esse via concomitantiæ seu consecutionis, quod simul cum eo est, quod explicatur & verbis declaratur. Et quod ad Christi corpus, non iam hoc solum est sed simul cum sanguine, & cum anima, & cum diuinitate, idcirco omnia hæc etiam in hostia sunt Et quia iam etiam sanguis non est solus, sed simul cum corpore, cum anima & cum diuinitate; etiam omnia hæc in calice sunt. Dum enim aliqua ita inter se coniuncta sunt, vbi vnum est, & alterum esse necesse est. Et hinc facile intelligere erit, quod dicant Theologi, si S. Petrus hoc triduo, quo Christus in sepulchro fuit, consecrasset, animam Christi in S. hoc sacramento non futuram fuisse, quod tũc corpori coniuncta non esset, sed solum corpus mortuum, vt in sepulchro erat, quamuis cum diuinitate vnitum, quæ illud nunquam reliquit. Eodem modo dum Christus die Cœnæ consecrabat, erat in sacramento Christus seruator noster, verus Deus & verus homo, quamuis passibilis & mortalis, vt tunc temporis erat. Sed iam in sacramento est viuus, gloriosus, à mortuis resuscitatus, immortalis & impassibilis, vt in cælis est.

Quamuis vero hoc se ita habeat, quod in hostia sanguis, & in calice corpus Christi Domini nostri sit, tamen conueniebat duas has distinctas consecrationes fieri, vnamquamque per se, vt sic magis ad viuum exprimeretur Christi passio, in qua sanguis à corpore seiunctus fuit. Idque causa est, quod huius mentio in eadem sanguinis consecratione fiat: *Qui pro vobis*

& pro

& pro multis effundetur. Præterea, quod hoc sacramentum institutum sit, ad nutriendum & sustentandum animas nostras, idcirco necesse fuit illud non solum in cibo, sed & in potu institui; quod perfectum corporis nutrimentum in his duobus consistat, vnum tamen hinc erui potest, ad eorum, qui sacerdotes non sunt, consolationem, quod quamuis sub duabus speciebus non communicant, vt illi qui Missam celebrant, sed tantum sub panis specie, ob multas & grauissimas rationes quas hic habuit Ecclesia, tamen hostiam recipientes, Christi corpus recipiunt simul & sanguinem animam & diuinitatem, nam integer & perfectus est sub singulis speciebus. Et dicunt Sancti & Theologi tantum illos gratiam recipere quantum Sacerdotes, qui sub vtraque specie communicant, si tam dispositi, quam hi, accedant. *Hilarius.* S. Hilarius ait, vt in manna, quod huius sanctissimi sacramenti figura fuit, nec ille qui plus colligebat, plus inueniebat, nec ille qui minus, minus habebat, *Exod. 16. 18.* vt sacer textus ait; eodem modo & in hoc S. Sacramento, nec ille, qui sub vtraque specie panis & vini, ideo plus recipit, nec ille qui tantum sub panis specie, ideo minus recipit, sed omnes huic sunt æquales.

6. Christum totum esse, etiam in qualibet parte hostia.

Aliud vero magnum in hoc sanctissimo sacramento miraculum est, quod Christus non solum integer est in tota hostia, & in toto calice, sed & in qualibet parte hostiæ & singulis vini speciei guttis & particulis tam integer est Christus, vt in tota est hostia, & tam integer, quàm est in cælo, quantumlibet parua & minuta sit particula, vt ex ipso Euangelio colligere est, nam Christus non consecrauit singulas buccellas & partes, quibus communicabant Apostoli, sed semel tantam panis quantitatem consecrauit, quæ diuisa singulis cõmunicandis sufficeret. Ideoque de calice expresse dicitur in Euangelio, quod Christus discipulis suis dederit dicens: *Accipite & diuidite inter vos.* *Luc. 22. 17.* Et non solum dum separatur & diuiditur hostia vel calix, sed etiam antequam diuidatur, est Christi corpus totum in tota hostia, & totum & integrum in tota specie vini, & totum ac integrum in qualibet eius parte. Aliqua in rerum natura sunt exempla & similitudines, quæ hic nobis aliquid lucis addere possunt. Nam & anima nostra tota est in toto corpore & tota in qualibet eius parte: & vox, quam exprimo, (quæ est similitudo à D. Augustino allata) tota est in tuis auribus, & tota in auribus singulorum. Et si speculum intueare, videbis in eo totam tuam figuram, quamuis paruum speculum sit, & te multo minus: & si speculum in multas particulas diuiseris, in singulis etiam partibus figuram tuam videbis, vt in toto speculo videbas. Huiusmodi & similia à Doctoribus & Sanctis exempla & similitudines adferuntur, vt hæc mysteria exponantur, quamuis nullum sit quod in omnib. simile sit, quamuis rem adiuuent & aliquid lucis addant.

Modus quo Christus in Eucharistia præsens est exemplis & similibus illustratur.

Augustinus.

Hicque aliud est mysterium, quòd quando hostia vel calix diuiditur & separatur, sola panis & vini accidentia diuiduntur & separantur, Christus vero non diuiditur nec separatur, sed integer manet in qualibet, etiam minima particula. Similiter & dum hostiam mandis, non Christum mandis nec frangis. Ait S. Hieronymus: *O humanorum illusio sensuum! franguntur illa, quæ humanis sensibus in te videntur accidentia: & tamen nec corrumperis nec frangeris: te dentes videntur masticare, velut panem materialem, & tamen nunquam masticaris perfectus & integer sub qualibet quantumcunque minima contineris particula,* & te integrum accipimus. Ideoque canit Ecclesia: *A sumente non concisus, non confractus, non diuisus, integer accipitur. Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura.* Contrarium hic nobis, quam in aliis conuiuiis, accidit, in quibus cibum non quadras nec vasa scindis, sed in diuina hac mensa non ita fit quadra & vas, quæ sunt accidentia, scinduntur, & manent integer cibus & substantia. Et aliis in mensis cibum sed non quadras & vasa comedis, sed in suprema hac mensa cibum edimus, qui tam sapidus est, vt cum illo quadram edamus.

Hier tom. 4. p. 35. & apud Euseb.

Omnia

Aug. tract. 1. ſuper Ioan.

Omnia hęc, quæ fides docet, nobis iam ad credendum & venerandum ſufficere debent, nec curioſe illa ſcrutari, & ſemper illi D. Auguſtini fundamento innitendum: *Demus aliquid Deum poſſe, quod nos fateamur illud inueſtigare non poſſe.* Hoc primum principium ſtatuendum, Deum plus poſſe, quam nos poſſumus capere. Nam vt Sancti aiunt, magna Dei opera non eſſent, ſi noſtra illa ratio & intellectus capere & comprehendere poſſet, ideoque fidei meritum eſt, credere quod non videmus. Præterea ſpeciale quid in hoc ſanctiſſimo eſt ſacramento, quod in aliis fidei myſteriis non reperitur: in aliis enim credimus quod non videmus, quod valde laudãdum: *Beati, qui non viderunt & crediderunt*: ſed hic non ſolum credendum, quod non videmus, ſed & contrarium eius, quod videmus. Secundum enim ſenſus noſtros videtur ibi panis & vinum eſſe, & tamen credendum ea ibi non eſſe. Fides quam de hoc myſterio habemus, ſimilis ei eſt, quam Abraham habuit quæ tam à S. Paulo Apoſtolo extollitur. *Qui contra ſpem in ſpem credidit.* Spes ſupernaturalis, naturalem diffidentiam ſuperat quam oculi videbant. Credebatur enim & ſperabat ſe filium habiturum, quamuis contrarium naturalis ſpes dictaret, nam ſecundum naturam habere non poterat, quod & ipſe & vxor ad multã ſenectutem perueniſſent, & poſt dum vellet filium ſecundum Dei mandatum offerre, ſperabat Deum promiſſionem ſuam impleturum, quam fecerat, quod in eo ſemen eius multiplicaret. Eodem modo & in hoc diuino ſacramento contrarium credimus, quam ſenſus nobis dictitant, ideoque magni meriti eſt, quod hic creditur. Dicebat Deus populo ſuo: *Mane panem comedetis, & veſperi vobis carnes dabo.* Mane vita hæc eſt, dat ſe nobis Deus ſub panis & vini ſpecie: adueniente vero veſpere, quo gloria ſignificatur, Chriſti carnem clare videre erit, quomodo & qua ratione hic continetur, tunc velum ſcindetur, cortinæ voluentur, & clare facie ad faciem omnia hæc videbimus.

Fides Euchariſtiæ non tantum ſuperat ſenſum ſed eidem etiam contrariatur.

Ioan. 20.29.

Rom. 4.18.

Gal. 16.12.

In prædictorum confirmationem multa authentica hic adferri poſſent miracula, nam huiuſmodi plenæ ſunt ſanctorum hiſtoriæ, ſed vnum ſolum attuliſſe contentus ero, quod habetur in Chronicis ordinis S. Hieronymi. Religioſus quidam nomine F. Petrus de Cauanuclas, qui poſtea fuit Prior de Guadalupe, valde fuit impugnatus à tentationibus circa fidem, præſertim huius ſanctiſſimi ſacramenti, dictante cogitatione qui fieri poſſit, vt ſanguis in hoſtia eſſet? & voluit illum Deus mirando quodam modo ab hac tentatione liberare: qui huiuſmodi fuit Celebrante illo ſacrum quodam die ſabbati de B. Virgine, & conſecratione peracta, cum ſe inclinaret vt diceret orationem hanc: *Supplices te rogemus*; videt nubem ſuperne deſcendentem & totum altare tegentem, in quo ſacris operabatur, tali modo vt ob nubis obſcuritatem & caliginem nec hoſtiam nec calicem videre poſſet. Cumque hoc caſu vehementer turbaretur, & maximo terrore corriperetur ob hæc, quæ videbat, Deo multis cum lachrymis ſupplicabat, vt hoc eum periculo erueret, & huius eventi cauſam aperiret. Illo plorante & perterrito paulatim nubes euanuit, & altari iam omni caligine libero, & reſpiciendo videt ſibi hoſtiam deeſſe, & calicem detectum & vacuum eſſe, nam & ſanguis ipſi ablatus eſt. Et tantus illum inuaſit timor & ſtupor, dum hæc videret, quod mortuo ſimilis eſſet, & ad ſe rediens cœpit maximo cum cordis dolore & copioſo lachrymarum imbre iterum Deo & ſanctiſſimæ eius Matri, cuius Miſſam celebrabat, ſupplex eſſe, ſi quod accidiſſet, eius cauſa contigiſſet, & eum eo periculo, cui ſe expoſitum videbat, eriperent. Quo angore exagitatus, vidit hoſtiam per aera in ſplendida patena poſitam deſcendere, & ſuper calicem collocari, ex qua ſtatim multæ ſanguinis guttæ cœperant in calicem defluere tanta quantitate, quæ ante in calice fuerat. Sanguinis vero fluxu ſiſtente cooperculum calici impoſitum, & hoſtia in eo altaris loco, quo ante poſita erat. Sacerdos obſtupeſ-

L. 2. c. 9. Chro. S. Hieronymi. Dubitans Religioſus de præſentia Chriſti ſub ſpeciebus vini miraculoſe confirmatur.

ceens, quod tanta videret myſteria, & neſciens quid ſibi agendum, vocem audiuit dicentem: Munere tuo fungere, & cela, quod vidiſti. Et nunquam poſt hanc tentationem ſenſit. Acolytus vel miniſter, qui inſeruiebat, nihil horum videbat, nec vocem audiebat, ſolum lachrymas Sacerdotis, & quod Miſſam plus ſolito produceret, animaduertebat. Quæ omnia prædicta ei⁹ manu ſcripta in ſchedula fuerunt inuenta in eius generali confeſſione. Quod in ſecreti ſignum, quod ei videbatur, factum fuit.

L.2 c.9. Chro. S. Hieronymi. Dubitans Religioſus de præſentia Christi ſub ſpeciebus vini miraculoſe confirmatur.

Capvt III.

Incipit agere de præparatione, quam excellentia & huius ſanctiſſimi Sacramenti dignitas requirit.

HANC eminentiam ſanctiſſimum hoc ſacramētum ſupra omnia alia habet, quod hic realiter & vere eſt ipſe Ieſus Chriſtus verus Deus & verus homo. Hinc omnium ſacramentorũ excellentiſſimũ eſt, quodq; maximos in anima noſtra gratias & effectus operatur. In aliis n. participes eius gratiæ, quæ illic communicatur, efficimur, ſed in hoc ipſius gratiæ fontis participes efficimur. In aliis quaſi ex riuis bibimus, qui ex fonte emanat, hic vero ex ipſo fonte bibimus, accipimus n. ipſum Chriſtum verũ Deum & hominem. Hincque ſacramentum hoc *Euchariſtia* dicitur, quod hic omne bonum & gratiæ principium ſitum ſit. Ideoque hoc ipſe Dei filius datur, qui vere gratia & donum hominib. datum, pro incarnationis myſterio nominatur. Eandem ob cauſam per Antonomaſiam Communio dicitur, ſecundum quod S. Lucas ait in actis Apoſtolorum de fidelibus: *Erant perſeuerantes in communicatione fractionis panis.* Accipientes enim hoc ſacramentum participamus ſummo & maximo omnium bono, qui eſt Deus, & cum eo omnibus ſpiritualibus bonis & gratiis. *Act. 2. 42.*

Nobis dando ſuum corpus & ſanguinem nos participes reddit omnium theſaurorum, quos ſancta carne ſanguine precioſo acquiſiuit. Quamuis & communio dicat, ꝙ fideles ſibi inuicem vniat & coniungat, nam oẽs vnum cibũ & menſam accipientes, cõmunicamus & coniungimur, & vnũ quid efficimur, ſaltem fide & religione, & quaſi vnũ corpus efficimur, ſecũdũ illud D Pauli: *vnus panis, vnum corpus, multi ſumus, oẽs qui de vno pane participamus.* Hincque eſt, quod S. Auguſt. dicat, Chriſtum hoc Sacramentum ideo ſub panis & vini ſpecieb. inſtituiſſe, vt indicaret, quod vt panis ex multis tritici granis conficitur, q̃ in vnum colliguntur, & vinum ex multis vuarũ granis, eodem modo ex multis fidelib. qui hoc ſacramento communicat & participant, vnum fit corpus myſticum. S. Ioan. Damaſc. hoc ſacramentum comparat prunæ illi ignitæ, qua vnus Seraphim labia Eſaiæ prophetę inundauit, & oẽs imperfectiones ſuſtulit. Eodem modo (dicit) & cibus hic cæleſtis, quod diuinitati vnitus ſit, quæ ignis eſt conſumens: *Deus noſter ignis conſumens:* omnes noſtras imperfectiones & iniquitates conſumit, & donis & ſpiritualibus replet bonis. Denique Euangelicum illud conuiuium eſt, quo Deus iubet inuitatis dici: *Ecce prandium meum paratum, tauri mei & altilia occiſa ſunt, & omnia parata.* Quod dicit omnia parata indicat, nos in ſacro hoc conuiuio omnia habere, quæ poſſunt deſiderari. Idcirco Propheta de hoc cibo dicebat: *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.* Non explicat, quid hic paratum ſit, tantum enim bonum, quod hic continetur, eſt, vt verbis exprimi nequeat. Hinc merito exclamat Eccleſia: *O ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloria nobis pignus datur.* Nomen hoc conuiuium lætitiam & delectationem, abundantiam & ſaturitatem exprimit, quæ in eo ſunt. O ſacrum conuiuium in quo recolitur memoria paſſionis & amoris illius exceſſus, quo Deus nos proſecutus eſt, & pro nobis ſe morti tradidit, & morti quidem crucis.

1. Cor. 10. 17. *Iſa. 6. 6.* *Deut. 4. 24. Heb. 12. 19.* *Pſal. 67. 22.*

O sacrum conuiuium, in quo anima nostra saturatur, & gratia impletur. O sacrũ cõuiuium, in quo nobis gloriȩ pignus datur, & tale quidem, vt ab eo, quod post dabitur, non distinguatur, cuiusmodi hic pignora esse solent, sed ipsemet Deus, qui præmium nostrum erit, seipsum dat in hoc conuiuio, quamuis tecte, & in hoc gloriæ conuiuio & cœna, ipse manifestus est. Quod tanta sit huius sanctissimi sacramenti excellentia, & tanta Domini eius maiestas, qui hic recipitur, accurata sine & magna præparatio & dispositio requiritur. Dum Regius Propheta de templo Hierosolymis ædificando ageret, aiebat: *Opus namque grande est: neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* Et quamuis multum auri, argẽti, & lapidum preciosorum collegerat, nullius erpõderis videbatur. Quæ omnia ad templi ędificationem, in quo Arca ponenda erat, destinabantur, in qua manna huius diuini sacramẽti figura continebatur. Quid ergo præparationis necessarium erit ad illud templum & habitationem, in qua personaliter ipse Deus nobis recipiendus est, quæ tãto maior esse debet, quanto figuratũ figura antecellit, & viuum puto? Prȩter id vero, quod tãti Domini Maiestati debetur; nostra plurimum interest, exacte præparatos esse, vt hoc sanctissimum sacramẽtum sumamus. Qualis enim præparatio & dispositio fuerit, talis & gratia, quam recipiemus, erit. Vt ille, qui ad fontem aquam haustum vadit, tantum aquæ haurit, quantum vas, quod attulit, capere potest. Quod vt cuiq; manifestius fiat, aduertunt hoc Theologi, quod non solum quis maiorẽ recipiat gratiam secundum maius actuum & bonorum operum meritum, quib. ad hoc sacramentum sumendum accedit: quæ vocant, *ex opere operantis*, qui Concilii Tridẽtini loquẽdi modus est, sed & gratiam sacramentalem, quam præterea sacramentũ ex se dat, secundum priuilegium & diuinam institutionẽ, quam vocant, *ex opere operato*, quæ tanto maior erit, quanto maior fuerit dispositio, qua ad sacramentum hoc acceditur: Deus enim gratiæ opera secũdum naturæ cõformitatem operatur. Et in natura videre est, omnia ibi operari secũdum subiecti dispositionem, quæ in eo reperitur: hincque videri est ignem statim lignum siccum accendere, si vero siccum non sit, tardius inflammatur, sic vt secundum siccitatis gradus, erit & ignis operatio, eodem modo & in hoc diuino sit sacramento, quam ob causam nostra quam plurimum refert, quam optime prȩparatos accedere.

Necessitas præparationis ad Eucharistiam ex eiusdem excellentia demonstratur.

1. Parali. 29. 1

Gratia quæ in hoc Sacramento percipitur dispositioni respondet.

Conc. Trident. sess. 7. c. 8.

CAPVT IV.

De munditie & puritate non solum mortalium, sed & venialium criminum, qua ad sacrosanctam Communionem nobis accedendum est.

De tribus hic præsertim agemus. Primo de dispositione & præparatione necessaria ad hoc sanctissimũ sumendũ sacramẽtum. Secundo quid nobis post sumptionẽ facto opus, & qualis gratiarũ actio esse debeat. Tertio quid fructus & cõmodi ex sacrosancta Communione colligendum. Quod ad primũ attinet: dispositio & præparatio hic requisita multo maior q̃ in aliis sacramentis esse debet. quo n. excellentiora sint sacramenta; tanto & maiorẽ requirunt prȩparationẽ ad recipiendum & puritatem. Hincque aliqua sunt sacramẽta, ad quæ recipienda so ũ requiritur dolor, & vera peccatorum contritio, & non peccatorum confessio. Hoc vero diuinum sacramentum tantæ est dignitatis & excellentiæ quod sub eo lateat Deus ipse, quod prȩter prædicta aliud sacramentũ requirat pro dispositione, q̃ est Confessionis sacramentum, dum aliquod præcessit mortale peccatum. Tali modo vt non sufficiat dolore & criminum contritione accedere, sed præter hęc & cõfessionẽ prȩcedere necesse est, vt decreuit Concilium Tridentinum secundũ illud S. Apost. Pauli: *Probet a. seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de cali-*

Confessio sacramentalis communioni præmittenda.

Concil. Trid. sess. 13. c. 7. 1. Acto. 11. 28.

alice bibat. Quæ verba hoc modo à Concilio exponũtur: vt necesse sit, vt quis probatus & Confessionis examine & iudicio examinatᵘ accedat. Quæ dispositio & præparatio omnibus Christiani, sub mortalis peccati pœna necessaria est, & illa ad gratiam in sacramento recipiendam sufficit.

Et licet verũ sit, quod ob venialia peccata & alios defectus & imperfectiones, quæ mortalia peccata nõ sunt, homo ipso facto huius sanctissimi sacramenti gratiam non amittat, sed gratiæ augmentum recipiat, vt aiunt Theologi, perdit tamen copiosum & abundantem illum gratiarũ & virtutum, & aliorum admirabilium effectuum fructum, quem in mundioribus & puriorib. & deuotis animis operari solet: licet enim peccata venialia charitatẽ non tollant, tamen feruorem extinguunt, & deuotionẽ minuunt, quæ maxime propria dispositio est, quę ad diuinum hoc sacramentum requiritur. Si ergo participes copiosi fructus esse velimus, quo frui solent, qui vt debent, ad Communionẽ accedũt, necesse est mũdos nos esse, non solũ à mortalib. sed & venialib. peccatis. Ideoque & ipse Iesus Christus eandem nos dispositionem lotione illa discipulorum pedum, quam præmisit, edocuit, vt nos certiores redderet, vt ait S. Bernardus, de mũditia & puritate, qua nobis ad hoc sanctissimum sacramentum accedendum est, nõ solum lethalium, sed & venialium peccatorum, qui puluis est, qui pedibus nostris adhærere solet.

Ioan. 13. 5.

Bern. serm. de Cœna Dom.

Munditia cõmunicaturo necessaria.

S. Dionysius Areopagita ait, Dominum non solum venialium peccatorum, sed & aliorum defectuum & imperfectionum munditiem hoc exemplo requirere, *Exigit, inquit, extremam munditiam:* ad quod probandum adfert illam sanctam ceremoniam, qua Ecclesia in Missa vtitur, dum sacerdos manus lauat, antequam sacrosanctum hoc offerat sacrificium. Et exacte discutit, quod nõ totas manus, sed solum digitorum extremitates lauet; vt intelligatur nos nõ solum à grauioribus, sed & leuioribus, & defectib. & imperfectionibus mundos esse debere. Si Nabuchodonosor mandabat, vt pueros eligerent: *In quibus nulla esset macula,* puros & mũdos & pulchros, qui cibis mensæ suæ alerentur & educarent, quanto æquius nos Regiam hanc mensam & diuinã cum maxima mũditie & puritate adire. Et quia Angelorum panis est, & nobis Angelica puritate est sumendus. Refert Petrus Cluniacensis de Sacerdote quodã in partibus Teutonicis, qui prius bonæ & sanctæ vitæ lapsus est in turpe & inhonestã peccatum, & peccato peccatũ addens audebat altare accedere ad Missam dicendã, sine prę uia emẽdatione vel confessione. Qui error eorũ qui ante bene vixerũt, esse solet, vt si post in erubescendũ ꝙ peccatum inciderint, non audeant id cõfiteri, nec Communione abstinere, ne existimatione & opinione, q̃ ante apud hoẽs habebant, excidant. Superbia excæcantur. Hunc Deus vt pater misericorditer punire voluit, quodã negotio, ꝙ ei oculos aperuit, quod tale fuit: Dum hostiam in manu haberet, vt sumeret, ex iisdem euanuit, vt & sanguis in calice eodẽque die non cõmunicauit, quo illo facto valde cõfusus & obstupefactus fuit. Quod & postea bis illi accidit, volens Missam dicendo experiri, an Deus idem indignationis signum, vt ante, illi exhibiturus esset. Quo cognouit, quantum suum esset peccatum, & quam iuste contra se Dei iram excitasset. Et lachrymis perfusus se ad Episcopi pedes abiecit, & magno cũ dolore & cordis gemitu illi, quid sibi accidisset, refert, & ei cõfessus, & pœnitentia ab eo accepta, q̃ ieiunia, disciplinas & alias requirebat asperitates, multoq; tempore ea exercuit, nec ausus amplius Missam celebrare, donec Prælatus & Pastor ei mãdauit & ad hoc licentiam cõcessit, ꝙ videretur iam pro peccatis Deo fecisse satis. Mirum porro fuit, quod illi in prima Missa accidit, q̃ dixit, quod maiore eius parte multis cum lachrymis & dolore peracta volenti S. sacramentum sumere, tres illæ apparuerunt hostiæ, quæ ante ob eius indignitatem disparuerunt, & in calice omnis ille sanguis inuentus sit. Quo facto Deum indicare voluisse certum

Dan. 1. 4.

Pet. Clunia. l. 1 de mirac. c. 2. Sacerdos cum peccatis celebrans à Deo punitur.

est, peccata ipsi demissa esse. Cui misericordiæ magnam exhibuit gratitudinem, & magno cum gaudio etiam tres illas hostias sumpsit, & post in valde perfecta vita perseuerauit. Quod Petrus Cluniacẽsis dicit ab Episcopo Claremontano in multorum præsentia relatũ esse. Cæsarius in suis dialogis simile refert exemplum.

Cæsar. l. 2. dialog. c. 5.

CAPVT V.

De alia magis particulari dispositione & præparatione, qua ad sanctissimum hoc sacramentum nobis accedendum est.

VT quis perfecte admirabilibus fructibus, quos secum hoc diuinum sacramentum adducit, fruatur, dicant sancti & spiritualis vitæ magistri alia nobis magis particulari dispositione & præparatione opus est, videlicet actuali deuotione. Idcirco hic exponemus, quænam sit hæc deuotio, & quanã ratione in nobis excitabimus. Ad hanc dicant nobis sacrã Communionem adeundã esse primo summa cum humilitate & reuerentia: secũdo maximo cum amore & fiducia: tertio maxima cum fame & desiderio huius cælestis panis. Ad tria hæc reduci possunt omne genus affectus, quibus actualis deuotio excitari potest, tam ante huius sacramenti sumptionem, q̃ ipso Communionis tempore, & post eadem. Ad quod docendum oẽs libri cõsiderationum pleni sunt, quæ valde diffusæ & extensæ sunt, hincque solum aliquas tangemus, quæ magis cõsuetæ & ordinariæ & vtiliores sunt: viam ostendentes quo quis hoc fundamento innixus per se possit discurrere. Quod ei vtilius erit, secundum quod in libro exercitiorum spiritualium docetur.

Deuotio actualis ante Communionem procuranda.

D Ignat. l. exerc. spirit. in annot. in prin. posit annot. 2.

Primum ergo ad sanctissimum hoc sacramentũ nobis accedẽdum summa cum humilitate & reuerentia. Quæ in anima nostra excitabit, si vna ex parte supremã illam Maiestatem & Dei magnitudinem, quę vere in hoc sanctissimo sacramẽto est, inspiciamus, quodque ille idem Dominus est, qui sola sua volũtate creauit, cõseruat & gubernat cælum & terram, & sola eadẽ potest omnia ad nihilum redigere: coram quo Angeli & altissimæ Seraphim alas cõtrahunt, tremunt & contremiscunt cum profundissima reuerentia. *Columnæ cæli cõtremiscunt, & pauent ad nutum eius.* Et inde oculos in nos ipsos retorqueamus, nostrã abiectionem & miseriam attendentes. Sicque aliquando accedere poterimus Euangelici illius publicani animo, qui ad altare non audebat accedere, nec oculos ad cælum leuare, sed à longe stans magna cũ humilitate pectus tundebat dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Alias verbis filii prodigi accedere poterimus: *Domine peccaui in cælum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus, sed fac me sicut vnum ex mercenariis tuis.* Alias verbis illis S. Elisabeth: *Et vnde hoc mihi?* vt supra dictũ est. valde etiam conduxerit, cum attentione aduertere verba illa, quæ Ecclesia instituit tempore Cõmunionis recitanda ex Euangelio decerpta: *Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea.* Domine debilis sum & infirmus, sed ideo ad te venio, vt me sanes & confirmes, tu enim dixisti: *Non est sanis medicus opus, sed male habentibus*, quorum causa præsertim venisti.

Humilitas & reuerentia excitanda.

Iob. 26. 11. *Luc. 18. 13.* *Luc. 15. 18. & 19.* *Cap. 1. Luc. 1. 43.* *Matth. 8. 8.* *Matth. 9. 12.*

Eusebius S. Hieronymi obitum describens, in quo aderat, cuiusque fuit discipulus, dicit, quod dum iam sanctus ille sanctissimum hoc sacramentum sumpturus erat, vna ex parte Dei Maiestatem & immensam bonitatem miratus, altera vero ex parte oculos in se reflectens, dixerit. *Cur nunc tantum te humilias, vt patiaris ad hominem descendere publicanum & peccatorem: & non solum cum illo manducare vis, sed & te ipsum manducari ab illo iubes?* Secundo Regum libro dicit sacer textus, Dauid Miphiboseth filio Ionathæ dixisse: Tu

Hieronymus. *2. Reg. 9. 7.*

Tu comedes panem in mensa mea semper. Qui respondit: *Quis ego sum seruus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similē mei.* Si hoc dixerit Mephiboseth quod ad Regis mensam inuitaretur, quid hominem ad Dei mensam inuitatum dicere fas erit? Et quandoquidem ad diuinum hoc Sacramentum debita cum dispositione accedere non possumus, suppleamus defectus nostros humilitate & reuerentia, & cum Regio Propheta Dauid dicamus: *Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Et cum S. Iob: *Quid est homo, quia magnificas eum?* Merito miratur & dicit Ecclesia: *O res mirabilis: manducat Dominum pauper seruus & humilis,* & in pectore sumit Deum & Dominum suum, cæli & terræ Creatorem.

Psal. 8. 5. Iob 7. 17.

Secundo nobis ad hoc sanctissimum Sacramentum accedendum summo amore & fiducia. Vt hic in nobis affectus excitetur, bonitas, misericordia & infinita Dei charitas consideranda, qui tam hic elucet, vt initio diximus. Quis enim non eum amabit, qui tam nos amauit? Quis illi non fidet, qui tanto nos beneficio affecit? Qui seipsum nobis dedit, quid nobis non est daturus? Recte ait S. Chrysostomus: *Quis pastor oues proprio pascit cruore. Et quid dico pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolores filios alijs tradunt nutricibus: hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat.*

2. Amor & Fiducia.

Cap. 1.

Chrys. hom. 6. ad popul. & hom. 8. & 3. in Matth.

Tertium, quod hoc sanctissimum Sacramentum requirit, est, vt magna cum esurie & cupiditate accedamus. *Panis iste* (ait S. Augustinus) *esuriem quærit hominis interioris.* Vt cibus corporalis tunc temporis vtilis esse videtur, quando cum fame comeditur, eodem modo & diuinus hic cibus vtilis erit, si anima ad illum magna cum fame accesserit, cupida se Deo vniendi, & aliquod singulare donum & gratiam ab eo impetrandi. *Et animam esurientem satiauit bonis.* Idem Angelorum Regina affirmat in cantico: *Esurientes impleuit bonis.* Ad hanc esuriem & desiderium excitanda multam proderit vna ex parte considerare extremam nostram cupiditatem, & altera ex parte mirabiles effectus, quos sanctissimum hoc Sacramentum profert, vt Christus Redemptor noster apud homines ambulans, omnes ad se venientes ab omnibus curabat infirmitatibus, nec legitur vnquam vlli sanitatem petenti negasse. Accessit ad illum mulier illa, quæ sanguinis fluxum patiebatur, & tangit fimbriam vestimenti eius, & statim sanata est. Venit ad pedes eius peccatrix illa Euangelica, & remissionem impetrat, veniunt ad illum leprosi, & mundantur, accedunt à diaboli obsessi, cæci, & paralytici, & omnes curantur & sanantur. *Quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Idem faciet & hoc sanctissimum Sacramentum, si hac cum fame & desiderio accedamus, quod idem sit, qui tunc temporis erat, & conditionem non mutauerit.

3. Desiderium huius cibi.

Augustin.

Psal. 108. 9.

Luc. 1. 53.

Luc. 8. 19.

Caput VI.

In quo aliæ considerationes & modi se ad sacram communionem præparandi vtiles ponuntur.

Inter alias considerationes, quibus nos ad sacram communionem parare possumus, valde apta & propria est passionis Christi memoria, amoris illius immensitatem, quo Dei filius se pro nobis in Cruce obtulit, considerando. Præcipua enim ratio, ob quam Christus Seruator noster hoc diuinum instituit Sacramentum, hæc fuit, vt nobis semper præsens esset, & quasi in mente viueret passionis eius memoria. Ideoque iussit, vt quoties hoc sumeretur, eius recordaremur, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod & nobis repetit & inculcat S. Apostolus Paulus: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Et ideo S. Bonauentura

Consideratio passionis Christi ad Eucharistiam suscipiendam præparat.

Luc. 22. 15.

1. Cor. 11. 24. & 26.

Bonau. de præparat. ad Missam c. 6. Et in fascicu. c. 8.

uentura multum hanc deuotionem suadet, vt quotiescunq; sacram Communionem adimus, mysterium aliquod passionis meditemur, & dicit se sic solitum fuisse: eoq; ipso *Liquefiebat anima eius* Dei amore. Dicitq; S. Chrysostomus, quod qui ad sacram Communionem accedit, sibi persuadere debeat, se quoties communicat, in Christi lateris vulnere totiesque applicare, & sanguinem sugere, participemque fieri eius, quod ille nobis eo ipso impetrauit. S. Catharina Senensis communicans sibi persuadebat, se ad matris vbera ire, vt dum infans erat. Alij, quod summum hoc Sacramentum Christi passionis memoria sit, in cogitatione defigunt Christum crucifixum, & cor suum Caluariæ montem imaginantur, & ibi Domini crucem erigunt, & illam amplexantes in se sanguinis guttas ex illa defluentes colligant. Alij imaginantur se præsentes esse in cœna illa, quam Christus Redemptor noster cum discipulis nocte passionis habuit, quasi inter Apostolos recumberent, & ex eius manu sacrum corpus & sanguinem reciperent. Et hæc non solum consideratio & cœnæ illius repræsentatio est, sed reipsa ipsissima mensa, ipsum conuiuium, & ipse Dominus est, qui tunc temporis Apostolis suis corpus & sanguinem dedit, idem ipse nobis idem dat, & eodem amore, quo tunc temporis dedit.

Cant. 5. 6.
Chrysost.

Considerandū in Euchar. quis, ad quem & quo fine veniat.

Bona præterea est præparatio, se sequentium punctorum consideratione exercere. Primum: quis sit Dominus ille, qui venit: qui est omnium rerum Creator cæli & terræ Dominus, infinitæ Maiestatis & perfectionis Deus. Secundum: ad quæ venit: ad me venit, qui sum puluis & cinis, qui sæpius illum valde offendi. Tertium: quare venit, vt mihi passionis suæ fructum & preciosissima gratiæ suæ dona cōmunicet. Quartum: quid illum venire moueat? non proprium commodum, nam omnium rerum Dominus est, & nullus indiget: sed purus putus amor & desiderium, vt anima mea salua fiat, & gratiæ eius semper particeps sit. Quintum debet se quilibet in tribus virtutibus Theologicis fide, spe & charitate exercere.

Et quia nos digne ad tantum Dominum accipiendum præparare non possumus, nisi ille dederit petendum nobis est, vt ille nos disponat & animam nostram ornet humilitate, munditia, amore & debita reuerentia, proponendo illi vulgarem illam rationem: Domine si quis potens & diues Rex diuertere vellet ad pauperem viduam, non exspectaret, donec illa ei parasset palatium, in quo quiesceret, sed designatorem hospitiorum præmitteret & famulos, qui id præpararent. Idem ergo & tu fac in anima mea paupere, quandoquidem ad eam diuertis, præmitte Domine designatorem tuum & Angelos tuos, vt habitationem hanc componant & exornent, quæ tam fuit sordida, & tam plena aranearum telis & peccatis, & faciant eam te dignam habitationem. Nosque ad sanctissimam virginem & sanctos nostros patronos conuertentes humiliter eos rogemus, vt nobis hanc petitionis satisfactionem impetrent.

Præter has præparationes, addemus & aliam facilem & vtilem, & multis magnæ consolationi futuram. Si hoc feruore te potiri non contigerit, & tanto non inflammeris quo velles, desiderio, quodque tanto Domino excipiendo conueniret, exercete ista volūtate & desiderio habendo, & hoc ipso defectus istes supplebis, Deus enim cor adspicit, & quod desideratur à te, recipies, quasi illud haberes, secundum illud Prophetæ: *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationē cordis eorum audiuit auris tua.* Dicit Blosius hanc deuotionem & præparationem à Deo doctam fuisse S. Mechtildem, nam quodam tempore dicebat illi Dominus: Dum tibi sacra sumenda est communio, desidera ad nominis mei gloriam habere omne desiderium & amorem, quo aliquo tempore ad me maxime incensum cor arsit, & hoc modo me accedere poteris, oculos enim in amorem illum defigam,

Præparatio ad Communionem optima desiderium incensum Christum digne suscipiendi in se excitare.

Psal. 9. 38.

Ludouic. Blosius cap. 6. monilis spiritualis.

Blosius vbi supra.

figam, eumque recipiam, secundum id, quod habere desideras. Idem & de S. Gertrude refertur. Quæ volens quodam tempore S. Sacramentum sumere, & valde anxia esset, quod tam sibi non videretur ad id parata, rogabat sanctissimam virginem & omnes Sanctos, vt Deo pro illa omnem præparationem & merita offerrent, quæ quisque eorum aliquo tempore habuerat, ad idem recipiendum. Hinc illi dixit Dominus: *Iam vero omnibus cæli ciuibus appares in eo ornatu, quem tibi petisti.* Sic vt optima dispositio & præparatio foret, desiderare sanctissimum hoc Sacramentum recipere tanto eam feruore & amore, quo sancti ad idem accedebant, & cupere & Deum petere, vt, quod nobis deest, meritis & virtutibus Iesu Christi & sanctorum suppleat. Hocque ipso vti in gratiarum actione poterimus, vt post dicemus.

Cap. sequenti.

His & similibus considerationibus in nobis excitanda est actualis deuotio, qua sancti docent ad sacram Communionem nobis accedendum esse, aliquando vna, aliquando alia consideratione, prout cuilibet magis expedire videbitur. Animaduertendum tamen est, vt nos hoc modo præparemus, & faciamus, ad quod obligamur, necesse esse, vt tempus aliquod huic negocio insumamus. Pater noster Franciscus de Borla in tractatu, quem composuit de præparatione ad sacram Communionem, tres dies ante Communionem assignat ad se præparandum, & tres dies post eandem ad gratiarum actionem, & multas considerationes & exercitia, ad se his diebus occupandum, ponit. Essetque illud valde vtile medium, vt quis tota hebdomade deuotioni incumberet & se colligeret, partim spe tantum Dominum recipiendi, partim accepti beneficii memoria. Nam solum cogitare, Cras est mihi communicandum: vel recordari: hodie vel heri communicaui, sufficit ad se colligendum. Si tamen non tantum tempus esset, quod huic præparationi impenditur, saltem fas est illum, cui est communicandum, orationem vel illius partem alicui vel aliquibus prædictarum considerationum impendere. Ad quod multum proderit, vt nocte communionem præcedente, dum cubitum itur, hac nos cogitatione occupemus: Cras mihi communicandum est, & quoties è somno expergiscimur, eadem cogitatio surrepat: vtq; mane oculis vix apertis illa statim nos inuadat. Si enim Pater idem ad cuiusq; diei orationem in animaduersionibus requirit, quanto æquius id fieri eo die, quo tantum Sacramentum nobis sumendum est?

Franciscus de Borla.

Ignat. l exerc. spiritual. in addit. primæ hebdomadæ.

CAPVT VII.

Quid nobis post diuini huius Sacramenti sumptionem seruandum, & qualis esse gratiarum actio debeat.

VT ante pastum valde vtile esse solet aliquod corporis exercitium, quo calor naturalis excitetur, eodem modo & ante Communioné profuerit, aliquod meditationis & considerationis habuisse exercitium, vt animæ calor qui est deuotio & amor, excitetur, de quo iam dictum est. Eodem modo est post pastũ conuersari cum aliquo & colloqui valde salubre est, vt & erit post diuinum hunc pastum, de quo iam agemus. Hoc commodissimum tempus est ad cum Deo agendum, & in corde nostro amplexandum. Ideoq; necesse, vt eo vti nouerimus, & ne inutiliter illud elabi sinamus, & nec quidem minimam eius particulam: *Non defrauderis à die bono. Et particula boni doni non te prætereat.* Tempus hoc consideracionibus & similibus affectibus, de quibus ante diximus Communionem præcedere debere, impendendum est. Et præsertim nos occupare debemus primũ laudibus & gratiarum actionibus pro omnibus beneficiis acceptis, pcipue pro inæstimabili illo nostrę redemptionis beneficio, & eo, ꝙ nobis hic exhibet seipsum dando; & in viscera nostra penetrãdo. Et quãdoquidem

Eccl. 14. 14.

Post Communionem primo gratiæ Deo agendæ.

dem dignas pro tam eximio beneficio reddere gratias non possumus, in insufficientiæ nostræ supplementum offerendæ Deo omnes gratiæ & laudes omnium Seraphim & Angelorum ab ipsis mundi primordijs, & omnium sanctorum, quas in mundo, dum viuerent, & iam in gloria ipsi concinant, & quas illi in omnem æternitatem daturi sunt, & voces nostræ illis iungendæ, capientes illum omnium cordibus & linguis laudare. *Cum quibus & nostras voces vt admitti iubeas, deprecamur.* Et inuitandæ omnes creaturæ, vt
Psal. 33. 4. nos hic adiuuent: *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.* Et quia nec omnia hæc prædicta sufficiunt, vt debite Deus laudetur, nam omni laude maior est, nobis optandum & desiderandum est, vt ipse se amet & laudet, nam ipse se sufficienter amare & laudare poterit.

2. Amoris actus excitandi. Secundo tempus hoc amoris actibus impendendum: nam hic præsertim locum habet sanctarum inspirationum exercitium, quæ nihil aliud sunt, quam certi quidam amoris actus & interna desideria summi illius boni, cuiusmodi erant illa
Psal. 17. 1. Prophetæ, dum diceret: *Diligam te Do-*
Psal. 41. 2. *mine fortitudo mea. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.*

3. Petitiones instituendæ. Tertio, tempus hoc impendendum petitionibus, tempus enim negociis nostris expediundis peroportunum est, & ad à Deo gratiam obtinendam. Refert S.
Esther 5. 8. & 6. 7. 3. Scriptura de Regina Esther, quod noluerit Regi Assuero suam exponere petitionem, sed petierit, vt Rex ad conuiuium veniret, quod parauerat, & quod tunc petitionem declararet. Quod & factum fuit, & illic impetrauit, quod voluit. Idem & in hoc fit conuiuio, in quo Rex Regum inuitatus est, vel potius nos ab eo inuitati, hic impetrabimus, quicquid petemus.
1. Reg. 25. 8. *In die enim bona venimus.* & dicere possu-
Gen. 32. 26. mus, quod Iacob cum Deo luctans: *Non*
Luc. 19. 9. *dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Dum
Psal. 34. 3. Zachæi intrares domum, dixisti: *Hodie salus domui huic facta est.* Dic iam Domine, idem de domo hac, quam intrasti. *Dic animæ meæ: salus tua ego sum.*

Hic à Deo petere licet peccatorum veniam, fortitudinem ad passiones nostras superandas, & tentationibus resistendũ, gratiam ad virtutes parandas, humilitatem, obedientiam, patientiam, perseuerantiam. Et non solum sibi hæc petenda, sed & pro Ecclesiæ necessitatibus rogandum, tam generalibus, quam specialibus, pro summo Pontifice, pro Rege, & illis, qui Reipublicæ Christianæ præsunt tam in spirituali, quam sæculari, & aliis particularibus, quibus obligati vel deuoti sumus, eodem modo, quo in Missæ si- *Cap. 5.*
lentio fit, vt post dicemus.

CAPVT VIII.

De alio modo gratiarum actionis.

ALiqui sequenti modo post sanctam Communionem gratias agunt, considerant Christum Dominum nostrum suis in visceribus, quasi quodam lectulo & throno, & inuitant omnes suas potentias & sensus, vt eum Regem & Dominum suum agnoscant & venerentur, vt quis habens in suo hospitio vel domo magnatem aliquem, qui ad se diuertit, vocat omnes filios, vt præsentes illum venerentur & agnoscant. Et vnoquoque sensuum suorum tria efficiunt, primo gratias agendo, quod talem potentiam vel *Piæ considerationes post Communionem.*
sensum dederit, secundo, se accusant & dolent, illo se non esse vsos, ad quod Dominus illum dederat, tertio auxilium & gratiam peccãt, ad se post emendandum. Quę bona & valde vtilis gratiarum actionis forma est, & est primus trium forma- *P. Ignat. l. spiritual. exercit.*
rum orandi, quas Pater noster in spiritualium exercitiorum libro assignat.

Alij imaginantur se in omnibus sensibus & potentijs infirmos, quod Christus *Psal. 102. 3.*
medicus sit, *Qui sanat omnes infirmitates tuas*, per omnes illum ducunt, quasi qui medicum per nosocomium, rogantes:

Domine

Ioan. 11. 34. *Domine veni ad fide* infirmos hos oculos, hanc linguam &c. & mei miserere & sana me. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana animam meam, quia peccaui tibi.* *Psal. 6. 3.* *Psal. 40. 5.*

Aduertendum hic vt actum horum exercitiorum & similium hoc tempore nobis paremus, non opus esse loci compositionem fingere, nec extra nos quærere, quod præsentem & in nobis habeamus ipsum Iesum Christum, non solum secundum diuinitatis, quę omni in loco est, sed & secundum sanctissimæ eius humanitatis præsentiã, quę realiter in nostris est visceribus, quamdiu durant sacramentales species, quod fit, quã diu integra est panis substantia. *Cap. 5.* Si ergo Christi imaginẽ adspicientes ad orationẽ colligimur & excitamur, quid fiet, si ipsum Christũ adspiciamus, qui hic adest, nõ in effigie, vt in Crucifixo, sed in ꝓpria persona? Sicq; vnicuique conandũ vt in se reflectatur, considerando intra se Christũ, vt sanctissima Angelorum Regina faciebat, dum illum in vtero gestabat, & ibi cum dilecto suo agat, dicendo cum sponso: *Inueni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* *Cant. 3. 4.*

Caiet. Gabriel in mor Paludanus & alii, quos refert P. F. Suares to. 3. in 3 p disput. 63. sect. di. ens esse valde probabile. c. 3.

Vt vero maiore cum animo nitamur eum tenere, & plus temporis gratiarum actioni impendere, multum adferre subsidium poterit, quod aliqui ponunt Theologi, quod toto eo tempore, quo species sacramentales durant, & Christi realis præsentia in visceribus nostris est, quo plus se similibus actibus plus exercuerit, tanto maiorem recepturus sit gratiam, non solum ob maius actuum meritum, quod dicunt, *Ex opere operantis*, sed & *ex opere operato*, ob sacramenti virtutem eo modo, quem posuimus, dum de dispositione ageremus.

Vnde videre est, quam male faciunt, qui hoc tempus, quo tanta sibi possent acquirere, elabi sinunt, & tanto hospite domi suæ excepto, statim dorsum illi obuertunt, & vix illo vno ostio intrante, ipsi alio exeunt, nec cum illo humaniter agunt. Si apud nos inciuile censeretur, si graui aliquo hospite domi suæ recepto illi nullus loqueretur, nec officium offerret quid fiet, si tam inciuiliter cum tanto hoc hospite agatur? *Surius.* Narrat Surius de S. Margarita Hungarorum Regis filia, quod cum sequenti die illi communicandum erat, præcedenti non alio, quam pane & aqua victitabat, ob cibi illius cælestis reuerentiam, & totam noctem insomnem in oratione ducebat, communione vero peracta, totum illum diem orando transigebat ad vesperam vsque, qua aliquid cibi sumebat.

Capvt IX.

De fructu ex sancta Communione colligendo.

VIrtutes & admirandos effectus, quos sancti de diuino hoc Sacramento adferunt, non solum faciunt, ad declarandam eiusdem excellentiam & immensam charitatem, qua nos prosecutus est Dominus, sed & vt oculos & cor ad illos reflectamus, vt hinc sanctæ Communionis fructum colligamus. Hanc ob causam aliquos hic ponemus. Diuinum hoc Sacramentum hunc habet cum omnibus aliis Sacramentis communem effectum, quod gratiam digne recipientibus conferat. *Effectus Eucharistiæ communis cum aliis Sacramentis est gratia.* Alium tamen proprium habet, quo ab aliis Sacramentis differt, quem Theologi nominant refectionem spiritualem, quod est esse animæ nutrimentũ, quo illa se reficit, restaurat & vires sumit, vt appetitibus suis resistat, & virtutem amplectatur. *Effectus Eucharist. peculiaris Refectio Spiritualis.* Ideoq; in verba illa Christi: *Caro mea vere est cibus & sanguis meus vere est potus*, vulgo dicunt sancti, vt & Concilium Florentinũ, quod quoscunq; effectus corporale nutrimentum in corporibus producit, eosdem spiritualiter diuinus hic cibus in anima operatur. *Ioan. 6. 56.* *Concilium Florentinum.* Hincq; dicitur Christum Redemptorem hoc sanctissimum Sacramentum instituere voluisse sub nutrimenti specie, vt eadem specie sub qua institutum est, nobis effectus, quos produceret, aperiret, & quantopere anima nostra eo indigeat. Vt ergo corporale alimentum corporis

vitam sustentat, & vires renouat, & ad certam vsq; ætatem crescere facit, eodem modo & sanctissimum hoc Sacramentum spiritualem vitam sustentat, animæ vires restaurat, virtutem debilitatam reparat, hominem contra inimici tentationes fortificat, & ad debitam vsq; perfectionem crescere facit. Hic panis est, qui cor hominis confortat & corroborat, vt eo, sicut Elias, confortati ambulemus, donec perueniamus vsque ad Dei montem Oreb.

Psal. 103. 15. 3. Reg. 19. 8.

Præterea aliquid aliud alimento corporali proprium est, quod gustum & saporem comedenti det, & tanto maiorem, quanto melius & preciosius est alimentum, & quo palatum melius dispositum: eodem modo diuinum hoc alimentum non solum nos nutrit, conseruat & confortat, sed & spiritualem gustum & suauitatem adfert, secundum quod aiebat Patriarcha Iacob in Propheticis benedictionibus, quas mortis tempore filiis suis impertiebat, prædicens, quid in Euangelica lege futurum erat, dum ad Aser filium peruenisset dicebat: *Aser, pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus*. Christus panis est fertilissimus, suauissimus & sapidissimus. Dicit S. Thomas tantum esse gustum & delicias, quem panis hic cælestis producit illis, quibus cordis & animæ palatum expurgatum est, vt verbis exponi nequeat, quod hic spiritualis dulcedo in ipso fonte, qui est Christus Seruator noster, gustetur: fonte omnis suauitatis & omnium rerum vita, quæ hoc sanctissimo Sacramento mediante animam communicantis intrat. Et tanta subinde hæc est dulcedo, vt non tantum spiritum recreet, sed & in carnem redundet, secundum illud Prophetæ: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum*.

Gen. 49. 20. S. Thom. opusc. 57.

Bonau. l. de perf. ad sororem suam.

Hinc oritur, quod ait S. Bonauentura, sæpius contingere, vt quis debilis valde & languidus ad sacram Communionem accedat, & tantam fieri lætitiam & consolationem, quam huius alimenti vi recipit, vt tam corroboretur, quasi nulla eum debilitas teneret. Guimandus Aduersanus Episcopus antiquus auctor, scribit de senioribus monachis, tantum fuisse solamen & robur, quod in sancta Communione percipiebant, vt aliqui eorum hic solo nutrimento sine vllo alio cibo viuerent, quod hoc omnis eorum consolatio & sustentatio esset, tam animæ, quam corporis, quoq; die non communicabant in se magnam debilitatem & animi deliquium sentiebant, & videbantur sibi deficere & viuere non posse. Dicit idem auctor, aliquibus eorum ab Angelo Communionem ad cellas delatam esse. In Chronicis Ordinis Cisterciensis refertur, de quodam monacho, qui quotiescunque communicabat, videbatur sibi mellis fauum gustare, quæ dulcedo ad tres vsque horas durabat.

Guimandus Aduersanus. Eucharistia animam & corpus pascit. Chron. Ordin. Cisterc.

Secundum hæc ergo fructus nobis ex sancta hac Communione eruendus, debet esse magnus animus, ad in via Dei ambulandum & progrediendum: fortitudo maxima ad passiones mortificandas & tentationibus resistendum & superandum. *Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulant me.* Ad hoc ergo parauit Deus hanc mensam. In aliis mensis, qui inimicos habet, timet, & monere non audet, in hac vero homo robur accipit & fortitudinem, ad omnes inimicos superando. Hincq; ait S. Chrysostomus, nobis ex hac mensa surgendum esse vt leones ore ignem vomentes, quo diabolos terreamus & ipsis terribiles simus: dum dicit: *Tanquam leones ignem spirantes ab hac mensa recedamus, facti diabolo terribiles.* Quod & Christus Seruator noster nobis indicauit, dum Communione peracta discipulis suis diceret: *Surgite, eamus hinc.* Quasi diceret. Iam communicastis, eamus ad passionem. Hincq; videre fuit in primitiua Ecclesia, dum toties hoc diuinum Sacramentum frequentabatur, non solum Christianis vires fuisse, ad Dei legem obseruandam, sed & robur; ad furori & tormentis tyrannorum resistendum, & vitam & sanguinem pro Christo effundendam.

Psal. 22. 5. Chrys. hom. 61. ad popul. & 45. in Ioann. Ioan. 14. 31.

CAPVT

CAPVT X.

Sacræ Communionis frequentationem magnum esse contra omnes tentationes remedium, præsertim ad conseruandam castitem.

HVius diuini Sacramenti frequentationem efficax esse remedium dicunt sancti, nam prærerquam quod magnas suggerat vires, passiones & prauas propensiones debilitat, concupiscentiæ ardorem diminuit, quæ omnium malorum radix est, & nos expeditos ad Dei voluntari obsequendum reddit.

S. Thom. 3 p. q. 69. art. 7. S. Thomas ait, rationem, ob quam sanctissimum hoc Sacramentum nos à tentationibus & lapsibus liberat & defendit, esse, quod cum Christi passionis memoriale sit, qua diaboli superati sunt, qui in nobis Christi corpus & sanguinem videntes fugiunt, & sancti Angeli nos iuuant & comitantur. SS. Ignatius & Cyrillus ob eandem rationem huius sanctissimi Sacramenti frequentationem suadent, quod diaboli à nobis fugiant. Et S. Chrysostomus ait. Si agni sanguis huius Sacramenti figura in superliminaribus domorum positus habitatores à punitione & occisione, quam Angelus exterminator faciebat, liberabat, quanto magis id faciet diuinum hoc Sacramentum. *Ignat. epist. ad Ephes. Cyrill. l. 3. in Ioa. c. 37 Chrys. hom. 6. ad popul. Antiochen. Exod. 12. 22.*

Sed singulare dicunt sancti & efficacissimum remedium esse ad inhonestas cogitationes superandas & castitatem conseruandam, mitigat enim carnis motus & peccati fomitem sedat. Et (vt ait S. Cyrillus) sensualitatis ardorem & appetitum extinguit, vt aqua ignem. Hoc modo SS. Hieron. Thomas & alii illud Zachariæ prophetæ exponunt: *Quid enim bonum eius? & quid pulchrum eius? nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* dicuntque huic cælesti cibo proprium esse virgines germinare, vt corporale alimentum, dum bonum est, bonum sanguinem & humores producit, eodem modo & diuinus hic cibus in nobis castitatē & affectuum puritatem producit. *Cyrillus. Hieronym. S. Thom. opusc. 58. c. 26. Zach. 9. 17.* Præterea dicit S. Cyrillus diuinum hoc Sacramentum non solum animam, sed & corp⁹ sanctificare, quo perficitur, quod Ecclesia in Missę sacrificio petit: *Fiat nobis ad salutem mentis & corporis.* Farina Elisæi est, quæ venenum ex sorbitione tollebat, & saporem adfert. Et vt mulier illa Euangelica tangenti fimbriam vestimenti Christi, stetit in illa fluxus sanguinis: & testamenti arca Iordanem intrante, aquæ supernæ steterunt, & non fluxerunt, eodē modo Christo corpus nostrum intrante stant tentationes & crescit ardor & concupiscentiæ ignis: O felix fructus vbertatis, ex quo virginitas germinatur? exclamant sancti. Dicit quidā grauis doctor, nihil tā ad castitatē conducere, quā deuote sacram Communionem frequentare. *4. Reg. 4. 4. Luc. 8. 44. Iosue 3. 16. Viguerius in instit. Theol. c. 16. v. 3.*

Referunt Nicephorus Calixtus, Gregorius Turonensis, Nauclerus, & alij graues auctores mirum quid, quod Constantinopoli accidit, & huiusmodi est. Quod cum in Græca Ecclesia vetus esset consuetudo, vt Christi Domini nostri corpus consecraretur ex pane communi, quo solent vesci, quibus panibus consecratis populus communicabat, & si quæ Reliquiæ superessent in sacrario, aduocabant sacerdotes aliquot pueros Scholasticos, quorum virtus magis erat perspecta, & sinceritas notior, quibus ieiunis sanctissimas has reliquias dabant, vt illas reciperent. Quod ait Nicephorus sibi puero sæpius accidisse, dum in Ecclesia educaretur. Accidit postea, euntibus pueris, qui ad hoc vocati erant, inter eos esse & filium cuiusdam Iudæi opificis vitriarij, & cum Christianis pueris communicare. Quod causa fuit puerum diutius morari, & hora consueta domum non venire. Interrogat pater, vnde veniret? dicit ex Christianorum se templo venire & comedisse ex pane, quem pueris dabant. Quo responso pater tanta ira & furore correptus est, quod nulla excusatio- *Niceph. Calix. in sua hist. eccles. l. 17 c 27. Greg. Turon. l. de mart. c. 8. Iudæus puer à patre post Communionem in fornacem accensam coniectus illæsus permanet.*

sationē exspectata filium arripuerit & in vitri fornacem præcipitarit, quę incensa erat, & ostium occluserit. Mater filium abesse videns, & non venire, aliquo tempore elapso in ciuitatem illum quæsitum abiit magno cum animi mærore & sollicitudine. Verum illo, nec eius quidem signo, inuento, domus tristis redit, post tres dies cum prope fornacem esset, & lachrymas & gemitus refricaret, & capillos euelleret, cœpit filium nomine suo vocare. Quod ille audiens & matris vocem agnoscens intus in fornace, in qua erat, respondit. Quo illa audito fornacis ostio effracto videt filium in ignis medio tam sanum & integrum, vt nec capillum quidem capitis ignis attigisset. Exit puer, & quęrit illa, quis illum seruasset? respondet Dominam quandam purpura indutam sæpius eo venisse, & aqua, quam effundebat ignem extinxisse, præterea cibum attulisse, quoties eo indigeret. Venit miraculum hoc ad Iustiniani Imperatoris aures, & iussit matrem & filium baptizari, qui Christo nomina dederant: patrem vero, qui se conuertere nolebat, iussit in arborem suffigi, & suspendio enecare. Quod sanctissimum hoc Sacramentum in huius pueri corpore, qui illud receperat, effecit, illum in ignis medio ab omni læsione conseruando, idem & spiritualiter operatur in eorum mentibus, qui illud digne sumunt, illos in medio ignis tentationum defendendo & fine læsione aliqua conseruando.

Capvt XI.

De alio principali fructu, ex sancta Communione nobis colligendo, qui est nos Deo vnire, & in Christum transformare.

VNum præcipuorum effectuum & finium, ad quos Christus Seruator noster diuinum hoc Sacramentum instituit, dicunt Sancti esse, vt nos sibi vniret, incorporaret, & vnum quid secum efficeret. Vt enim dum diuinum hoc Sacramentum verborum consecrationis virtute consecratur, id quod panis erat, in Christi substantiam conuertitur, eodē modo huius Communionis virtute, qui homo erat miro quodam modo spiritualiter in Deū mutatur. Idq; illud ipsum est, quod Christus in Euangelio dicit: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Qui mãducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Ioan. 6. 56. Sic vt cibus caloris naturalis virtute in substantiam comedentis conuertitur, & idem cum eo fit, eodem modo & qui hunc Angelorum panem comedit, se Christo vnit, iungit, & vnum quid cum illo efficitur, non Christo se conuertente in id, quod nutritur, sed eũ, qui illum recipit in se vertendo & transformando, vt idem Dominus S. Aug. aiebat: *Cibus sum grandium, cresce & manducabis me, nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Aug. l. 10. Confess. c. 19. S. Thom. 4. sentent. disput. 2, quæst. 2. art. 1. Hinc S. Thom. ait huius Sacramenti propriũ effectũ esse, hominē in Deum transformare, & ei similem reddere. Si enim ignis, eo quod tam nobile elementũ sit, in se omnia, quæ ei applicantur, conuertit, ante cõsumendo, quicquid ei contrarium est, & suam ei post formam & perfectionē communicãdo, quanto magis infinitę illa bonitatis & nobilitatis abyssus consumet, quicquid mali in anima nostra inueniet, & sibi eam similem reddet.

Sed posthabita reali & vera Christi vnione cum eo, qui eum recipit, quam his verbis declarat: *In me manet, & ego in eo*, quamque sancti similitudinibus quibusdam propriis declarant, descendendum magis specialiter ad praxim, & fructum, qui nobis ex sancta hac Cõmunione colligendus est, qui est nos spiritualiter cum Christo vnire, & in eũ nos mũtare & transformare. Hoc est, vt nos, quo ad vitã & mores, similes reddamus, humiles vt Christ⁹, patientes vt Christus obediẽtes vt Christus, castos & pauperes vt Christus. Idq; est,

Rom. 13. 14. Ephes. 4. 24. est, quod S. Apostolus Paulus aliis verbis significat: *Induimini Dominũ Iesum Christum. Et induite nouum hominem.* In consecratione, manentibus accidentibus, panis substantia in Christi corpus conuertitur, in Communione contra fit, nam hominis substantia manet, & accidentia mutantur, homo enim, qui superbus erat, humilis fit, qui incontinens, castus: qui iracundus, patiens: hocque modo in Christum transformatur.

Ioan. 6. 56. Cyprian. lib 1. epist. 3. ad Cecilium. Psal. 22. 5. S. Cyprianus in verba illa Regii Prophetæ. *Et calix meus inebrians quam præclarus est*, quæ de hoc sacramento intelligit, ait, vt ebrietas hominem sui impotentem & alium à se reddit, eodem modo & diuinum hoc sacramentum aliquem sui impotem aliumq; à se facit, & obliuionem mũdanorũ inducit, & efficit vt tota eius cõuersatio in cælis sit. Quam mutati fuerũt discipuli in Emaus euntes hoc diuino sacramento accepto? *Cognouerũt eum in fractione panis*, ex dubitantibus fideles, ex timidis fortes facti sunt. Eodem modo & nos à Communione mutatos redire & in alios homines versos conuenit. *Mutaberis in virum alium. In virum perfectum.* Idem & S. Basilius inquit, & ad id confirmandum allegat illud S. Pauli: *vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.*

Luc. 24. 35. Aug l. 10. Confess. c. 19. S. Thom. 4. sentent. disput. 2. quæst. 2. art. 1. 1. Reg. 10. 6. Ephes. 4. 13. Basil in q. breuiorib. nu. 172. 1. Cor. 5. 15.

S. Angela de Fulgin. ca 66. Ait sancta quædam quid huic proposito apprimi conueniens, & valde spirituale. Agit de conditionibus & signis, quibus perspicitur, num anima in Deum transformata sit, & dicit vnum eorum esse, dum homo desiderat contemni, abiici & ab omnibus dedecore affici, & omnes vult credere, se dedecore dignum esse, & vt nullus ei condoleat, & in nullius creaturę corde, nisi Dei solius viuere vult. Et non solum non vult aliquo modo reputari aliquid esse, sed magno honori ducit sibi ab omnibus contemni, vt sic se Christo Domino nostro cõformet. Et cum S. Paulo dicit: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.*

Gal. 6. 14. Chrys hom. 61. ad p. Antioc. S. Ioannes Chrysostomus exponens, quid obligationis contrahamus, postquã tantum sacramentum sumpsimus, dicit: *Cum nos ab ira corripi viderimus, vel ab alio vitio, cogitemus, quibus facti sumus digni, & sit irrationabilium nobis motuum correctio talis cogitatio.* Decet linguam, quæ Christum tetigit, sanctificatam esse, nec ociosa effutire, nec se postea profanare. Non decet in pectus & animum, qui Deum sumpsit, & fuit theca & reliquiarium huius sanctissimi sacramenti, stercus & sordes vanorum desideriorum conijci, vtque aliud, præter Deum, tractet & cogitet. Edit quis odoriferum quid, & toto die suauem illũ odorem exhalat. Odoriferum hunc cibum comedisti, qui omnem cælestem virtutem & Deitatem redolet, quem te odorem exhalare fas est? De S. quadam virgine legitur, quæ dicit: Dum communico toto illo die maiori diligentia cor custodio, in eo Deum imaginans, quasi domi suæ quiescentem. Quare omnem, quam poterit, sanabat modestiam, tam loquendo, vidẽdo & eundo, quam omni exteriore conuersatione, vt ille, qui digitum labiis imponit, silentium petens, & ne tumultus vel murmur fiat, ne is, qui dormit, excitetur.

CAPVT XII.

De alio principali fructu ex sancta Communione colligendo, qui est nos integre Deo offerre, & in eius nos manus resignare. Et de præparatione & gratiarum actione, quæ hic nobis facienda est.

PRÆCIPVVM, quod nobis ex sancta Communione colligendum, est nos resignare & conferre integre in Dei manus, vt particula luti in manum figuli, vt de nobis faciat, quod lubet, & vt lubet, & quando lubet, & quomodo lubet, sine aliqua exceptione vel reseruatione. Filius Dei se integre in sacrificium Deo Patri in

cruce obtulit, pro nobis omnem sanguinem & vitam dando. Et quotidie in cibum dat integre in hoc sanctissimo sacramento corpus, animam & diuinitatem. Hinc rationi consentaneum est, vt & nos ipsos offeramus & integre ei resignemus. Hoc dicunt proprie esse *communicare*, idem Deo facere, quod ille tibi: ipse tibi dat quicquid habet, da & tu illi, quicquid habes.

Hæc etiam gratiarum actio esse debet post sacram Communionem: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* & præsertim pro hoc beneficio, quod mihi iam contulit. Scis quid ille velit sibi à te retribui? id quod subiungitur: *Prabe fili mi cor tuum mihi.* Recte hoc Sanctus quidam declarauit: Quid magis requiro, quam vt te studeas mihi ex integro resignare. Quicquid præter te ipsum das, nihil curo, non enim datum tuum, sed te quæro. Sicut non sufficeret tibi omnibus habitis preter me, ita nec mihi placere poterit, quicquid dederis te non oblato. Offer te mihi, & da te totũ pro Deo, & erit accepta oblatio. S. Augustinus dicit, id in quo Cain Deo displicuit, dum offerret sacrificium, & quare Deus eius sacrificium non adspexit, nec accepit, vt fratris Abel sacrificium, fuisse, quod cum Deo non recte partiretur, *Dans Deo aliquid suum, sibi autem seipsum*, nam seipsum non offerebat. Idem facere dicit Augustinus eos, qui Deo quid, sed non voluntatem offerunt. *Regnum cælorum aliud non quarit pretium, quam te ipsum. Tantum valet, quantum tu es. Te da, & habebis illud.*

Psal. 15.12. *Prou. 23.26.* *Thomas de Kempis.* *Aug. l. 1. de Ciuitate Dei c. 7.* *Aug. serm. 2. de omnibus Sanctis, & in manuali c. 16.*

Hac ergo oblatione & integra nostri resignatione in Dei manus occupandi & nobis subsistendum post sanctam Communionem. Idque non solum in generali faciendum, sed diuidendo & ad casus particulares descẽdẽdo, nos resignãdo & voluntati diuinæ confirmando, tam in ægritudine quam sanitate, tam in morte quam vita, tam in tentatione, quam consolatione, explicando id, in quo maximam sibi fieri repugnantiam & difficultatem sentiet, & idem Domino in gratiarum actionem offerendo, non locum, nec officium nec gradum, quantumcunque humilem & abiectum excipiendo donec nihil se nobis offerat, in quo voluntatem nostram non plane Dei voluntati conformem & vnitam sentiamus. Ad quod multum conducit oratio illa, quam Pater noster ponit in exercitiorum spiritualium libro. *Suscipe Domine vniuersam meam libertatem, accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem, quicquid habeo vel possideo, mihi largitus es, id tibi totum restituo, ac tua prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua dones, & diues sum satis, nec aliud quidquam vltra possum.* Hic etiam nos in aliquarum virtutum actibus exerceri cõuenit præsertim earum, quibus quis maxime indiget. Quicquid enim quis volet & opus habet, sapiet diuinum hoc manna. *Habens omnis saporis suauitatem.* Omnes virtutum sapores habet, ideoque aliquando vna, aliquando alia te virtute exerceri conuenit, semper id respiciendo, quod tibi maxime necessarium est. Si te sentis humilitate indigere, cura vt humilitatem sapiat: cuius hic speculum & saporem inuenies, quod Dei filius hic panis accidentibus vestiatur, quæ quia accidẽtia, abiectiora & pauperiora sunt pannis & fasciis, quibus illum in Betlehem sanctissima eius mater inuoluit, quæ maior potest excogitari humilitas & abiectio, quam quod Deus se vt communem cibum comedendum opponit, quodque in altaris mensa lintea vt mappas extendamus, & corporalibus pro iisdem, patena pro scutellis & calice pro cyatho vtamur, quod illum manibus tangamus & ore & stomacho sumamus? Quænam Dei abiectio, & quæ maior hominis exaltatio esse potest? Certo quodam modo magis hic humilitas, quam in incarnatione elucet. In hac ergo tam diu te exerce, donec eam plane videaris imbibisse, & illa te totum penetrasse. Offer Deo omnis mundani honoris & existimationis contemptum in gratiarum actionem, accipiendo con-

Ignat. l. exerc. spirit. in contempl. ad amorem spirit. in nobis excitandum puncto. 1. *Sap. 16.20.*

temptum & vilipendentiam pro ipsius amore.

Multum etiam prodest ad particularia & minutiora descendere, eademque hic Deo in gratiarum actionem offerre. Iam tandem quisque plus minusque errores & defectus suos agnoscit, & scit, quid illum progredi impediat, & in quibus solitus est plerumque labi, procuret ergo quilibet in quaque Communione aliquid horum in gratiarum actionem offerre. Si deliciarum amicus es, & commoditati tuæ studes, & nihil tibi deesse velles, offer Deo horum mortificationem, hodie vnius & cras alterius. Gaudes colloquiis & tempus inutiliter consumis, & te hic mortifica, idque Deo in alia Communione offer. Si tam propriæ voluntati amicus es, vt fratribus placere & cedere nolis, ne aliqua in te tibi mortificatio vel minima adhibenda sit: & si subinde illis austere & morose loqueris, stude te hic vincere, & alia in Communione idem Deo offerto. Et vt diximus de oratione agentes, multum conducere, aliquid sibi faciendum eodem die proponere, sic & in Communione profuerit proponere te vincere & mortificare in aliquo eodem die, & hanc mortificationem Deo in gratiarum actionem offerre. Existima illud esse, quod Deus à te exigit pro gratiis & beneficiis ab eo acceptis. Deus enim à nobis nihil aliud petit, nec aliam compensationem exigit, nisi vt nos emendemus, & id corrigamus, quod scimus illi displicere, & hæc optima est gratiarum actio, quæ post Communionem fieri, & acceptissimum sanctum, quod illi exhiberi potest. Diximus tribus modis vel de tribus fieri posse gratiarum actionem: primo interius in mente beneficia agnoscendo: secundo laudando gratias verbis agendo benefactori: tertio, operibus: hicque tertius optimus gratiarum actionis modus est, hic enim ille est de quo hic agimus. Non totum ergo considerationibus impendendum, quamuis & hoc bonum sit, sed meliora sunt opera, & ob eam causam proponuntur considerationes, vt ad opera descēdatur. Ideo & de præparatione ad communicandum dico, quod quamuis particularis illa præparatio valde vtilis sit, quæ solita est fieri ante sanctam Communionem per aliquot considerationes, & quod eam nullus emittere debeat, quod tāti sacramenti reuerentia exigat vt quisq; faciat, quod in se est, tamen optima & præcipua dispositio fieri debet bona & sancta vita, vtque nos quotidie emendemus & perfectiores reddamus in eo quod agim⁹ vt tanto maiore cum puritate & munditia hoc diuinum sacramentum accedamus; secundum illud S. Ambros. & August. *Sic viue, vt quotidie merearis accipere.* Ideoq; M. Auila in epistola quadam, quam de eo ad deuotum quendam scribit, dicit præparationem ad sacram communionē esse debere bonum modum quem quis in tota vita & tota hebdomade seruare debet, ad quod docendum allegat cuiusdam serui Dei exemplū, qui dicebat se nūquam particularem præparationē ad communicandum facere, quod singulis diebus faceret, quod in se erat. Hæc valde vtilis præparatio est, & multo melior illa, qua quis se quarta horæ parte colligit, & alius postea, & quod quis iam tepidus, non mortificatus & imperfectus maneat, vt ante.

Defectuum quorundam particularium extirpatio post Communionem practice proponenda.

1. par. tract. 5. c. 16.

Tract. 7. c. 6.

Bona vita optima ad sacram Communionem præparatio est.

Amb. l. 5. de sacram. c. 4. Aug de verbis Dom in Euang. secun. Luc. serm. 28.

M. Auila to. 2 epist. fol. 157

Sic vt hæc præcipua præparatio sit eademque optima gratiarum actio, & hic præcipuus fructus ex sancta Communione percipiendus esse debet, vtq; de oratione diximus, præcipuum eius præparationem esse debere passionum nostrarū mortificationem, sensuum collectionē & cordis custodiam, eumq; fructū indè percipiendū esse, & quod vnum alteri operam suam locare deberet, eodē modo & hoc, bona & sancta vita, & vt quis omnia tam accurate faciat, vt potest, vt Deo placeat, præcipua dispositio fit oportet, ad sacram Communionem accipiendam, illudque principalem fructum inde colligendum esse necesse est, & vnum alterum promouere debet, vt vna Communio alterius dispositio sit. Et sicut diximus, vt quis bonā habeat orationem & in illa proficiat, non in eo

Tract. 1. c. 1.

consi-

consistit, vt quis consolationes habeat & delectationes, nec vt quis multas considerationes & magnas habeat contemplationes; sed vt quis ex oratione redeat humilis patiens, indifferens & mortificatus. Eodem modo & bona Communio & eius fructus non inde dependet, nec inde metienda est vt quis multas habeat considerationes, quantumcunque etiam illæ sanctæ & bonæ sint, nec ob delectationes & consolationes, sed ob passionum mortificationem & maiorem resignationem & cum Dei voluntate conformitatem, quæ inde eruuntur.

Hinc quiddam magnæ consolationis colligitur, quod semper in nostra sit potestate bene communicare, & magnum ex Communione fructum referre, nam penes nos est Deo iuuante in Dei manus nos resignare, mortificare, & emendare, quod scimus diuinæ Maiestati displicere. Quod si feceris, magnum ex communione fructum feres, supera, mortifica & corrige quotidie aliquid. Cadit idolum Dagon in præsentia arcæ testamenti. *1. Reg. 5.3.* Hoc idolum honoris, hoc deliciarum idolum & cōmoditatum, hoc propriæ voluntatis ob reuerentiam tanti Domini humi corruat, vtinam hoc modo communicaremus nos mortificando & aliquid corrigendo, quāuis parui momenti sit, quantum proficeret anima nostra?

Hieronymus. Prou. 31.27. S. Hieronymus exponit, quod sapiens ait de forti muliere: *Considerauit semitas domus suæ, & panem ociosa non comedit.* Semitas domus dicit esse examen & præparationem, quæ ad hanc diuinam mensam requiritur. Quodque dum quis ex sacra Communione fructum refert, dicatur nō ociosus panem comedere, quandoquidē illi prodest, quod comedit. Sed væ tibi, qui tot annos panem hunc ociosus comedisti, quia nunquam te vicisti, nec aliquā passionem aut vitium mortificasti. Grauiter ęgrotas, quandoquidem nihil prodest, quicquid comedis. Ne vero posthac idē contingat, ientet quisque ad se, & semitas animæ suæ consideret, adspiciat passionē, vitium vel inclinationem, quæ illi maiori est damno vel impedimento, & satagat illa tollere & mortificare, donec cum S. Apostolo Paulo dicere possit: *viuo autem iam non ego: viuit vero me Christus.* *Gal. 2.20.* In quæ verbo ait S. Hieronymus: *Id est, non viuit ille, qui quondam viuebat in lege, quippe qui persequebatur Ecclesiam, viuit autem in eo Christus, id est, sapientia, fortitudo, sermo, pax, gaudium, cæteraque virtutes, quas qui non habet, non potest dicere: viuit autem in me Christus.* *Hieron super hæc verba.*

CAPVT XIII.

Quid causæ sit, quod quamuis tam mirandos faciat effectus hoc diuinum Sacramentum, aliqui tamen, qui hoc frequentant, non sentiant.

QVÆRET aliquis, quandoquidem hoc sanctissimum sacramentum tantam confert gratiam, & tantos & tam mirabiles producat effectus, quid causæ sit, quod multi sæpius hoc frequentantes & communicantes in anima non solum non sentiant illam iucūditatem & spiritualem dulcedinem de qua diximus, verum etiam in virtute non videntur proficere sed semper quasi sui similis esse? Aliqui respōdere solent hoc vulgari prouerbio. Nimia familiaritas parit contemptum: sibi persuadentes crebram frequentationem causam esse, vt tanta cum reuerentia & dispositione non accedant, ideoq; tantum fructum non referant. *Cap. 9. Frequens Eucharistiæ perceptio non impedit fructum* Sed falluntur: hoc n. locum in spiritualibus & Dei conuersatione non habet: imo nec in hominibus sapientibus & prudentibus, frequētior enim cum his conuersatio & familiaritas maiorem gignit existimationem & reuerentiam, quo n. quis sæpius cum huiusmodi agit, tanto plus eorum prudentiam & virtutem perspicit, & admiratur. Concedamus vero prouerbium hoc in mun-

mundi sapientibus locum habere, vt enim in hac misera vita nullus tam potest esse perfectus, qui alicui vitio non subiaceat, quod agendo cum eo sæpius & familiariter detegitur, potest magna familiaritas causa esse, vt opinio & illius existimatio minuatur. In Dei vero commercio & familiaritate locum habere non potest, vt enim hic Dominus infinitæ perfectionis & sapientiæ est, quo quis sæpius cum illo tractat & melius illum nouit, tanto maiore illum honore & reuerentia prosequitur, vt videre est in sanctis Angelis & beatis, qui Deum perfectissime in cælo noscunt, & familiariter cum illo agunt. Quod & hic in mundo experimur, quo enim quis plus cum Deo per orationem agit, tanto maiorem illi exhibet honorem & reuerentiam. Quod exacte exprimitur eo, quod Euangelium refert de muliere Samaritana, quæ prius cum Christo, vt aliquo ex plebe agebat dicens: *Quomodo tu, Iudæus cum sis, bibere à me petis, quæ sum mulier Samaritana.* Proprie nationis illum nominabat vocabulo, sed vltra procedēdo in colloquio Dominum vocat: *Domine, da mihi hanc aquam.* Et paulatim progrediens Prophetam dicit: *video, quia Propheta es tu.* Et ad vltimum Christum & Messiam agnoscit. Idem & in sacramentorum frequentatione accidit: vna enim Communio alterius est dispositio. Et magnus error est, cogitare, quo quis infrequentius hoc sanctissimum sacramentum accedit, tanto maiore cum præparatione & reuerentia accessurum. Hincque recte dicebant SS. Augustinus & Ambrosius, quod qui non meretur illud quotidie accipere, non meretur post annuum accipere.

Ioan. 4. 9.

Aug. de verbis Dom. in Euang secund Luc. ser. 28. & epist. 118. ad Ianuar.
Ambr. l. 5. de Sacram. c. 4.

Causa cur non sentiamus fructum Communionis. Prima est [illegible] in [illegible]io.

Quæstioni ergo & dubio respondens dico primo, Quod quis tantum non percipiat fructum huius sanctissimi sacramenti frequentatione, aliquando nostra culpa euenire, quod ad accipiendum nos debite non præparemus & disponamus, sed illud ex mera consuetudine accedamus, quod idem est, ac si quis dicat: Cōmunico, quia alii communicant, vel quia iam in consuetudinem veni, quod accedamus, quasi per cerimoniam, nulla præuia consideratione, nec examine eius, quod accepturi sumus, hæc causa est, quod parum fructus percipiamus. Ideo dum quis sentit huius sancti sacramenti frequentatione non se proficere nec pgredi, bene ei videndum & examinandum, num id dispositionis defectu euenerit, si sic se res habet, conetur corrigere.

Ludou. Blosius in speculo spirituali c. 6.

Secunda lapsus frequens in peccata venialia, isque plene voluntarius & deliberatus.

Alias hoc accidere solet, quod quis scienter in venialia peccata labatur. Duo sunt venialium peccatorum genera, alia quæ nobis non aduertentibus, quamuis aliqua cum negligentia, fiunt: alia quæ scienter & ex proposito fiunt. Venialia peccata, in quæ inscii labantur Deum timentes & in eius seruitio diligentes cadunt, hoc damnum secum non adferunt, sed quæ deliberata voluntate & proposito committuntur à tepidis & in Dei seruitio negligentibus, magna ex parte huius sanctissimi sacramenti diuinos hos effectus impediunt & abrumpunt. Quod & dici potest de defectibus, quos quis deliberate & ex proposito in obseruatione regulæ & instituti cōmittit, vt pater solet filio, qui deliquit, vultum austerum ostendere, vt eo illum corripiat, & moneat, vt post à simile delicto sibi caueat, idem & nobis solet facere Deus in Communione & oratione. Si ergo participes copiosi fructus, quo frui solent, qui debite hoc diuinum sacramentum accedunt, esse velimus, opus, ne scientes in errores & defectus labantur. Quod bene à timentibus Deum notandum, quod magni momenti sit, vt ille Deus gratia sua donet.

Tertia quia fructus sape Deo ita volente nos latet.

Tertio dico: quod quis hoc diuino sacramento dictos effectus non sentiat, sæpius nullam ob culpam contingere, nec ideo magnum in animo fructum non recipere, quamuis sibi non videatur sentire, vt dici solet de oratione, de qua multi idem queri solent, quod quamuis quis in ea illum oblectationem & consolationem non sentiat, quam vellet, & alias forsan sentire solet, ideo non minorem ex ea vtilitatem consequitur: vt quamuis infirmo cibus non sapit, non tamen illi non est sus-

stentationi & commodo. Hæc profundissimæ Dei prouidentiæ sunt, qui hoc modo solitus est seruos suos purgare & probare, exercere & humiliare, & alia inde elicere sibi nota bona. His accedit, quod hoc sacramentum aliquando etiam secreto operetur, vt homo vix animaduertat, gratia enim fere naturæ congruenter operatur paulatim, vt in planta apparet, quæ crescens, quamuis non videatur crescere, tamē creuisse aduertitur. Hinc dicit S. Laurentius Iustinianus, quod sicut corporeus cibus hominem sustētet & crescere faciat, quamuis à nobis nō videatur, eodem modo & diuinum hoc Sacramentum corroborat & confortat animam gratiarum augmento, quamuis non percipiamus.

Laurentius Iustinianus.

Fructus Communionis est nō retrogredi in via spirituali.

Quarto dico, non solum commodum æstimari progredi, sed etiam non labi, & retrogredi. Non enim minoris facienda medicina, quæ nos à morbo præseruat, quam quæ sanitatem auget. Quod multū aduertendum, quod multæ consolationis sit illis, qui tam manifeste in se huius sacramenti fructum non aduertunt. Videre fere est, illos qui sæpius hoc diuino cibo vescuntur, in Dei timore vitam agere, & annum, imo totam vitam elabi, & in mortale peccatum non cadere. Hic demum præcipuus ferme fructus & huius sacramenti effectus est, aliquem conseruare, ne in peccatum cadat: vt cibi corporei est, vitam corporalem conseruare Quod rectissime annotauit Concilium Tridentinum, dicendo esse. *Antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruamur.* Idcirco quamuis in se quis non sentiat talem feruorem & deuotionem, nec spiritualem illam saturitatem & consolationem, nec post Communionem illam agilitatem & promptitudinem ad bona opera, quæ alii sentire solent, sed potius siccitatem & tepiditatem, ideo minorem fructum non recipit: Et si communicans in aliquos defectus labitur, non communicans in maiores labetur. Faciamus ergo, quod in nobis est, vt ea qua diximus, dispositione & reuerentia accedamus, & magnum anima nostra fructum consequitur huius diuini sacramenti frequentatione.

Conc. Trid. sess. 13 de sanctiss. Eucharist. Sacram. c. 2.

Refert Tilmannus Bredenbachius de quodam Saxoniæ Duce nomine Wedechindo qui gentilis erat, quem cupido incessit videndi, quid in Caroli Magni exercitu fieret. Quod vt facilius adsequeretur, se vt peregrinum induit, & eo profectus est. Erat tunc temporis septimana sancta, & omnis exercitus Communionem accedebat: ipse omnia attente explorat & inter alia vidit, sacerdote populo sacram Communionem porrigente, eximia forma & splendore puerum in quaque hostia esse, & in aliquorum ora puerum valde lætum & hilarem & tam lubenter ingredi, vt sua sponte iret, & festinans intraret, & aliorum ora inuitum & quasi coactum intrare, nam & faciem auertebat & manus post dorsum reiiciebat & pedes iactabat, quasi resistens, ne illud os intraret. Quo miraculo Princeps ille conuertitur & cum omnibus subditis Christo nomen dat.

Tilm. Breden. l. 1. col. c. 2. ex hist. Eccl. Albert. Cran. l. 2. c. 9.

Aliud simile exemplum, quod quæ prædicta exactius exponit, legitur de sacerdote quodam sæculari, quo Missam dicente vidit quidam Dei famulus sacrū audiens sumptionis tempore in patena non panis species sed puerum. Dumque sacerdos se erigeret, vt sumeret, auertebat puer faciem, & quasi recusans & contradicens manus & pedes agitabat, vt illum non reciperet Idque idem Dei famulus non semel, sed sæpius vidit, & quodam tempore Sacerdote cum eo loquente & dicente se nescire, quid esset, quod Communionis tempore multa cum difficultate Christi corpus sumeret. Tunc refert Dei famulus, quid vidisset, & suadebat vt sibi consuleret, & se emendaret Sacerdos boni monita hæc consulens & compunctus vitam correxit. Et post idem Dei famulus sacrum audiens puerum ante vt videbat, sed sumptionis tempore manibus & pedibus iunctis & magna cum festinatione os eius intrare.

Henr. Gram. in suis exemplis, verbo Eucharist. exemp. 4 quem allegat Doctor Sanctor. l. 4 prati sui c. 100.

CAPVT XIII.

De sancto Missæ sacrificio.

IAM de diuino hoc Sacramento actum, ideque eius effectibus & admirabilibus virtutibus, in quantum sacramentum est, restat de eodem, prout sacrificium est, agi. Sanctum Concilium Tridentinum mandat prædicatoribus & animarum pastoribus, vt ouibus suis hoc nuncient, vt oẽs intelligant quantũ Christus Seruator noster Ecclesiæ suæ reliquerit thesaurum, dum sacrificium hoc donaret, vt quisq; sibi inde commodum paret. Ab ipso mundi exordio, saltem post peccatum, & in lege naturæ semper sacrificiis opus fuit ad Deum placandum, adque eum honore & reuerentia prosequendum, in infinitę eius excellentiæ & bonitatis recognitionem. Ideoq; in lege veteri instituit Deus sacerdotes & multa sacrificia, verum quia lex imperfecta, eiusmodi & sacrificia erant. Multa animalia mactabant & offerebant, quod tamen eos ad perfectionem ducere non valebat, nec Aaron sacerdotiũ nec eius sacrificia sufficiebant ad homines sanctificandos, & peccata expianda. *Impossibile enim sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* ait S. Apostolus Paulus. Necesse erat alium venire Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, qui est Iesus Christus, qui aliud offerret sacrificium, quod erat ille ipse, quod Deo placando & hominibus sanctificandis & ad perfectionem perducẽdis sufficeret. Hinc S. Augustinus ait, omnia veteris legis sacrificia hoc sacrificium significasse & huius figuras fuisse: & vt vna & eadem res potest significari & diuersis verbis & linguis exprimi, eodem modo vnicum hoc & verum sacrificium omni illa sacrificiorum multitudine significatum & indicatum fuit, partim vt idem nobis multum & sæpius commendaretur, partim vt diuersitate & varietate fastidium leuaretur, quod frequens eiusdem repetitio adferre solet. Ideoque ait Deum iussisse sibi offerri animalia munda, vt indicaretur, quod sicut animalia illa immolanda corporis vitiis & defectibus carebant, & maculæ omnis expertia erant, eodem modo & ille, qui venturus erat, vt se in sacrificium offerret pro nobis, ab omni peccati macula immunẽ esse debere. Etsi hæc illi sacrificia grata erant (vt procul dubio tunc temporis erant) hoc tantũ fiebat quod illis homines faterentur, Seruatorem & Redemptorem venturum, qui verum futurus erat sacrificium, cuius virtute præterita illa sacrificia alicuius erant valoris. Posteaquam vero Seruator & Redemptor ille in mundum venit, non amplius Deo grata fuerant hæc sacrificia. Vnde ait S. Apostolus Paulus: *Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autẽ aptasti mihi: holocaustomata & pro peccato, non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam:* Deus dedit vnigenito filio suo corpus, vt faciat Patris voluntatem, se in cruce offerendo. Ideoque in mundum veniente figurato, cessauit vmbra & figura, & non amplius Deo placuerunt antiqua illa sacrificia.

Conc. Trid. sess.22. — *Heb.10.4.* — *Aug.l.1. contra aduersarium legis & prophetarum c.18.* — *Sacrificia antiqua legis figuræ erant sacrificii Missæ.* — *Heb.10.5.* — *Psal.39.7.*

Hoc ergo sacrificium est, quod in gratię lege habemus, quodq; quotidie in Missa offertur. Ipse Iesus Christus verus Dei filius nostrum est sacrificium. *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis.* Hæcq; nõ propriæ cõsiderationes vel imaginationes sunt, sed idipsum, ꝙ fides docet. Verũ est, Missam passionis & mortis Christi memoriam & repræsentationẽ esse, ipse enim hoc summum sacrificium instituens sic dixit: *Hoc facite in meam commemorationem* Tamen intellecto opus non solum esse memoriam & repræsentationem eius sacrificii quod Christus in cruce ęterno Patri obtulit pro peccatis nostris, sed & ipsum est sacrificium, quod eodem tempore oblatum est, & eiusdem valoris & efficaciæ. Et non solum idem est sacrificium, sed & ille, qui modo illud offert sacrificium, idem ille est, qui illud in cruce obtulit.

Ephes.5.2. — *Luc.22.19.* — *In Missa non tantum fit memoria passionis Christi, sed ipsummet & sacrificium in cruce oblatum offertur.*

Sic

Sic vt quemadmodum passionis tempore Christus sacerdos fuit & sacrificium, eodem modo & iam in Missa Christus non solummodo est sacrificium, sed & sacerdos & Pontifex, qui se quotidie in Missa offert ministerio sacerdotis. Ideoque sacerdos Missam celebrans Christi personam refert, & vt minister & instrumentum eius nomine hoc sacrificium offert. Quod consecrationis verba indicant, non enim dicit Sacerdos: *Hoc est corpus Christi*, sed: *Hoc est corpus meum*: loquens in Christi persona, qui est Sacerdos & Pontifex, qui hoc sacrificium offert. Hincque est, quod Propheta Dauid & S. Apostolus Paulus illum nominet Sacerdotem æternum secundum ordinem Melchisedech. Et non recte sacerdos æternus diceretur, si solum semel obtulisset sacrificium, sed Sacerdos æternus dicitur, quod mediantibus sacerdotibus semper sacrificium offerat, & nunquam cesset, nec cessabit ad finem vsque mundi offerre. *Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro delictis suis hostias offerre, deinde pro populi.* Sed talem: *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte cum clamore valido & lachrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia.* Talem qui non alieno, sed proprio sanguine Deum placaret.

Sacerdos celebrans Christi personam refert.

Psal. 110.4.

Heb. 7. 17. & 21.

Gal. 5. 7.

Expendamus ergo hic Dei inuentiones & consiliorum eius artificium & sapientiam, quæ hominum salutis ergo excogitauit, & quicquid fecit, quo sacrificium hoc omni ex parte esset gratū & acceptū, vt idem expendit S. Augustinus. In omni sacrificio quatuor consideranda. Primo cui offeratur: secundo quis offerat: tertio quid offeratur: quarto pro quo offeratur. Dei sapientia tali modo hoc sacrificium ordinauit, vt idem qui offert, ad nos Deo reconciliandos idem sit cum eo cui offertur, & se vnum cum illis fecerit, pro quib. offertur, & ipse idem est cum eo, quod offertur: vt sacrificium hoc omni ex parte gratum, acceptum & efficax esset. Ideoq; tanti valoris & energiæ fuit, vt Deo placando & satisfaciendo suffecerit, non solū pro nostris, sed & pro centum mille mundorum, si essent, peccatis. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, dicit S. Ioannes Apostolus & Euangelista. Ideoque dicunt Theologi & Sancti, sacrificium hoc non solum pro debitis & peccatis nostris sufficientem fuisse satisfactionem & compensationem, sed valde superabundātem: multo enim maius est, quod hic offertur, quam quod debebatur. Et multo magis æterno Patri placuit hoc sacrificium, quā displicuerat crimen admissum. Ideo accidit, quod quantumlibet sacerdos peruersus & peccator sit, ideo sacrificium hoc nō minori est valori & vtilitati illi, pro quo offertur, nec quicquam de eius valore & efficacia detrahitur, quod Christus non tantum sacrificium, sed & Sacerdos & Pontifex sit, qui illud offert: vt eleemosyna, quam das, quamuis eandem per famulum peruersum & peccatorē mittas, nihil meriti vel virtutis perdit. Hincq; ita definit & dicit Conc. Triden. *Vna enim eademq; est hostia, idemq; nunc offerens sacerdotum ministerio, qui tunc seipsum in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa*: Illamq; diuersam offerendi rationē dicit, ꝙ in cruce sacrificio *cruento* cū sanguinis effusione peracta sit; ꝙ tunc Christus Seruator noster passibilis & mortalis esset: in Missa vero sacrificio fiat *Incruento*: Christus enim iam est gloriosus & à mortuis suscitatus, ideoque nec mori, nec pati potest: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra nō dominabitur.* Dicit Conciliū, dicant & Euangelistæ, dum iam Christus sacrificandus & in cruce moriturus erat, vt nos redimeret, noluerit ibi sacrificium stare & perfici quia erat sacerdos in æternum, sed volūt suum sacrificium ab Ecclesia haberi & ibi manere. Et quia sacerdos erat secūdū ordinē Melchisedech, qui panē & vinū obtulit, æquum erat, vt ille sub specieb. panis & vini nobis in sacrificio permaneret.

Aug. l. 4. de Trin.

1. Ioan. 2. 2.

Sacrificium à bono aut malo Sacerdote oblatum ex se æque efficax est.

Conc. Trid. sess. 22. c. 2.

Sacrificium crucis cruentum Missæ incruentum.

Rom. 6. 9.

Matt. 26. 26. Marc. 14. 22. Luc. 22. 17. 1. Cor. 11. 23. Psal. 119. 4.

ræt. Ideoq; in vltima cœna. *In qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit deditq; discipulis suis.* dum homines deliberarent de morte ipsi inferẽda, agebat ipse de vita ipsis danda: voluit Sponsæ suæ Ecclesię visibili sacrificiũ visibile relinquere, vt hominum conditio & natura exigebat, quod non solum cruentum illud Crucis sacrificiũ in memoriam reuocaret, sed & ꝙ eiusdem cum illo esset virtutis & efficacię, ad peccata dimittenda, Deum placandum & homines illi conciliandos, quodq; re ipsa idem esset sacrificium. Hincq; corpus & sanguinẽ suum sanctissimum consecrauit sub panis & vini speciebus, panem in corpus & vinũ in sanguinẽ conuertens, subq; ijsdẽ speciebus se æterno Patri obtulit. Hanc aiunt Doctores primã Missam fuisse, quæ in mundo celebrata fuit: tũq; discipulos noui Testamenti sacerdotes ordinauit, & illis & eorum in sacerdotio successoribus, vt hoc offerrent sacrificiũ dicens: *Hoc facite in meam commemorationẽ.* Hinc sustinent aliqui sanctissimi Sacramenti festum diem maximum esse, quem de Christo Redemptore nostro celebrat Ecclesia, alij enim solum sunt memoria & repræsentatio, vt Incarnationis, Natiuitatis, Resurrectionis, & Ascensionis. Hoc n. die filius Dei non est factus homo, nec nascitur, nec resurgit, nec rursum ad cælos ascendit, illic n. semper est. Hic vero dies festus non solummodo memoria & repręsentatio est, sed quod rursus veniat, quod sub Sacramentalibus speciebus lateat, quotiescunque sacerdos consecrationis verba profert. Et rursum in Ecclesia quotidie offertur idem sacrificium, quod oblatum fuit, dum pro nobis Christus in Cruce mortem passus est.

Luc. 22. 19.

Festum venerabilis Sacramenti festorum maximum.

Consideremus hic magnũ Christi erga homines amorem, quantumq; illi debeamus, quodq; illi satis non fuerit, semel se ꝓ peccatis nostris in Cruce obtulisse, nisi & hic sacrificiũ permaneret, vt nõ semel, sed sæpius & quotidie vsq; ad mundi cõsummationem gratum sacrificiũ habeamus Patri æterno offerendum, & tantum & tam preciosum donum ei dandum pro nostris peccatis, quo ille placetur, quoq; illi nihil preciosius nec gratius esse potest. Quid Christianis faciendũ fuisset, si hoc illis sacrificiũ non foret datũ ad se Deo cõciliandos? *Quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrhæ similes essemus*, & nos Deus subuertisset & destruxisset, vt peccata exigebant. Dicit S. Thom. sacrificio proprium esse Deum placare, secundũ illud S. Pauli: *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis*, vt dũ quis placatur, & iniuriam sibi illatam dimittit, aliquo sibi exhibito seruitio vel dono oblato, eodem modo tam Deo hoc est gratum & acceptum sacrificium & donum, quod offertur, vt illi placando sufficiat, eumque accedere liceat, & ille benignis nos oculis intueatur. Si ipsa feria sexta sancta, dum Redemptor mundi crucifixus est, ad crucis basim fuisses, & preciosi illius sanguinis guttæ te conspersissent, qua consolatione anima tua perfusa foret? quod tibi robur suggestum foret? quam certam remedij tui spem concepisses? Latro, cui tota vita in latrocinijs & sceleribus peracta, tantum sumpsit animum, vt ex latrone sanctus fieret, & ex Cruce paradisum faceret. Idem Dei filius, qui tunc temporis se in Cruce offerebat, se nunc in Missa pro te offert, & tanti valoris hoc, quam illud, est sacrificium. Idcirco ait Ecclesia: *Quoties huius hostiæ commemoratio celebratur, opus redemptionis nostræ exercetur.* Magni illius cruenti sacrificij fructus, ad nos manant, & hoc sacrificio sine sanguine nobis communicantur.

Esai. 1. 9.

S. Thom. 3. p. q. 49. art. 4.

Ephes. 5. 2.

Domin. 9. post Pentec. in oratione secreta.

Tantum & tantæ dignitatis hoc est sacrificium, quod soli Deo offerri queat. Quod Concilium Tridentinum aduertit, dum ait, quod quamuis Ecclesia in Sanctorum honorem & memoriam solita sit Missas celebrare, tamen id sacrificium sanctis non offeratur. Hinc sacerdos non dicit: Offero tibi sancte Petre vel sancte Paule: sed soli Deo offertur, gratias agendo de victoriis & coronis sanctis concessis, & eorum intercessionem requirendo. *Vt ipsi*

Concil Trid. sess. 22. c. 3.

Sacrificium soli Deo offertur.

ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.

Sic vt diuinum hoc mysterium non solum Sacramentum sit, vt alia, sed & simul sacrificium. Et magnum discrimen est inter duo hæc Sacramentum & sacrificium: sacrificij enim ratio in eo sita est, vt ministerio sacerdotis in Missa offeratur. Communis & recepta Theologorum opinio est, essentiam huius sacrificij consistere in vtriusque speciei consecratione, quæ tunc offeruntur. Ideoque sicut Christus in Cruce spiritum emittens cruentum illud sacrificium peregit, quo se pro nobis æterno Patri obtulit, eodem modo & hoc sanctum Missæ sacrificium, quod vera prioris repræsentatio, & eodem numero cum eo est, essentialiter perficitur illo eodem temporis puncto, quo consecrationis verba super panem & vinum prolata finiuntur, tunc eorum verborum virtute & energia in hostia est corpus, & in calice est Christi sanguis, & in sanguinis illa consecratione, quæ post corporis consecrationem fit, ad viuum exprimitur Christi sanguinis effusio, & consecutiue sanguinis à corpore separatio, quæ sequebatur. Tali modo vt consecrationis verbis sacrificium, quod offertur, producatur, & illis ipsis fiat oblatio. Sed mysterium hoc semper Sacramentum est post consecrationem, quamdiu species panis durant, dum in repositorio seruatur, vel ad ægrotos defertur, dum quis communicat: tuncque nec rationem, nec vires sacrificij habet. Et alia hic est differentia, in quantum enim Sacramentum est, prodest accipienti, vt alia Sacramenta gratiam conferendo & alios sibi proprios effectus largiendo. In quantum vero sacrificium est, non solum recipienti prodest, sed & alijs, pro quibus offertur. Hincque annotat Concilium Tridentinum ob duo hæc & duas has caussas Christum diuinum hoc mysterium instituisse. Prior quarum est, vt in quantum Sacramentum, alimentum foret animæ, quo posset vita spiritualis conseruari, restaurari & renouari. Posterior: vt haberet Ecclesia perpetuum aliquod sacrificium Deo in veniam & peccatorum nostrorum satitfactionem offerendum; remedium in necessitatibus, in compensationem & gratiarum actionem pro beneficiis acceptis à Deo: & non solum in viuorum leuamen & remedium, sed defunctorum, qui in gratia obierunt & in igne purgatorio sunt, quibus omnibus sacrificium hoc prodest. Occuritque hic quiddam magnæ consolationis, quod sicut sacerdos Missam celebrans sacrificium pro se & aliis offert, eodem modo & illi qui intersunt, idem cum illo pro se & asijs offerant. Vt dum aliqua communitas vel Respublica alicui Principi donum offert, tres vel quatuor veniunt, sed vnus solum pro omnibus verba facit, sed omnes donum ferunt, eodem modo & hic, licet solus sacerdos loquatur, & suis manibus sacrificium offerat, tamen sacerdotis manibus omnes offerunt. Verum quidem est, discrimen in allata similitudine esse, nam in ea quilibet eorum verba facere posset, sed in Missa minime: quod sacerdos ad hoc à Deo electus possit consecrare & facere quicquid in Missa fit, sed tamen eam audientes, & inseruientes etiam sacrificium hoc offerunt. Hincq; ipse sacerdos in Missa ait: *Orate fratres, vt meum & vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.* Similiter & in Canone: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.*

Essentia sacrificii consistit in consecratione vtriusq; speciei.

Conc. Trid.

Sacrificium non à sacerdote tantum sed à populo etiam offertur.

Quod magnum omnibus Missam audiendi & inseruiendi desiderium excitare deberet, vt exactius sequenti capite dicetur.

CAPVT XV.

Qua ratione Missa audienda sit.

VIdentur prædicta exigere, vt declaremus, quomodo Missa audienda sit, & quid nobis sub ea faciendum. Ideo de hoc tria dicemus, quæ tres erunt deuotiones, quæ sub Missa habendæ, & quæque earum magni momenti est, & omnes tres simul haberi possunt. Et non illas ex cerebro nostro eruemus, sed eo, quod docet sancta nostra mater Ecclesia, vt quilibet eas magni faciat, & eo loco habeat, quo oportet. Quod ad primam: præsupponendum Missam memoriam & repræsentationem passionis & mortis Christi esse, vt supra dictum. Voluit mundi Redemptor sanctum hoc sacrificium passionis & amoris sui erga nos memoriam esse, non enim illum latebat, quod eorum, quæ pro nobis passus est, recordantibus memoria hæc incitamentum futurum erat ad illum amandum & inseruiendum, & non essemus similis alteri populo: *Qui obliti sunt Deum, qui saluauit eos*, & eduxit eos ex Ægypto. Hincque bona fuerit deuotio in Missa habenda secundum prædicta, passionis mysteria, quæ hic exhibentur, aduertere, inde amoris actus & propositum DEo diligenter seruiendi eruendo.

Psal. 105. 21.

Ad quod plurimum conducet nosse significationes omnium eorum, quæ in Missa fiunt & dicuntur, quo sic exactius noscamus magna mysteria, ijsque delectemur, quæ ibi exhibentur: nullum enim est verbum vel cerimonia, quæ in se magni alicuius mysterij significationem non habeat, vt & vestes & ornamenta, quibus sacerdos Missam dicturus se induit, idem significant. Amictam dicunt sancti indicare velum, quo Iudæi Christi Redemptoris nostri faciem obduxerunt, dum illum in facie cædentes dicebant: Prophetiza, quis se percussit: Albam aiunt indicare vestem illam albam, qua Herodes illum cum exercitu eius ludibrio habens indutum ad Pilatum remisit.

Vestes sacerdotis celebrantis quid significent.

Cingulum signat vel vincula & funes, quibus, dum caperetur, ligatus fuit, vel flagella, quibus iussu Pilati percussus fuit. Manipulus signat alia vincula & funes, quibus ad columnam ligatus fuit, dum flagris conscinderetur. Qui brachio sinistro inseritur, quod cordi est vicinius, vt magnus ille amor indicetur, quibus crudeles illos flagrorum ictus pro peccatis nostris accepit, & amor, quos nos tanto amori & beneficio respondere fas est. Stola tertia vincula signat, & funem illum collo eius iniectum, dum crucem humeris ferret, & ad crucifigendum duceretur.

Casula significat purpuream vestem, qua induerunt eum ad illudendum & subsannandum, vel secundum alios, vestem illam inconsutilem, quam exuerunt, vt crucifigeretur.

Quod sacerdos sacrarium intret, vt his se vestibus induat, indicatur Christi in mundum aduentus in sanctissimum illud vteri virginei sacrarium, in quo se humanitatis nostræ vestibus induit, vt post sacrificium hoc in cruce offerret. Exeunte sacrarium sacerdote canit Chorus Introitum Missæ, quo magna illa sanctorum Patrum desideria & suspiria, quibus Dei filij incarnationem præstolabantur, indicantur: *Emitte agnum Domine dominatorem terræ. Et vtinam disrumperes cælos, & descenderes.* Repetitur Introitus, vt frequentes clamores & desideria, quæ sancti illi Patres habebant, vt Christum carne nostra vestitum in mundo viderent.

Missæ cæremoniæ quid significent.

Esai. 16. 1.
Esai. 64. 1.

Quod sacerdos vt peccator confessionem recitet, significat Christum omnia peccata nostra in se recepisse, vt pro ijsdem faceret satis, voluisseq; vt pec-

catorapparere & talis haberi, vt ait Pro-
Esa.53.4.&11 pheta Esaias, vt nos sancti & iusti essemus. Kyrieeleyson toties repetitum indicat magnam miseriam, cui ante Christi aduentum subiecti eramus. Longum foret per singula mysteria speciatim discurrere, suffecerit scire, nihil in Missa esse, quod mysteriis plenum non sit. Signa illa Crucis toties super hostiam & calicem à sacerdote exhibita signant multa & varia illa tormenta & dolores, quæ pro nobis Christus in Cruce passus est: & hostiæ & calicis post consecrationem eleuatio (præterquam quod fiat, vt populus adoret) significat Crucis in sublime eleuationem, vt ab omnibus crucifixus videretur. Quisque vni vel duobus mysteriis, quibus magis afficitur, poterit immorari, fructum inde sibi colligens, & conando tanto amori & beneficio respondere: quod vtilius fuerit, quam per omnia mysteria diuagari. Quæ prima deuotio in Missa habenda est.

Secunda deuotio & modus Missam audiendi est magni ponderis, eique maxime proprius, & eum præcedenti capite innuimus. Ad cuius faciliorem intelligentiam duo ibi declarata præsupponenda. Prius, quod Missa non solum sit passionis Christi & illius sacrificij, quo ipse se æterno Patri in cruce obtulit pro peccatis nostris, memoria & repræsentatio, sed idem & sacrificium, quod tunc obtulit, & eiusdem valoris & efficaciæ. Posterius, quod quamuis sacerdos loquatur, & suis manibus sacrificium hoc offerat, tamen quod & omnes adstantes cum illo offerant. Quibus præsuppositis, dico optimum Missam audiendi modum esse cum eo hoc sacrificium offerre, & facere, quantum fieri potest, quod ipse facit. Existimantes nos ibi non conuenire solum ad Missam audiendam, sed sacrificium hoc cum sacerdote offerendum, quandoquidem id re ipsa verum sit. Hincque statutum est, vt sacerdotes voce clara & mediocriter elata omnia, quæ Missæ sunt, peragant, quæque expedit populum audire, vt delectetur & se præparet cum Sa-

Modus optimus audiendi sacri sacrificium cum sacerdote quoad fieri potest offerre.

cerdote ad idem offerendum, ea præparatione, quam Ecclesia tanto consensu & matura deliberatione necessariam esse iudicauit. Quicquid enim ibi dicitur & fit, ideo contingit, vt tam sacerdos, quam præsentes se parent & disponant, & maiori cum deuotione & reuerentia summum hoc sacrificium offerant.

Tres partes principales Missæ.

Quod vt melius & vtilius in actum deducamus, notandum tres esse Missæ partes principales. Quarum prima est à Confessione ad offertorium, quæ tota est, vt populus præparetur, ad digne hoc sacrificium offerendum: primo Confessione & psalmorum versibus, antequam Sacerdos altare accedat: deinde Kyrie-eleyson, quæ præterquam (vt diximus) quod significent miseriam, in qua ante Christi aduentum eramus, & nobis indicant, quod is, cui cum Deo agendum est, non id iustitia sed misericordia conficiendum esse statim sequitur: *Gloria in excelsis Deo,* quo Deo gloria adscribitur pro incarnatione, & b neficij illius magnitudo agnoscitur. Et notandum sacerdotem dicere *Oremus* & non *Oro,* quod omnes cum illo orent, & ipse eorum nomine. Quoque hoc maiore cum vigore fiat, petitur ante S. Spiritus auxilium, sacerdote se ad populum vertente & dicente: *Dominus vobiscum,* & respondente populo: *Et cum spiritu tuo.* Epistola veteris Testamenti doctrinam signat, & illam S. Ioannis Baptistæ, quæ vt præparatio & catechismus Euangelicam doctrinam præcedebat. Graduale, quod post Epistolam recitatur, pœnitentiam, quam populus prædicatione S. Ioannis Baptistæ faciebat, indicat. Alleluia, quod Graduale sequitur, animæ lætitiam aperit, qua post peccatorum remissionem adeptam per pœnitentiam exultat. Euangelium à Christo mundo annunciatam doctrinam significat. Imprimitq; sacerdos libro S. Crucis signum, quod Christum crucifixum nunciari oporteat, & postea fronti, ori & pectori idem signum imprimit, quod & populus imitatur: quo signo profitemur nos Christum crucifixum in pectore gerere, & no-

Caremonia & preces Missæ vlterius explicantur.

stris

ſtris illum linguis & fronte aperta profeſſuros, & in hac nos profeſſione victuros & morituros. Noua lumina ad legendum Euangelium incenduntur, quod doctrina hæc animas illuminet, & lux ſit, quam Chriſtus in terram detulit. *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.* (Luc. 2. 32.) Erectis omnibus & ſtantibus Euangeliũ legitur, vt promptitudo obediendi & illud defendendi, dum ſic opus eſt indicetur. Capite aperto auditur, vt reuerentia verbo DEI debita declaretur. Statim ſubſequitur Credo, qui fructus ex Euangelio decerptus eſt, quod in eo præcipuos articulos & fidei myſteria exponamus. Hæc prima Miſſæ pars eſt, quæ Catechumenorum Miſſa dicitur, huc vſque enim licebat Catechumenis nondum baptizatis Miſſæ intereſſe, vt & infidelibus tam Iudæis, quam gentilibus, vt DEI verbum audirent, & inſtruerentur.

Secunda pars Miſſiæ. Secunda Miſſæ pars ab Offertorio incipiens durat vſque ad Pater noſter, ſeu orationẽ Dominicam, quæ ſacrificii Miſſa dicitur, cui ſoli Chriſtiani intereſſe poſſunt. Hincq; ſolet Diaconus ex ſuggeſtu denunciare Catechumenis, vt exirent, & dici olim: *Ite Miſſa eſt*, nam iam Miſſa, id eſt, ſacrificium incipit, cui vobis intereſſe non licet. Hæc præcipua Miſſæ pars eſt, in qua fit conſecratio, & conſecratum offertur. Ideo Sacerdos ſilentium ſeruare, & ſecreto orationes dicere incipit, quæ ab adſtantibus non audiuntur, quaſi iam ſacrificio vicinior. Vt inſtante paſſione Euangelium dicit Chriſtum in deſertum iuxta ciuitatem Ephraim ſeceſſiſſe, (Ioan. 11. 54.) nec in publicum prodiiſſe. Sacerdos iam ſacrificium oblaturus manus lauat, vt indicet munditiã & puritatẽ, qua hoc ſacrificium accedendum eſt: & ſe ad populum conuertens petit, vt cum illo, oret, vt ſacrificium hoc gratum & acceptum ſit Deo. Et oratione ſecreto peracta ſilentium rurſus interrumpit præfatione, qua ſacerdos ſe & populum diſponit ad hoc ſanctum ſacrificium, populum exhortans vt corda ad cœlum leuet, & Deo gratias agat, quod è cœlo deſcenderit & carnem noſtram adſumpſerit, & pro nobis mortuus ſit: *Benedictus, qui venit in nomine Domini: Oſanna in altiſſimis.* (Matth. 21. 9.) Quæ laudes illæ ſunt, quibus Dominica Palmarum Hieroſolymis exceptus fuit. Et; *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*, quibus verbis æternum à cœli ciuibus laudatur, vt aiunt S. Iohannes in Apocalypſi & Eſaias. (Apoc. 4. 8. Eſai. 6. 3.) Poſtea Miſſæ Canon incipitur, in quo ante omnia orat Deum Patrem Sacerdos, vt per vnigeniti filii ſui, & Domini noſtri Ieſu Chriſti merita acceptum habeat hoc ſacrificium pro Eccleſia, pro Summo Pontifice, pro Prælato, pro Rege. Et ſtatim ſub ſilentio pro aliis in particulari orat, offerens & pro iiſdem ſacrificium, peragens primum Memento, quod vocatur viuorum. Et præſertim offert hoc ſacrificium pro præſentibus, dicit enim: *Et omnium circumſtantium.* Ideoque vtile eſt Miſſæ intereſſe, qui enim interſunt magis donorum Dei particeps redduntur, vt qui Regis Menſæ adſiſtunt, & vt illi, qui obuiam procedunt & excipiunt, dum ciuitatem ingreditur, vt que qui ad Crucis baſin erant, S. Ioannes, ſanctiſſima Virgo & Mater Maria Magdalena, & bonus latro. Rupertus Abbas dicit Miſſæ adeſſe idem eſt, (*Rupertus Abbas.*) quod Chriſti Seruatoris noſtri exequiis intereſſe. Statim Conſecratio ſubſequitur, in qua conſiſtit & offertur Miſſæ ſacrificium pro omnibus, quorum in ſilentio, ſeu Memento facta eſt mentio.

Dico ergo optimam deuotionem, quã quis in Miſſa habere poteſt, eſſe illis attendere, quæ à Sacerdote dicuntur & fiunt, quantum fieri poteſt, & illum imitari, vt perſonam, quæ magna pars magni illius negocii eſt, quod ibi tractatur & celebratur. Sacerdote ſilentiũ vel Memento viuorum facienda, expedierit & quemque idem facere, & ſimiliter in Menenio defunctorum. Pater N. Franciſcus de Borſa hoc modo Memento peragebat: (*P. Franciſci de Borgia Memento.*) Præſuppoſita prædicta conſideratione, ꝙ ſacrificium hoc referat & idem ſit, quod pro

P. Francisci de Borgia Memento.

pro nobis in Cruce oblatum est, Memento suũ per quinq; vulnera Christi diuidebat. In dexteræ manus vulnere Deo summum Põtificem, Cardinales, omnes Episcopos & prelatos, Clericos & Pastores & omnem statum Ecclesiasticum commendabat. In sinistræ manus vulnere Deo Regem, omnes iudices & statuti secularis superiores commendabat. In vulnere dextri pedis omnes ordines & Religiones, & in particulari societatẽ: In vulnere sinistri pedis omnes consanguineos, cognatos, amicos, benefactores, & omnes, qui se eius orationibus commendarant. Lateris vulnus sibi seruabat, in quod ipse confugiebat & se colligebat. *In foraminib. petræ, in cauerna maceriæ.* (*Cant. 2. 14.*) Petens à Deo peccatorum remissionem, & in necessitatibus & miserijs remedium. Talique modo hoc sacrificium offerebat pro omnibus his, & vnoquoq; horum, quasi pro vno solo obtulisset, offerẽdo in particulari pro illo vel illis, pro quibus ex obligatione vel deuotione Missam dicebat; ea voluntate vt ei tãta huius sacrificij pars applicaretur, quę illi debebatur, quodq; nihil illi auferretur & alijs adderetur, quibus ipse applicabat. Eodem modo & defuncto, iam Memento peragebat, primum, sacrificium illud pro eo & ijs, pro quibus in particulari Missam celebrabat: secundum pro defunctis parentibus & cognatis: tertio pro defunctis Religionis: quarto pro amicis, benefactoribus, commendatis, & quibus aliquo modo obligatus erat: quinto pro illis, qui intercessores non habent, nec qui pro illis satisfaciunt & pro illis, qui sunt in grauissimis pœnis & maiori premuntur necessitate, & pro illis, qui eo peruenerũt, vt breui ignem purgatorium sint exituri, & pro illis, quib. maior charitas exhiberetur & maius Deo exhiberetur seruitium, vt pro illis offerretur. Hinc & nobis hoc vel alio modo faciendum vt cuiuis magis expedire videbitur. Et præsertim hoc nobis sacrificium offerendum ob tria, quæ inter alia nos multum obligant & vndique quasi obsident. Primo in gratiarum actionem ob tanta à Dei munifica manu recepta beneficia, tam generalia, quam specialia: Secundo in peccatorum satisfactionem & compensationem. Tertio ad remediũ petendum nostris necessitatibus & fragilitatibus & nouas à Domino gratias impetrãdas. Et valde expedit, quemlibet quotidie hoc sacrificium ob tria hæc offerre non solũ pro se, sed & proximis, offerendo non solum ab accepta beneficia, sed & ob magnas gratias, quas fecit & quotidie omnibus hominibus facit, nec solum in suorum, sed & totius mũdi peccatorum satisfactionem & compensationem, & ad pro omnibus illis Deum Patrem placandum: neq; solum ad auxilium in proprijs miserijs & necessitatibus, sed & totius Ecclesię implorandam. In quo quis se maxime conformat sacerdoti, qui idem facit. Præterquam enim quod charitas & animarum Zelus requirat vt quis non solum suam, sed & totius Ecclesiæ bonum curet; ideo & vtile pro omni eo pro quo Christus illud in cruce obtulit, sacrificium hoc offerri. Expediet etiam & nos ipsos simul cum Christo in sacrificium quotidię in Missa Deo Patri offerri ob easdem causas, nullo reseruato, quod ei non offeratur. Quamuis enim verum sit opera nostra ex se parui esse valoris, tamen Christi sanguine tincta, & eius meritis & passioni vnita non possunt non magni esse valoris, & Deo valde placere.

Chrysost. hom 3. de incomprehensibili Dei natura.

S. Chrysostomus ait, horam, qua diuinum hoc sacrificium offertur, maxime oportunum esse, vt cum Deo agatur: & Angelos hanc suam formam oportunitatem arbitrari, vt gratias ab eo humano generi petant & tunc illos pro nobis clamare ad Deum, quod tempus tam accommodum sit. Hincque dicit cœlestes Angelorum, Cherubim & Seraphim Legiones ante Maiestatem cum maxima reuerentia genua flectere quodque statim sacrificio hoc oblato volent per cœlestes areas, vt purgatorij carceres aperiantur, & executioni mandetur, quod illic decretum est. Hinc decet & nos hanc commoditatem perma-

gn

gni facere, & tam bonam occasionem arripere; & ad Sacrum ire, ibique magna cum fiducia hoc diuinum sacrificium offerre, vt eo mediante æternum Patrem placemus, hoc enim debito peccatorum nostrorum satisfaciemus, & noua, quæ petemus, dona & gratias impetrabimus.

Tertia pars Missæ in qua præsentes spiritualiter communicare possunt.

Tertia deuotio præsertim est tertiæ Missæ partis, quæ incipit à Dominica oratione seu Pater noster ad finem vsque. In qua Sacerdos sumit sacrificium, & quæcunque post Communionem dicuntur orationes, sunt gratiarum actiones pro beneficio accepto. In qua & illi, qui Missæ intersunt, hic Sacerdoti se accommodabunt, quantum poterant. Non licet in quaq; Missa sacramentaliter communicare, sed bene spiritualiter. Sit ergo hæc tertia Missæ deuotio: quæ valde vtilis & expediens est, vt communicante sacramentaliter Sacerdote, qui præsentes spiritualiter communicent, quod fiet si quis magno desiderio sanctissimum hoc Sacramentum recipiendi teneatur, secundum illa S. Iob verba: *Si non dixerunt viri tabernaculi mei (id est boni Christiani & timorati) Quis det de carnibus eius, & saturemur.* Vt gulosus ad delicias & cupedias oculos retorquet; eodem modo & Dei seruo oculi ad diuinum hoc alimentum reflectendi sunt. Sacerdote os ad sumendum aperiente; ipsi & animæ os aperiendum magno desiderio diuinum hunc cibum sumendi, & saporem hic quærendi. Sicque Deus desiderio cordis augmento gratiæ & charitatis satisfaciet, secundum quod per Prophetam promittit: *Dilata os tuum, & implebo illud.*

Iob.31.31.

Chrysost. hom. 3. de incomprehensibili Dei natura.

Psal.80.11.

Concil. Trid. sess.13.c.8.

Sed notat hic Concilium Tridentinũ, vt desiderium hoc sanctissimum sacramentum recipiendi Communio sit, vt ex viua spe, charitate informata nascatur, necesse esse. Dicere vult, necesse esse, vt qui desiderium hoc habet, sit in charitate & Dei gratia, tunc enim Deo se vniens fructum hunc spiritualem consequitur. Nam in eo, qui in mortali est peccato, desiderium hoc non esset spiritualis Cõmunio; sed si in peccato mortali communicare desideraret, peccaret mortaliter, sin idem desideraret, iam à peccato liberatus, quamuis bonum esset desiderium, non esset tamen spiritualis communio, quod enim in Dei gratia non sit, non potest eius fructum consequi. Sic vt necesse sit in Dei gratia esse, & tunc desiderium hoc habere, hocque est spiritualiter communicare. Ipso enim desiderio hoc sanctissimum sacramentum recipiendi gratiarum & bonorum spiritualiũ particeps redditur, quibus sacramentaliter cõmunicantes frui solent. Potest & accidere, vt qui spiritualiter communicat, maiorem assequatur gratiam, quam qui sacramentaliter, quamuis in statu gratiæ communicet. Quamuis enim verum sit sacramentalem communionem ex se maioris esse gratiæ & vtilitatis, quam spiritualem quod sacramentum sit, & gratiæ prærogatiuam habeat ex opere operato, quod spiritualis non habet; tamen potest quis tanta deuotione, reuerentia & humilitate desiderare hoc sacramentum accipere, vt hic maiorẽ consequatur gratiam, quã ille, qui sacramentaliter accipit, sed sine tanta dispositione. Aliud præterea in spirituali hac est communione, quod quia secreta est, & ab aliis non videtur; nullũ hic vanæ gloriæ periculum sit ab adstantibus, quod in sacramentali est, quod publica sit. Aliud præterea singulare habet priuilegium, quod sacramentalis nõ habet, videlicet quod sæpius fieri potest: nã sacramentalis fit vel semel in hebdomate vel ad summũ singulis diebus semel; spiritualis vero fieri potest nõ tantum modo quotidie, sed & sæpius eodem die. Huicque multi laudandum hanc habent consuetudinem quod spiritualiter cõmunicent non solum dum sacrum audiunt, sed quoties sanctissimum sacramentum visitant, & aliis temporibus.

Fructus communionis spiritualis.

Et vtilis modus ille spiritualiter communicandi est, quo aliqui Dei serui vtuntur, quem hic ponemus, vt quicunq; valet, eo vti possit. Dum Missam audis vel

Modus communicandi spiritualiter.

ſanctiſſimum ſacramentum viſitas, vel quando quotieſque ſpiritualiter communicare voles, cor tuum affectibus & deſiderijs hoc ſanctiſſimum ſacramẽtum recipiendi excita, & dicito: O qui haberet puritatem & munditiam illam, quæ neceſſaria eſt tanto hoſpiti excipiendo! O qui dignus foret te quotidie recipere, & ſemper in viſceribus habere! O Domine, quam diues eſſem, ſi mererer te recipere, & domum meam deducere! quam felix mea eſſet conditio! Sed neceſſe non eſt Domine, vt ad me ſacramentaliter venias, quo me dites: velis id ſolum Domine, & ſufficiet, Iube id Domine, & iuſtificatus ero. Et in huius teſtimonium (*Matth. 8, 8.*) dic cum Centurione: *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum; ſed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea* Si qui æneum ſerpentem adſpiciebant, à vulneribus curabantur; eodem modo & ſufficeret te viua fide adſpicere, & te recipere ardenti deſiderio concupiſcere. Et vtile fuerit addere antiphonam: *O ſacrum conuiuium* &c. Et verſum: *Panem de cælo* &c. cum oratione de ſanctiſſimo ſacramento.

Cap. XVI.

De aliquibus exemplis ad Miſſæ deuotionem pertinentibus, quibus ad illam quotidie audiendam & dicendam excitemur, & de reuerentia in Miſſa neceſſaria.

(*Pius 2. in ſua Coſmographia, in deſcriptione Europæ.*) SVmmus Pontifex Pius ſecundus & Sabellicus referunt in Iſtria prouincia Dalmatiæ & Auſtriæ contermina fuiſſe deuotum nobilem virum, qui graui tentatione exagitabatur, vt ſibi ſuſpendio vitam eriperet, & ſubinde tam decreuerat id perficere. Hac tentatione exagitatus exponit eamdem cuidam pio & docto viro Religioſo, qui eo confirmato & conſolato dixit vt apud ſe haberet Sacellinum, qui illi quotidie Miſſam diceret. Arriſit homini remedium, cum quodam ſacerdote conuenit, & receſſit rterq; rus in quoddam ſatis munitum caſtrum. In quo anno quiete ob ſanctiſſimã hanc deuotionem peracto petit ab eo veniam Sacellanus, vt liceat ei ad feſtum quoddam celebrandum cum clerico ſibi amico ad vicinum pagum proficiſci. Annuit nobilis cũ propoſito eo eundi ad Miſſam audiendam, & feſtum celebrandum. Sed certas ob cauſas diutius moratus, circa meridiem caſtro ſuo exiuit valde anxius, verenſque ne Miſſam audire poſſet, & in veterem relaberetur tentationẽ. Hac ſollicitudine motus obuium habuit Ruſticum, qui ex pago hoc redibat, quique diceret diuina officia peracta eſſe. Quo audito tanto dolore corripitur, vt ſibi & ſorti ſuæ malediceret, affirmans ſe perditum eſſe, quod illo die ſacrum non audiſſet. Ruſticus illi aiebat, ne ſe excruciaret, ſe enim illi & Miſſam & quicquid ea apud Deum meritus eſſet, venditurum. Placet nobili conditio, & conuenit cum ruſtico, vt veſtem, qua indutus erat, det, quod & fecit & bona voluntate veſtem dedit; ſicque diſceſſerunt. Voluit tamen nobilis ad pagum ire vt in templo orationem faceret; quod & fecit. Et paulo poſt domum rediens, & ad locum, in quo ſimonia commiſſa erat, veniens videt ruſticum ſe ex arbore quadam ſuſpendiſſe, Deo id in peccati pœnam permittente. Nobilis attonitus ſpectaculo Deo gratias de liberatione ſua agit, & poſt in deuotione ſua confirmatur, & tentationem non ſenſit, quamuis diu poſtea vixerit.

In Chronicis S. Franciſci legitur de S. Eliſabeth Regina Luſitaniæ cognata S. Eliſabeth Regina Hungariæ, quod inter alias præclaras virtutes & hanc habuerit, quod in pauperes & ægros valde miſericors & condolens fuerit, & lubens illis ſuccurrerit: vt de illa dicatur, nunquam pauperem ad eum acceſſiſſe, quem non inuerit. Imperauerat præterea ei; qui ab eleemoſynis illi erat, vt nomini eleemoſynam potenti negaret. Habebit Regina hæc pediſſequum, ſeu à cubicu- (*P. 2. l. 8. c. 82. Chronic. S. Franciſci.*)

lis,

lis, cuius opera in distribuendis eleemosynis & misericordiæ operibus vtebatur, quod virtute præditus & bene moratus esset. Hinc contigit, vt alter quidam pedissequus Regis Dionysii mariti eius, & ipsi amicus, videns familiaritatem, quã alter cum Regina habebat, neque inuidens, vtque Regis sibi gratiam & fauorem conciliaret, & Regis in socium iram moueret, ad Regem detulit, Reginam non honeste & bene ad eum affectum esse. Et quia Rex non valde honeste viuebat, Diaboli, instigatione cœpit male de Regina suspicari & illi non nimium fidere. Vnde eo, quod pedissequus ad se detulisset, attonitus, quamuis non certo crederet; sed subdubitaret. Nihilominis statuit curare vt pedissequus ille secreto occideretur. Et illa die ambulatam exiens, transiuit locum quendam, in quo fornax erat, in qua calx coquebatur. Et seorsim operarijs locutus, qui ignẽ incendebant, mandat, vt pedissequum, quem ipse eo esset missurus quæsitum an perfecissent, quod Rex iusserat, statim in calcis fornacem præcipitarent, vt sic statim ibi necaretur, quod ita seruitium eius exigeret. Sequenti die mane vocat Reginæ pedissequum Rex, iubetque hoc nunciatum ad calcis fornacem vadat, vt operarij illi exequantur, quod iusserat: quo sic interimeretur. Sed Dominus Deus, qui suis nunquam deest, & innoxios defendit, ordinauit, vt iuuene hoc templum quoddam transeunte, tintinabalum ad eleuationem sonaret in quadam Missa, quæ dicebatur, qui templum ingressus, sacrum ad finem vsque audiuit, & duo alia, quæ vnum post alterum dicebantur. Interim Rex scire desiderans an mortuus esset iuuenis, alterum pedissequum vidit, qui accusauerat & falso alium ad Regem detulerat. Hunc statim ad fornacem misit, interrogatũ, an operarij fecissent, quod Rex iusserat. Quẽ venientem & secundum signa quæ Rex dederat cognitum in fornacem viuũ præcipitarent. Interea auditis Missis alter innoxius iuuenis iuit ad Regis mandatum exequendum, & petendum an iussum Regis impleuissent. Quibus respondentibus, iam esse satisfactum, cum eorum responsione ad Regem redit. Quo ille viso vix apud se mansit, aduertens contra negocium hoc, acrebatur, successisse. Et cœpit pedissequum reuersum obiurgare, & quærere, vbi tam diu hæsisset? Qui rationem facti sui reddens respondit: Domine, dum Celsitudinis vestræ, mandatum executurus abirem, cõtigit me templum quoddam transire, in quo tintinnabulum ad eleuationem sonabat, quo ego audito ingressus sacrum ad finem vsque audiui, & inde aliud ac aliud, donec omnia absoluerentur, nã pater meus mihi pro benedictione reliquit ante mortem, vt quascunque Missas incipi viderem, ad finem vsque audirem. Hoc Dei iudicio Rex in veritatis cognitionem deuenit, & Reginæ innocentiam agnouit, & famuli fidelitatem & virtutem: hocque modo, quam de Regina malam conceperat opinionem, sibi eximi passus est.

Promptuarium exemplar verbo Missa, & in vitis Patrum. Et Surius in vita S. Ioannis Eleemosynaris.

In exemplorum promptuario refertur, in quadam ciuitate duos habitasse eiusdem opificij opifices, & vnum eorum vxorem & proles habuisse, & tamen tam fuisse deuotum, vt quotidie Missam audiret, quod nullum ob impedimentum omittebat: Hinc Deus illi benedixit, & opificio suo se honeste sustentabat, & bona multiplicabantur. Alter vero contra nullam habens prolem nec famulum, sed tantum mulierem, noctes diesque operabatur, imo festis diebus, & rarius Missam audiebat; & tamen semper egebat, & in summis rei familiaris versabatur angustijs & paupertate. Hic videns alterum tam prospero vento nauigare, & quodam die illi obuius factus, interrogauit, qui tam prospere illi omnia cederent, & tantam rem faceret? Et quod quamuis magnam aleret familiam, & filios & vxorem haberet, tamen illi nihil de necessarijs deesset, sed semper abunde sufficeret, quo indigeret: Se vero solum cum vxore semper operando necessarijs indigere, & cum pauperta-

te conflictari? Ille, qui quotidie Missam audiebat, respondit, se sequenti die illi ostensurum, vnde tam rem domesticam augeret, & postero die mane ad ædes eius diuertit, & secum ad templum deduxit, & absoluta Missa dixit, domum reuersus operaretur. Quod & sequenti die fecit, eadem verba locutus. Tertio vero die domum eius diuertente altero, vt eum secum ad templum deduceret, dixit illi: Si ad templum velim ire, non opus vt me eo deducas, noui viam: nihil ex te expiscari volebam, nisi locum, in quo tantum commoditatis ad ditandum inuenisti, vt eo me deduceres, vt & ego ditescam. Alter respondit: Alium locum nescio, nec habeo, in quo corporis thesaurum & æternæ vitę pręmium inuestigem, nisi templum.

Ad quod confirmandum dixit: forsitan non audisti, quod ait Christus in Euangelio: *Quærit primum regnum Dei & iustitiam eius, & omnia hæc adijcientur vobis.* Quo audito bonus vir secretum intellexit, & de peccato compunctus vitam emendauit, & factus repente deuotus & quotidie Missam audiens, vidit negocia sua quotidie melius succedere.

Matth. 66. 33

Audiens indies sacrum, ditescit.

Refert Sanct. Antonius de Florentia, de duobus iuuenibus, qui quodam festo die vrbe exierunt, vt animum venatione oblectarent: quorum alter Missam ante audire voluit, & Ecclesiæ præcepto satisfacere: quod alter neglexit. Simul cantibus cœpit aer turbari & mutari aura, ita vt mundus confundi videretur, magnos tonitruum ictus & fulgurum ignes, qui relucebant; cum magnis nubium & aquarum signis. Inter hæc iuuenes ipsi vocem dicentem audiebant: Inuola, percute. Qua voce licet attoniti iuuenes, tamen progrediebantur meliore, quo poterant, tempore: Illisque tale nihil cogitantibus cecidit fulgur, & iuuenem illũ, qui Missam non audiuerat, extinxit. Quo casu tam exterritus & obstupefactus fuit alter, vt quasi sui compos non esset, nesciens quid sibi faciendum foret, maxime, quod iam esset vicinus loco, quo venatum iuerat. Tandem progreditur, & viam prosequitur, & iterum vocem audit dicentem: Inuola, percute. Qua voce miser magno timore correptus est, recordatus quid ante socio accidisset. Sed aliam in aere vocem audiuit: Non possum, quia hodie audiuit illud: *verbum caro factum est.* Quo significabatur illum Missam audiuisse, in cuius fine legitur Sanct. Ioannis Euangelium, vbi hęc habentur verba. Hocq; modo iuuenis hic horrendam hanc & repentinam euasit mortem.

Anton. 2. p. Theol. l. 9. c. 10. §. 2.

Exemplũ aliud, quam necessarium sit die festo audire.

Calamitosus exitus neglectoru Missæ.

Sacrum auditum Venalitem die festo ab interitu seruat.

D. Sanct. Bonauẽtura legitur, quod eo Dei summam Maiestatem, quæ in augustissimo hoc est Sacramento & maximam suam vilitatem considerant, & timens Dominum ea dispositione, qua conueniret, reciperet, ausus non fuerit altare accedere. Et audiente eo quodam die sacrum & sacerdote hostiam diuidente, vna illius pars ad illud venit, & se ori eius inseruit.

Bonauent. refertur in eius vita.

Ex humilitate abstinens à Communione partem S. hostiæ consequitur.

Et Deo pro tanto beneficio gratias intellexit, Deum hoc ipso illum docere voluisse, se plus delectari illius, qui amore & interiori affectu illum accedunt & accipiunt, quam illis qui timore se ab illo separant, & non accipiunt, vt post idem sanctus scripsit: quod & S. Thomas annotauit.

Bonauent. in tract. de exercit. spirtual. qui fasciculus inscribitur. c. 7. S. Thom. 3. p. 80. art. 10. ad 3.

De S. F. Ferdinando de Talauera primo Archiepiscopo Granatensi refertur, quod eo in aula versante & multis & magni ponderis regni negocijs occupare: eius æmuli aliud cuius eum accusaret non inuenirent, nisi quod quotidie Missam diceret, quod tanta & tam grauia in se negocia susciperet, & tamen se tam dispositum & animo tam tranquillo & quinto inueniret, vt quotidie sacrum celebraret quasi in monasterio degeret. Et quodam die Cardinale Hispaniæ & Archiepiscopo Toletano Ioanne Gonçalez de Meudoca illi dicenti familiariter, quis de illo rumor spargeretur; respondit Dei famulus: sic est Domine: quando quidem celsitudines tantum mihi ciuis imposuerunt, vt eo fe-

F. Ferdinandus de Talauera Archiepiscopus Granatensis.

Quotidie celebrans negotiis maximis expediendis non succumbit.

eo ferendo non sim; aliud mihi asylum non superest, nec oneri succũbam, quam vt quotidie sanctissimum hoc Sacramentum accedam, vt eo confirmatus ad optatum finem negocia perducam & suis Celsitudinibus rationem eorum, quæ iniunxerunt, possim reddere.

Surius in vita ipsius to. 3.

Narrat Surius de Petro Celestino, qui postea summus fuit Pontifex, quod eo cogitante & perpendente vna ex parte magnam Dei Maiestatem, quæ in sanctissimo hoc est Sacramento, & altera ex parte propriam abiectionem & indignitatem, & in memoriam reuocante Sanct. Paulum primum Anaclioretam, S. Antonium, S. Franciscum & alios Sanctos, qui non fuerant nisi altare accedere & sanctissimum hoc Sacramentum consecrare, & quotidiana Communione vti; tanta animum eius inuaserit anxietas & trepidatio, vt ad aliquot dies sacra Communione abstinuerit, cum tãta tanti Domini reuerentia, timore & tremore, vt decreuerit Romam ire & de eo summum Pontificẽ consulere, nam illi magis expediret à celebrando sacro plane abstinere, vel saltem ad aliquod tempus. Quo proposito deliberato, apparuit illi in via quidam Sanctus Abbas tam vita functus, qui illi monachi habitum dederat, & illi dixit: Quis filii etiam Angelus dignis est huic mysterio? tamen suadeo, vt magno cum timore & reuerentia Missam celebres quã frequentissime. Et statim disparuit.

Suadetur diuinitus Monacho Missæ frequens celebratio.

Greg. hom. 37 super Euang. & l. 4. Dial. c. 57.

Refert Sanct. Gregorius Paulo ante eius æuum accidisse, vt quidam fuerit ab inimicis captus, & in remotas regiones deductus, vbi longo tempore in carcere detentus fuit, nec quis de illo inde rumor vel fama ad vxorem perferebatur, quæ credens illum fato suo sanctum pro illo singulis septimanis Missas celebrari & sacrificia pro eius anima offerri curauit.

Et permisit Deus, vt quotiescunque pro illo Missæ dicerentur, captiuus se vinculis librorum inueniret.

Contigit post, vt homo carcere & captiuitate liberatus domum reuerteretur, & inter alia miraculum hoc vxori referret, & miraretur quod certis diebus & horis cuiusque hebdomadis vinculis exueretur, vt dictum est; vxor re examinata aduertit id eisdem diebus & horis accidisse, quib. illo pro ille sacrificia offerri & Missas dici iusserat. Addit S. Gregorius, hinc posse colligi, quantum virium hoc sacrificium habiturum sit ad animæ vincula & compedes dissoluenda, dum pro nobis offertur. Refert venerabilis Beda huic simile exemplum.

Auditio Missæ pro Captiuo eius vincula soluit.

Beda l. 4. historia Anglicanæ c. 21. & 22. Et Til. Bredenbach. lib. 1. collat. sacr. c. 4.

S. Chrysostomus ait sacerdote celebrante adstare Angelos, & in eius honorem, qui offertur, altare ab Angelis circumdari. Et dicit se à quodam fide digno audisse, quendam senem magnum Dei famulum vidisse repente è cœlo descendentem magnam Angelorum multitudinem, & altare circumdare, tam splendidis indutos vestibus, vt claritas earum adspici non posset; & tam humili vultu adfuisse, vt solent milites in Regis sui præsentia. Idque se credere ait S. Ioannes Chrysostomus, quod vbi Rex est, & aulicos esse necesse est. Et S. Gregorius ait, nemini dubium esse debere, quin eadem hora qua hoc sacrificium offertur, per sacerdotis vocem cœli aperiantur, & simul cum Christo cœlestes illi aulici descendant, & omnis ille locus à Choris Angelorum circumdetur, qui vt boni aulici Regem suum comitantur. Et tali modo multi Sancti exponunt illum S. Pauli locum, quo decernens mulieres in templo capite tecto esse oportere, rationem addit: *Propter Angelos.* Quãdoquidem illic est sanctissimum sacramentum, dicunt ibi & Angelos esse qui illud venerãtur & suspiciunt S. Nilus de eodẽ S. Ioanne Chrysostomo qui eius magister fuit, scribit, quod eo templum intrante videbant magnam Angelorum multitudinem, qui albis vestibus induti, pedibus nudi, & corporibus inflexis & curuatis ob summam reuerentiam erant, & summo cum silentio quasi obstupefacti ob Christi Domini nostri præsentiam in sanctissimo hoc sacramento erant.

Chrysost. l. 7. de sacerdotio. Anglorum gestus sacro aßistentium.

Gregor. l. 4. Dialog. c. 30.

1. Ad Cor. 11. 10.

Nilus in epi. ad Athanas. Episcop. in Biblioth. sanctor. patrum. Et refert etiam Turr. tract. 2. de Euchar. cap. 2.

Chrysost. l. 3. de sacerdotio.

Chrysost. l. 3. de Sacerdotio.

Secundum hoc dicit idem S. Chrysostomus, quod dum quis se in præsentia sanctissimi huius Sacramenti sistit, illi nō cogitandum se inter homines huius mūdi esse, quamuis cœlestium horum exercituum Cherubin, Seraphim & vicinitatem non aduertit, qui magno huic Domino cœli & terræ adsistunt. Hinc dicit, state fratres magno cum silentio, timore & tremore in templo. Aduerte quo modo Regis alicuius famuli coram eo stent quam modesti, quam quieti, quantaque cum reuerentia, vt vix quis verbum efferre audeat, nec oculos in aliam vertere partem. Et hinc disce, quali modo coram Deo tibi apparendum sit.

***

FINIS.

ego son

ap: Su

EXERCITIVM PERFECT
ET
VIRTVTVM
R. P. RODERICII